6
19-c.
40

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
13 G
38

x Bibliotheca
ajori Coll. Rom.
Societ. Jesu

21-c-64

19.c.40.

S

IACOBI MI-
CYLLI ARGENTORA-
TENSIS SYLVARVM LI-
BRI QVINQVE.

QVIBVS ACCESSIT APELLES
AEGYPTIVS, SEV CALVMNIA,
antehac, ut & cætera pleraq;,
nondum edita.

Bibl: Soc: Coll: Rom: Soc: Jesu

Ad Typographum Melchior Acon-
tius Vrſellanus.

Vt noua commendem fœcundi ſcripta Micylli,
Deſine me precibus ſollicitare tuis.
Ille quidem uatum præconia ſumma meretur,
Inter quos ueluti lucida ſtella micat.
Sed nihil aſſcitis aliunde coloribus huius
Fama,nec externa creſcere laude poteſt.
Lampade ſic aliqua non indiget auricomus Sol,
Ipſaq; per ſeſe dulcia uina placent.
Præferat autoris ſic tantùm pagina nomen,
Mox operis lector quilibet eſſe uolet.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO E.

EX OFFICINA PETRI
Brubacchij, 1564.

Ad colendam memoriam doctiſsimi atque integerrimi uiri, Iac. Micylli, præceptoris ſui, optimè meriti.

EN tibi perdocti, lector, monumēta Micylli,
Quē celebrare ſatis nulla camœna pōteſt.
Tantus is ingenio, tantus fuit arte poëta:
Tam nitido ſuauis carmine uena fluit.
Nec mirum: quoniam linguarum cuncta tenebat
Abdita, quas Latium, Græcia quasq; ſonat.
Præterea hiſtorias, numeros, normasq; loquendi,
Aſtrorum uires, Pythagoræq; ſonos,
Naturæq; operum cauſas cognôrat, & orbis
Quæ regio, quæue urbs, quo ſita quæq; loco.
Nec contentus, ad hæc numeroſa uolumina legū
Addiderat, ſera cognitione licet.
Quid referam quantos exhauſerit ille labores?
Cultores, uobis, dum parat, Aonides.
Tum uirtus, pietas, candor, uenerandaq; morum
Gratia quæ fuerit, quis precor enumeret?
Talis cùm fuerit, Lector, tantusq; Micyllus,
Illius his Syluis túne carere uoles?

Mathias Ritterus F.

GENE-

GENEROSO COMITI, AC DOMINO, DOMINO EBERHARDO, COMITI Erbacẽſi, ac Domino in Brauberg. Illuſtriſsimi Principis Palatini Electoris, &c. ſummo Curiæ Præfecto, &c. Domino ſuo.

BIBLIOTECA NAZIONALE

SVPERIORI ANNO, cructo & miſerabili hoc ciuili bello in Gallia irruente, in qua tum ferè bienniũ, cum nobili adoleſcẽte, Eraſmi Neuſtetteri fratre, Sebaſtiano abfueram, cum in patriã huc redirẽ, Generoſe Comes, ac librariam meã ſupellectilem, quã diſcedens hîc reliquerã, recolligerẽ, in qua parentis mei ſcripta quædã opera ſparſa hinc inde iacebãt, de edendis ijs aliquãdo, cum ipſe mecũ ſæpe cogitabam, tum & amici plerique paterni, & librarij etiam nonnulli, ut in eam curam ſedulo tum incumberẽ, ſubinde hortabant. Itaque tametſi ea res grauis ac difficilis mihi tũ eſſet, quod in alio ſtudiorũ genere

uerſabar, Iuris dico ſtudio, in quo cōti
nuando plurimũ tēporis ac laboris, a/
nimumq; ab omni negocio alienũ &
expertē requiri, non obſcurè huc uſq;
ſemper intellexi, neque etiam ea ipſa,
quia lectu difficiliora uix à quoquã de
ſcribi poterãt, ita ſparſa & confuſa Ty
pographis tranſmitti poſſent, feci tñ
tũ, uel in maxima uitæ, ac rerũ mearũ
perturbatione, hoc, q̃d tam pietatis ra
tio, q̃ publica ſtudiorũ utilitas poſtula
re uidebat. Nam reipub. literariȩ rem
nõ ingratã, atq; adeo etiã publicè plu/
rimũ profuturam, filio aũt dignam, et
amori paterno debitã, præſtiturũ me
exiſtimabã, ſi quæ ille multis uigilijs,
multoq; labore uiuus collegerat, à ſitu
ac puluere, atq; ab omni mortalitate,
poſt obitum eius uindicarem, ac pu/
blicè alijs etiam legenda exhiberem.
Ex multis igitur alijs ſcriptis, quæ i/
pſa quoque ſingula, ſuo quæq; tem/
pore atq; ordine edentur aliquando,
primum ea, quæ carmine ab eo ſcri/
pta erant, & in Syluarum libros quin

quę ordinata, deſcripſi, quotquot quidem extabāt omnia. Nam & alia uel duplo plura, quæ iunior adhuc, & uarijs fortunæ caſibus agitatus, ſcripſerat, præter hæc, iam nunc extarent, niſi ipſe, ut ſemper rebus aduerſis maximè fuit obnoxius, rerum uiciſsitudinem, & inſtabilitatem fortunæ metuens, ciuitate in qua tum uiuebat hoſtibus dedita, quotquot tum publicè uiſa nondum erāt, uiuus concremaſſet. Poſtea uerò quotquot ab eo ſcripta fuerūt, & quotquot poſt mortem eius extiterunt, tametſi poſt meum è Gallia reditū, deſcripta à me iam erāt omnia, tamē abſoluere prius id opus tum ferè abſolutum, nō potui, quàm ex Italia domum redij, in quam ſuperioribus mēſibus profectus erā, non tam ut in ea, ſtudiorum meorꝫ fructū aliquem, aut honorem ac titulum acciperem, ꝙ ut eius quoqꝫ partē aliquā, quantum per occaſionem, & fortunę meæ tenuitatē liceret, perluſtrarem. Itaqꝫ ex ea reuerſus, cùm de patrono

aliquo ac tutore, cuius ſub noīe ac patrocinio, poſthumi hi libelli quinq; editi, tutius ac libentius legerent, cogitarē, & hinc inde annos multos & cōtinuos, quibus author eorum ſuā operam ac labores, Illuſtriſsimis principibus Palatinis Electoribus, &c. Ludouico, Friderico, & Ottoni Henrico, in hac celebri & uetuſta Heidelbergenſi Academia, cū publicè literas græcas, tū priuatim etiā Latinas docēdo præſtitit, cōſiderarem: ad te potiſsimum, Generoſe Comes, ueniendum exiſtimaui, cui & eum ipſum, dum eſſet in uita, non ignotū fuiſſe, & ipſos quoq; libellos poſt obitū authoris ſui libenter à te lectos eſſe, nō ignoro. Etſi autē idipſum quoq; ſciam, arduis te quotidie, & grauiorib. negocijs occupari ſolitū, q̄ ut his poeticis libellis, & eorꝫ lectioni uacare poſsis, tamē hoc uno deuinctos eos omnino tibi reddes, ſi cū poſthumi ſint, tuo ſaltem ſub patrocinio, tuaque in tutela eſſe patiaris, & ſi quando per ocium licet, grauioribus

curis remiſsis, in ijs te interdum oble
ctes. Genus em̃ hoc ſtudij, ut Cicero
prǽclare ait, adoleſcentiã agit, ſenectu
tẽ oblectat, ſecundas res ornat, aduer
ſis perfugium ac ſolatium præbet, de
lectat domi, nõ impedit foris, perno-
ctat nobiſcũ, peregrinat̃, ruſticat̃: q̃d
ſi ipſi neq; attingere, neq; ſenſu noſtro
guſtare poſſumus, tamẽ id ipſum mi-
rari debemus, etiã cum in alijs uidea-
mus. Quæ ut ut ſint, quod ad me atti-
net, Generoſe Comes, tibi ego libel-
los hos, & ſub eorum noĩe meipſum
quoq; commendo: & ut pro ſumma
tua authoritate & amplitudine, apud
Illuſtriſsimum Principẽ Electorem,
cui ego inprimis omnẽ meam ope-
ram, omneq; ſeruitium debeo, in gra
tia me ponas, etiã atq; etiam ſubnixè
rogo. Heidelbergæ Calend. Ia-
nuarij. Anno 1564.

Iulius Micyllus
Iacob. Fil. D.

IOHANNES POSTHIVS
Germershemius Iulio Micyllo ſuo.

SParſa tui patris dum colligis, optime Iuli,
Carmina, rem dignam laude piamq; facis.
Multa diu uarijs iacuerunt edita chartis,
Plurima natali clauſa fuere domo.
Omnia quæ magno tibi ſunt congeſta labore,
Vt ſolidum fieret dulce parentis opus.
Fata pepercißent utinam, dum ſumma fuiſſet
A docto ſcriptis addita uate manus.
Ille ſuum uarijs decoraſſet floribus hortum,
Et quæ nunc ſyluæ, culta uireta forent.
Plurima nam uoluit maturo ſubdere tandem
Iudicio, quæ iam cæca litura premit.
Qui tamen his ſyluis animo ſpaciabitur æquo,
Inueniet forſan quæ placuiſſe queant.
Nec poterit reuocare pedem, uacuuſq; reuerti,
Hoc neq; iucundum deſeret ante nemus:
Sollicito donec luſtrauerit omnia uiſu,
Materiam ingenio quæſieritq; ſuo:
Seu fuerint pietas, & ſancta oracula cordi,
Fatidici terris quæ cecinere ſenes.
Seu recubans audire uelit ſub tegmine fagi,
Carmina, paſtorum qualia turba canat.
Seu legere exequias, mutiſq; notata ſepulchris,
Nomina magnorum, qui periere uirum.

Siue Elegi dulces, & honeſti mater amoris,
Et ſocij placeant gaudia feſta thori.
Seu fidis olim quæ nuncia littera amicis
Iuit, & ætatis rettulit acta ſuæ.
Siue Epigramma iuuet ſalibusq́; iocisq́; refertū,
Siue animum Lyricis exhilarare modis.
Comica ſeu leuib. percurrere ſcripta cachinnis,
Quæ ſpecimen uitæ multa ferentis habent.
Hæc & plura etiam ueniens mirabitur ætas,
Præferet ac numeris Naſo poëta tuis.
Et tua fama ſimul, Iuli doctiſſime, uiuet,
Clara tui uiuent dum monumenta patris.

MATHIAE RITTERO, AMI-
co & compatri ſuo chariſsimo, Zacharias
Monzerus Budingenſis Eccle-
ſiaſtes S. P. D.

O Mihi dilectos inter fidiſſime fratres,
Matthia, ô animæ portio magna meæ.
Exoptata mihi tua nuper epiſtola uenit,
Oblectans uarijs pectora mœſta modis:
Pectora ſollicitis uariè trepidantia curis,
Dum paſſim cumulat funera fœda lues.
Fœda lues utinam tandem, ſic ſæpe precabar,
Deſinat infeſtas multiplicare neces.
Ah modò ne lædat peſtis fera quotquot amicos
Saxonica & Mœni Francica ripa tenet.
Nuncius ergò mihi multò lætiſſimus ille,

Qui mihi uos ſaluos incolumesq; refert.
Nuncius ergo etiam longè gratiſsimus ille,
Hic mihi qui fœlix optat ut annus eat.
Non res, crede mihi, leuis eſt, cùm ſeria frater
Pro chari fratris uota ſalute facit.
Omnia nunc igitur cùm tu mihi fauſta preceris,
Hoc mihi num quicquam gratius eſſe queat?
Carmina quinetiam noſtri prodire Micylli
Scribis, Pierio carmina digna choro.
E tenebris igitur ſeſe doctiſsima tandem
Carmina prædocti proripuere uiri?
Quas ego nunc grates tanto pro munere, Iuli,
Quas referam grates chare Micylle tibi?
In lucem docti profers monumenta parentis,
Ne tantis ſolus tute fruare bonis.
Hæc igitur poterunt noſtrum lenire dolorem,
Antiqui luctus hæc medicamen erunt.
Hæc deſiderium poterunt explere magiſtri,
Inuida quem properæ fata dedere neci.
Ille quidem uitam maturis finiit annis,
Et capiti canos longa ſenecta dedit.
Nos tamen illius triſtes de morte dolemus:
Charus enim nobis ille magiſter erat.
Ille magiſter erat doctrina præditus ampla,
Pollens iudicio, ſedulitate, fide.
Hæc ego cõfirmo uel teſte Melãchthone magnõ,
Multorum nobis inſtar hic unus erit.
Ipſa repræſentant autorem ſcripta diſertum,

Ipſa

Ipſa uiri faciem carmina docta gerunt.
Ante oculos ueneranda uiri uerſatur imago,
Quodcunq; illius quando poëma lego.
Scribit hodœporicum, uideor comitatus euntem
Scribit de lætis, lætor & ipſe ſimul.
Scribit de luctu, uis eſt in carmine mira,
Me cogit pariter flere, dolere, queri.
Laudib. haud priuāda ſuis ſunt ſcripta Maronis,
Laudibus eſt Naſo dignus & ipſe ſuis.
His tamē hac in parte licet præferre Micyllum,
Quòd præſtat ueri cognitione Dei.
Hæc igitur noſtri ſunt caſta poëmata uatis,
Qui coluit uera relligione Deum.
Carmina teſtantur, quantis ardoribus ille
Sæpe preces ſummum fuderit ante Patrem.
Non hunc, ceu reliquos, egit furor ille, poëtas,
Spiritus in caſto pectore ſanctus erat.
Sed qd ago? modò ſcripta uiri Brubacchius ædat,
A tota laudem poſteritate ferent.
Quod ſupereſt, ego, mi Rittere, meiq;, precamur
Fortunata tibi cuncta, tuiſq;, Vale.

DE EDITIONE SYLVARVM CLA-
riſs. poetæ Iacobi Micylli, præceptoris opt.
meriti, Ioannes Fichardus Francoforten.
Iurecon. ad Iulium Micyllum, Ia-
cobi F. V. I. Doctorem.

Quòd reuocas patris, Iuli doctiſsime, Muſas,
Nec tanti uatis ſcripta perire ſinis:
Pro pietate facis, ſed & hæc tua cura quibuſuis
Grata uiris doctis, credito, ſemper erit.
Et ſimul efficies, ut nomina clara parentis
Poſt obitum longè ſplendidiora fient.
Vnica namq; ſolent omnem ſuperare ſenectam,
Muſæ ſtruxerunt quæ monumenta bonæ.
Hoc & diuini teſtantur ſcripta Maronis,
Nobilis utq; alius quiſq; poëta fuit.

Quæ ſequuntur autoris carmina, Syluis non erant inſerta, ſed pòſt communicata: quare ut gratum facerem Lectori, uiſum eſt ea in hunc locum referre.

IOANNI FICHARDO
Suo S:

SI mea me quauis ſinerent tecum ocia luce
Pellegere Ionij nobile uatis opus:
Hanc operam Fícharde tibi promittere ſoli
Et ſtudijs uellem, dum cupis iſta, tuis.
Sed quia nec longæ uenientia frigora brumæ,
Nec noſtræ præbent tempora tanta ſcholæ:
Ocia ne uacuam traherent tibi languida mentē,
Te uolui pro re pauca monere tua.
Non eadem ratio eſt, diuerſas diſcere linguas,
Atq; eadem molli tradere ſemen humo.

Nam

Nam niſi conſueto peraretur uomere tellus,
Et capiat ſolito mutua farra ſinu:
Non ſegetem reddit, nec flauas tollit ariſtas:
Longaq́; nec quicquàm ſpes fouet agricolam.
Talis enim terra eſt, patiendo gignit, alitq́;,
Vnus hic eſt illi reddere farra modus.
At non ingenium cultura pendet ab una,
Hæc ſtudij formas accipit innumeras.
Non audire iuuat ſemper dictata magiſtri,
Vt quoq; non doctos lectio ſola facit.
Sæpè manu calamum prodeſt uerſáſſe: ſed uno
Hic quoq; contentus non ſolet eſſe modo.
Texere nunc carmen, nũc textũ ſoluere prodeſt:
Reddere nunc certi uerba modumq́; loci.
Præcipuè uarias cui curæ eſt diſcere linguas,
Vtile ſit totos uertere ſæpe libros.
Hac ope non pauci nullo didicere magiſtro,
Quæ docuit cunctis Græcia tota ſcholis.
Aſpice quem iactat tellus Germana Philippum,
Hac eadem tantum nomen adeptus ope eſt.
Et minor in Græcis fuerat quoq; rebus Eraſmus,
Ingenium tali ſi caruiſſet ope.
Maius enim lumen poſcunt, quæ uertere tentas,
Nec ſola interpres reddere uerba uolet.
Eruit ex imis abſcondita ſenſa latebris,
Nec ſat habet ſumma rem tetigiſſe manu.
Adde, quòd auditis, quæ cernũt lumina, præſtãt,
Certa tenent patulis auribus illa magis.

Quare

Quare age, dum cœpti prohibent nos ocia uotis,
Dictando iunctos continuare libros.
Ipſe tibi partem Latia conuertere lingua
Sumas in certos ceu data penſa dies.
Partem à me feſtis pergas audire diebus,
Poſt ea quæ prandì tempora uulgus habet.
Sic tibi nec deerunt, quæ tu dictata requiris:
Plusq́; mea fructus propria cura dabit.
Non tamen interea linguæ meminiſſe Latinæ
Ceſſes: hæc ſtudio concilianda pari eſt.
Siq́; uoles ueteris monitus audire magiſtri,
Diuiſum ſtudijs tempus utriſq́; dabis.
In ſtudium certas partitus dicitur horas
Plinius, & ſpacio quodq́; dediſſe ſuo.
Vt modò Graiorũ legeret, modò ſcripta Latinè,
Deinde aſtricta modis, deinde ſoluta modis.
Sic, ueluti Cous ſemper pingebat Apelles,
Accidit ut quouis diſceret ille die.
Quorum facta ſequi decet atq; exempla uirorũ,
Et faciet fructum quælibet hora ſuum.
Tempus enim perijt, Muſis quodcũq; negatũ eſt:
Hæ celebrant annos, hæ celebrant homines.

Μίκυλλ☉.

CLARISSIMO VIRO DOMINO Ioanni Fichardo I. V. Doctori: ciuitatatis Francoforten. Aduocato, amico S.

QVA Nicer à celſis reuocat ſua flumina ſyluis,
Et planos iterum lætior intrat agros:
Quam legis ex illis uenit tibi littera terris,
Micylli digitis non benè ducta tui.
Si quæris quid agam, pudet ah pudet illa fateri,
Conſumunt noſtros ocia lenta dies.
Nam modò iuridicam dũ noſtræ cõgrego Muſæ,
Et tendo medijs inter utramq; uijs.
Eloquar an taceam? nec legum intelligo nexus,
Interea uerſus dedidiciq; meos.
Nam ſeu cedenti culpa eſt hæc danda iuuentæ,
Seu ſtudia hæc nequeunt addita ritè coli.
Difficiles capio, dum ſector utrumq;, labores,
Vixq; ferunt humeri pondera tanta mei.
Sed tàmen audendũ eſt, ſeqtur fortuna ſequẽtes,
Forſitan & ueniens molliet iſta dies.
At tu quàm læta peragis tua tempora ſorte?
Ecquid adhuc facilis te iuuat alma Venus?
Quàm uellem. teneros ſed tu dum molliter annos
Ducis, uenturos proſpice mente dies.
Ne lædat uires nimium properata uoluptas,
Et florem curſus opprimat illa tui.
Quanq̃ hoc conſilio non eſt opus, & tua uirtus,
Quod mihi polliceor, teq; tuumq; teget.

Illaq;

Itaq; uenturo quæ te tibi tempore reddat
Fors ſedet ad thalamos iam noua ſponſa tuos.
Ergo tuas donec ueniam nouus hoſpes ad ædes,
Plurima felici tempora ſorte uale.

Ex *Heidelberga* X I I I. *Calend.* Decemb. *Anno*
M. D. X X X I I I. *Micyllus* T.

EPITAPHIVM EBERHARDI
Comitis à Konigſtein, &c.

Talis erat facie, tantusq; Eberhardus in armis,
Dum Comes imperijs hæc regit arua ſuis.
Non leue totius patriæ decus, atq; ſuorum,
Quàm latè nomen Regia *Saxa tenent.*
Conſilijs, belloq; potens, ſed pacis amator,
Et uerè populi cura paterq; ſui.
Cuius et hæc extant operis monumenta paterni,
Iſto quæ cernis condita templa loco.
Solus quæ coluit, cunctosq; illæſa per annos
Seruauit ſummum ſolus ad uſq; diem.

Τέλος.

In D. Iacobi Micylli
Syluas Index.
A.

Abſolutio 492
Abſymarus Imperator, qui & Tiberius 396
ad Adamum Vuernherũ à Themar epiſt. 147
Adami Vuernheri Epithalamium 149 Epitaphium 347
Adami à Schuechenheim Epitaphium 339
in Adelphos Terẽtij prologus 439
Adolphus Imp. 417
Aduentus Galli in Germaniam 297
in Aduentũ Caroli V. in Germaniã gratulatio Reip. Frãcofõrten. 101
Aemilianus Imp. 384
in Aeneidos Virgilij libros περιόχαι 285
Aenigmata cõuerſa 286. uſq; ad 291
Aeſopi fabularum commendatio 440
in Africa Caroli V. uictoria 297
Agnini ſenioris, & uxoris Epitaph. 330. 331
in Agnini Iunioris turriculam 318
Albertus I. Imp. 418
Albertus II. Imp. 419
Alberti Marchionis, & Mauricij Sax. Electoris pugna 307
Alexander Seuerus, Imperator 382
Alexander Baſilij, Impe perator 400
Alexius Comnenus, Impe rator 405
Alexius II. imp. 405
Alexius Angelus, Imperator 406
Alexius iunior Iſacij, Im perator 406
in Amantij flores 296

&&

de Amicitia 430
Anaſtaſius Dicorus *Imperator* 393
Andronicus Comnenus Imperator 406
Andronicus 2 *Imp.* 408
Andronicus Iunior *Imperator* 409
in Andriam Terentij prologus 438
Angelica ſalutatio 484
ad Anſerē inuitatio 469
M. *Antonius* Imp. 382
Antonio à Vuert. 466
Apelles Aegyptius 577
in Apollinem ex Callimacho 288 (291
in Apollonium Hartungi
Apoſtol. ſymbolum 485
in Arati prælectionē 303
Arcadius Imp. 391
Argētinæ deſcriptio quædam 58.135
de Argentinenſi Eccleſia uaticinium 460
ad Arnoldū Obſopœum conſolatio 88
Arnoldi Obſopœi Epithalamion 166
Arnoldi Obſopœi πρωτοτυπικόν 175
Arnol. Obſop. primogenitæ Epitaphium 358
D. *Arnoldi à Glauburg Epitaphium* 378
Arnulphus Imp. 412
Artemius, qui & Anaſtaſius 396
Aſtrologiæ deſenſio 228
ATHENAEI
Gryphus 286
Dies & nox 287
Vmbra 287
Auaritia hominū 447
Augiæ armenta 290
Aurelianus Imp. 385
Autumni deſcriptio quædam 252
B.
Babeto 311
Baccharaci oppidi commendatio 364
Balbinus Imp. 383
Balduinus Flandren. *Comes* Imp. 407
Balduinus 2 Imp. 408.

Balthaſaris Artocopi Epitaphium 329
Balthaſaris Acanthij Epitaphium 357
Baptiſmus 494
Barbaræ ObſopϾ Epitaphium 358
de Barbarie querela 22. 27. 426
Baſilius Macedo Imperator 400
Baſilius Porphyrogenitus Imperator 402
Bibliothecæ commendatio 274
Billicani Epitaphium 356
Bernhardi Comitis à Solms epitaphiũ 340
Boleri laus 54
Braubergæ inſcriptio 429
Brettæ deſcriptio 141
Breuis carminis excuſatio 288
Brunſuicenſis ducis expulſio 297
Budæi laus 26. 54
Buxi & Populi contentio 245

C.

Cæſares Romani 381
Cæſares Græci 393. 398. 408
Cæſares Gallici 407
Cæſares Germanici 410
de Calamitatibus noſtrorum temporum querela 82
ex Callimacho conuerſum 288
Camerarij Epitaphium 370
ad Camerarium 216
in Cana nuptiæ 179
de Canum fidelitate 436
Carminis breuis excuſatio 288
Carinus Imperator 387
Carolus Magnus Imperator 410
Carolus Caluus Imperator 411
Carolus Craſſus Imp. 412
Carolus 4. Imp. 418
Carolus V. Imp. 420

in Caroli V. aduentũ gratulatio 101
Caroli V. uictoria in Africa 297
ad Carolũ Hugeliũ 324
Carolouicius 297
Carus Imp. 386 (463
ad Caſparum Campanũ
Caſparis Campani Epitaphium 354
Catechiſmus Micylli 484
Cellenſes thermæ 217
ad Cellarium 470
Charites Theocriti, conuerſæ 447
Chẽburgi deſcriptio 192
in Chiliani nuptias 454
in Chleuaſten 431
Chriſti deſcriptio 179. 477. 478
in Chriſti iudicium 312
in Chriſti natalem 508
ad Chriſtum precatio 504. 505
Chriſtiani Egenolphi Epitaphium 358
Ciſioianus Micylli 307
Ciſneri Epiſtola 70
Claudius Imp. 385
Coliſamius 205
in Collegium ſacerdotum Ferdinandi 457
Cometæ deſcriptio 275
Comitis Thomæ à Rheno Epithaphium 340
Comitis Bernhardi à Solms Epitaph. 340
Comitis Palatini Philippi Epitaphium 341
Comitis Palatini Friderici Epitaph. 344
Comitis ab Hanauu Epitaphium 345
Comitianus 197
Confide, & ama: carmine redditum 322
Coniugij inſtitutio 178
Coniugij cõmendatio 155
Conradus I. Imp. 412
Conradus II. Imp. 414
Conradus IIII. Imp. 416
Conradinus, Conradi filius, Imperator 416
Conſolatio ad Paulum Ciſnerum 72
Conſolatio ad Arnold. Ob-

Obſop. 88
Conſolatio ad animũ ſuum 324
Conſtans Imp. 389
Conſtans Orientis Imperator 395
Conſtantinus Chlorus Imperator 387
Cõſtantinus M. Imp. 388
Conſtãtinus Iunior Imperator 389
Conſtantius Imp. 389
Conſtantinus Heraclij Imperator 395
Conſtantinus Pogonatus Imperator 395
Cõſtantinus Copronymus Imperator 397
Conſtantinus Leonis, Imperator 398
Conſtantinus philoſophi fil. Imperator 401
Conſtantinus Baſilij frater Imp. 402
Conſtantinus Monomachus Imperator 403
Conſtantinus Ducas Imperator 404
Cõſtantinus ult. Imp. 410
Conſtantinopolis capta 410
CONVERSA EX Græcis, uidelicet:
Athenæo 286. 287
Callimacho 288
Epigrãmatis græcis 288. 289. 290
Ioã. Cortoboſci Epit. 335
Odyſſeæ lib. Σ. 1. 18. 380. 443.
Theocrito 445. 447
Euripide 454
Cordi laus 54
Creatiõis deſcriptio 229
ad Criſpum 56
Cubæ oppidi commendatio 168
Cupidinis deſcriptio quædam 167. 169
in Cupidinem furem melos 428
Cyclopædiæ deſcriptio. 138. 142. 204.
D.
Dalmatius Imp. 389
Decalogus 486

Decij Impp. 384
DESCRIPTIO.
Rubeti Vitebergenſis 4
Moſellæ 12
Heidelbergæ 18.20
Arcis Konigſtein 36
Argentinæ 58.135
Erdfordiæ 59
Seligenſtadij 64
Brettæ 141
Frundeci arcis 151
Spiræ urbis 156
Chemburgi oppidi 192
Chriſti Domini 179. 477.478
Autumni 252
Cometæ 275
D. Desleri coniugis Epitaphium 337
ad Deum Patrem precatio 499.500.502.503
Dies et nox Athenæi 287
Dilectio & Fides 322
Diocletianus Imp. 387
Diuitiarum uſus 448
Dominica precatio 484
in Donatum Mercurij Morshemeri 292
in Dorotheæ F. C. Pal. cõiugis imaginẽ 456
E.
in Eclogas Virgilij προοχαὶ 283
Eckersbergi deſcri. 200
Elegia in nuptias Sebaſt. Meichsneri 184
Elizabethæ laus 210
Elsfeldum 214
Eobani Heßi laus 27.203
in Eobani Heßi Epiſtolas Epigramma 282
in Eobani Heßi Iliada Epigram. 282
ad Eobanum Heſſum 420 422
EPICEDION.
Neſeni 1
Moſellani 10
Grinæi 25
Ioan. Reiffenſtein 33
Eobani Heßi 41
Vxoris Gertrudis 57
Epigrã. de Cæſarib. 381
Epigramma in Epicedion uxoris 327
ex Epigrammatis græcis conuer

conuerſa 288
EPIST. Micylli ad
Phil. Melanthonem 16
Georgiũ Reiffenſtein 32
Erhardum Criſpum 56
Adamũ Vuernherũ 147
Philippũ Haleſium 249
Ioan. Mercurium Morſemium 351
Georgium Comitem Erbacen. 579
Eoban. Heſſum 420. 422
Epiſtola Phil. Melant. ad Iuſtinianum ab Holtzhuſen. 186
Epiſtola Nic. Ciſneri ad fratrem 70
EPITAPH.
Vxoris ſuæ 58
Liberorum ſuorum defunctorum 327
Balthaſaris Artocopi 329
Philippi à Furſtenberg 329. 377
Eobani Heßi cõiugũ 330
D. Hieron. Agnini 330
Guilielmi Reiffen. 332
Ioan. Reiffenſt. 334. 336
Ioan. Cortoboſci 335
Thomæ Rhyneri 335
Helenæ, uxoris D. Hartmanni 337
Annæ, coniugis D. Desleri 337
Sybillæ, uxo. Haleſij 338
Adami à Schuechenheim 339
Ioan. à Laſco 339
Thomæ Co. à Rheno 340
Bernh. Com. à Solms 340
Philippi Co. Palat. 341
Friderici Co. Palat. 344
Philip. C. ab Hanauu 345
Epiſcopi Spiren. 346
Vuigandi à Moterſpach 347
Philip. Placẽt. 347
Adami Vuernheri 347
Ioannis Hasfurtenſis 348
D. Michaelis Macci 348
D. Lucæ Hugonis 349
D. Ioannis Mylæi 352
D. Caſparis Cãpani 354
D. Stephani Rodacker 355
Ioan. Reuteri 356
Theobaldi Billicani 356
Balthaſaris Acanthij 357
Lazari Deæ 357
Barbaræ Obſopææ 358

Chriſtiani Egenolphi 358
Inſtiniani ab Holtzhuſen 359
Friderici à Rorbach 360
Iacobi Roſcij 361
Laurentij Friſæi 362
Olympiæ Gruntleranæ 363
Henrici Stolonis 364
Ioannis Stolſij 366
Vueiperti Vueiſen 368
Ioſephi Camerarij 370
Iuſti Elleri 371
Henrici Spar 372
Henrici Hærſcher 373
Amãdi ab Holtzhu. 377
D. Arnoldi à Glauberg, & ſuorum 378
Eobani Heßi 423

EPITHALAM.

Friderici Pal. Com. & Dorotheæ, &c. 109
Ioan. Friderici Saxo. Ducis 125
Sebaſtiani Hugelij 135
Stigelij 144
Adami Vuernh. à Themar 149
Arnoldi Obſopæi 166

Eraſmi laus 26.53
Erdfordiæ deſcriptio 59. 202
Euangelij ſumma 498
Euchariſtia 495
Eudotia Imperatrix 404
Euẽtuũ incertitudo 454
ex Euripide conuerſum 454

F.

Fabularũ uſus 438.439
Fabularum Aeſopi commendatio 440
De Falconibus duobus 240.244.
Fama 210
Ferdinandus Imp. 420
in Ferdinandi Colleg. ſacerd. 457
Fides & dilectio 322
in Flores Amantij 295
Florianus Imp. 386
Follicio 311

in Fon-

in Fontem Francofortenſem 294
in Fontem Heidelbergenſem 294
Fori deſcriptio 194
Fortuna quæ optima 289
in Fortunam cum horologio circumeuntē 380
Frācici incurſus tēpus 313
Franciſco Stublino 293
Francofurten. Reip. gratulatio in aduentum Caroli V. Imp. 101
Francofurti deſcriptio 216. 262
Francofurten. ſcholæ inſcriptio 292 380
Francofurti obſidio 297
Fridburgi deſcriptio 216
Fridericus I. Barbaroſſa Imp. 415
Fridericus II. Imp. 416
Fridericus Auſtriacus Imperator 418
Fridericus III. Imp. 419
Frider. C. Pal. & Dorothea, Epithal. 109
in Frid. C. Pal. imaginem 455
Friderici Co. Pal. Epitaphium 344
Io. Frider. Elect. Sax. Epitaphium 125
Friderici à Rorbach Epitaphium 360
Friſæi Epitaphium 362
Frundeci arcis deſcriptio 151
Fulda fluuius 214
Furſtenbergij laus 54
Furſtenbergij Epitaph. 329. 377

G.

Galerius armentarius Imperator 387
Galienus Imp. 385
Gallus Hoſtilianus Imperator 384
Galli aduentus in Germaniam 297
Genethliacon Phil. Melan. II. 95
ad Georgium Reiffenſtein 32
in Georgica Virgilij ϛοιχεῖα 284
Georgio Folličio 311

Georgio Ioanni Reiffen=ſtein 432
in Georgiũ, amicũ 454
ad Georgium Erbacen. Com. 579
Gertrudis uxoris Epice=dion 57
Gertrudis uxo. epitap. 58
Gerungenus 203
Gladiatorum ſimilitudo 139 (378
A. Glauburgi Epitaph.
D. Goblero 468
Gordiani Impp. 383
Grãmatices carmine ſcriptæ fragmentũ 464
Gratianus Imp. 390
Gratiarum actio 424. 435
Gratulatio in aduentum Car. V. 101
Gratulatio in Electionem Othonis Henrici Comitis Palatini 267
Grinæi Epicedion 25
Griphus ex Athenæi X. 286
Grunberga 215
Guilielmi Reiffenſtein Epitaphium 332
Gunterus Imp. 418

H.

ad D. Haleſium epiſtola 249
D. Haleſij uxoris Epitaphium 338
D. Hartmanno Hartmanni 460
in Hartungi Apollonium 291
V. Hasfurtenſis Epitaphium 348
Heidelbergæ deſcriptio 18. 20. 167. 275
Heidelberga peſte uexata 321
Heidelbergenſis arcis cõflagratio 216
Heidelbergẽſis fontis Lycei Epigramma 294
Heidelbergen. tintinnabuli inſcriptio 306
in Heidelbergenſis ſimij mortem 375
Helenæ, D. Hartm. coniugis Epitaphium 337

ad Heni-

ad Heniochum 312
Henricus Balduini frater Imp. 407
Henricus I. Auceps Imperator 412
Henricus II. qui et Claudius Imperator 413
Henricus III. Niger, Imperator 414
Henricus IIII. Imperator 414
Henricus V. Imp. 414
Henricus VI. Barbaroſſæ F. Imp. 415
Henricus Lantgrauius Imperator 416
Henricus VII. Imperator 418
Henrici Ducis Brunſ. expulſio 297
Henrici Stolonis Epitaphium 364
Henrichi Spar Epitaphium 372
Henrichi Harſcher Epitaphium 373
Heraclius Imp. 394
Herbipolis deſcrip. 161
Herciniæ ſyluæ deſcriptio, in Haſſia 210
Hersfeldi deſcr. 214
Heſſi coniugum Epitaphium 330
Heſſi laus 203. 240. 421
Hieronymi Agnini Epitaphium 320
in Hieronymi Agnini tericulam 318
Hirsburgi deſcrip. 214
Hodæporicō Micylli 191
in Holtzhuſanum ſuburbanum 293
Holtzhuſ. Epitaphium 359 377
ex Homeri Odyſſ. Σ. conuerſum 443
Hominum ſecuritas 443
Honorius Imp 391
Hoſtilianus Imp. 384
Hugelij Epithalamiū 135
ad Hugelium 324
Hugoni Babeto 318
Hugonis Epitaph. 349
Huguicus 196
de Humani generis lapſu & reparatione 477

I.

Iacobo F. 465
Iacobi Roſcij Epitap. 361
Iano Obſidiano 319
in Imaginem Frid. Com. Pal. 455
in Imaginem Dorotheæ Coniugis Fr. 456
ImperatoresRomani 381
Imp. græci 393. 398. 408
Impp. Gallici Conſtantinop. 407
Impp. Germanici 410
Impp. poſt Sueuicos Principes 417
Inſcriptiones 292. 293. 294. 300. 306. 312. 380. 429. 454. &c.
Interceßio Micylli pro quodam 464
Inuidia 289. & in Apelle
ad Ioachimum Camerarium 205. 420
Ioachimi laus 421. 422
Ioan. Zimiſces Imp. 401
Ioã. Caloianes Imp. 405
Ioannes Catacuzenus Imper. 409
Ioannes Paleologus Imperator 409
Ioannes Manuelis fil. Imperator 410
Ioannis Frid. duc. Sax. Epithal. 25
in Ioann. Frid. II. nuptias 323
Ioannis Reiffenſtein Epicedion 33
Ioannis Reiffenſtein Epitaph. 334. 336
Ioanni Philoto 321
Ioannis Cortoboſci Epitaphium 335
Ioan. à Laſco Epit. 339
Ioã. Haſiur. Epitap. 348.
Ioan. Mylæi Epitap. 352
Ioan. Reuteri Epita. 356
Ioannis Stolſij Epita. 366
ad Ioã. Reiffenſtein. 426
Ioanni Mercurio Morſhemio 351. 469
ad Ioannẽ Cellariũ 470
Ioannes Baptiſta 490
Ioſephi Camerarij Epitaphium 370
Iouianus Imp. 390

Iouis

Iouis & Saturni regnorum comparatio 195
Irene Imperatrix 398
Iſacius Comnenus Imperator 404
Iſacius Angelus 406
Iſenaci deſcriptio 210
Italiæ deſcriptio 280
Iudæorum ſchola Heidelbergæ 305 (312
in Iudicis imaginem &c.
in Iudicium Salomõis 312
in Iudicium Chriſti 312
Iulianus Imp. 390
de Iuris ſtudio, & Iureconſ. 21.139.168.169
Iuſti Elleri Epitaph. 371.
ad Iuſtum 432
Iuſtinus Thrax Imp. 393
Iuſtinus minor Imp. 394
Iuſtinianus Imp. 393
Iuſtinianus Pogonati fil. Imp. 396
ad Iuſtinia. ab Holtzhuſ. P. Melant. 186
in Iuſtinia. Holtzhuſ. ſuburbanum 293
Iuſtiniani ab Holtzhuſen. Epitaph. 359
D. Iuſtino Goblero 468
Iuuenci deſcriptio 253

K.

Konigſtein arcis deſcriptio 36

L.

Laÿ proles 289
Langius 205
de Lapſu & reparatione huma. generis 427
Laſcani Epitaphiũ 339
Laurentÿ Friſæi Epitaphium 362
Lazari Deæ Epitaphium 357
Legis ſumma 332.496
Lemnÿ uituperatio 50
Leo aureus 288
Leo Imp. 392
Leo ſeu Leontius Imperator 396
Leo Iſaurus Imp. 397
Leo Cõſtantini Imp. 397
Leo Armenius Imp. 399
Leo Baſilÿ imp. 400
Libidinis pœna 289
Licinius Valerianus imperator 384
Licinius imp. 388

Lipſiæ deſcriptio 194
Literarum & ueræ religionis laus 271
Lotharius Imperator 411
Lotharius Saxo Imperator 414
Lucæ Hugonis Epitaphium 349
Luc. Verus Imp. 382
Ludouicus Pius Imp. 411
Ludouicus II. Imperator 411
Ludouicus Balbus Imperator 411
Ludouicus III. Imp. 412
Ludouicus Bauarus Imperator 418
Ludouicus Palat. Comes 221
Ludouici Viuis laus 54
in Lyceum fontem 294

M.

Magdeburgi obſidio 314
in Magiſterij gradus ornamenta 458
Magnentius Imp. 389
de Malleo potorio 303
Manuel Imp. 405
Manuel II. Imp. 409
S. Marci dies 218
Marcus Imp. 382
Martianus Imp. 392
Martina Imperatrix 395
Mauritius Cappadox Imperator 394
Mauritij & Alberti Marchionis pugna 307
Maxentius Imp. 388
Maximianus Imperator 387. 388
Maximilianus Imp. 420
Maximini Impp. 389
Maximus Imp. 383
Mechtildis Minſingeræ Epithala. 149
Megobacchus 203 (184
in Meichſneri nuptias
ad Melanthonem epiſtola 16
Melburgi arcis deſcriptio 208
de Menalca 314
Menus 208
Menſium ſingulorum ſigna cœleſtia 311

in Men-

in Mercurij Morshemij Donatum 292
Mercurio Morshemio 451.469
Micalus 204.205 (420
ad Micalum Rotingum
Michael Curoplates Imperator 399
Michael Traulus Im. 399
Michael Theophili Imperator 400
Michael Paphlago Imperator 402
Michael Calaphates Imperator 403
Michael ſenior Imp. 403
Michael Parapinaceus Imp. 404
Michael Paleologus Imrator 408
Michaelis Macci Epitaphium 348
Micylli ſigillum 16
Micylli affectus erga poeſin 23
Micylli cognomen 24
MICYLLI VXoris Epicedion 57
Epitaphium 68.326
Obitus, ad Muſam 325
Micylli querela ad uxorem defunctam 69
Micylli conſolatio 324
Micylli patria 58
Micylli uita 58
Micylli Hodæporicõ 191
Micyllus cur parua opuſcula ſcribat 314
Micylli liberorum defunctorum Epitaphia 327
Miſericordia 289
Mittẽ uuir im lebẽ ſind, carmine redditũ 503
Monaſterij captiuitas 297
Mons omnium ſanctorũ iuxta Heidelberg 220
Moſellæ deſcriptio 13
Moſellani Epicedion 10
Moterſpachi Epit. 347
Moyſes 305
de Mulorum oneribus ænigma 291
Mumpſimus, iocus 315
de Mundi calamitatibus querela 82

Muſa 205
Muſa 452
Ioanni Myleo 280

IOAN. MYLEI
προπεμπτικόν 281
Epitaphium 352

N.

in Naſſauienſis comitis ſcyphum ſeptigeminum 301
in Natalem Chriſti 508
Nauburgi deſcriptio 199
Neidardus 211
Neſeni Epicedion 1
Nicephorus Imp. 398
Nicephorus Phocas Imperator 401
Nicephorus Botoniates 405
Nicolai Ciſneri Epiſtola 70
ad Nicolaum, de nomine eius 306
ad Nicolaum Kypſelidam 306
Νῦ̣ͅθηνα, γλαῦξ 453
in Nomiſmatum turricu-lam Otthonis Henrici Com. Palat. 315
Noribergæ laus 48
Noſſenus 203
Nox & dies Athenæi 287
Numeralia carmina Micylli 296.307.313.346
Numerianus Imp. 386
In Nuptias Chiliani 454

O.

Obſidiano 319
Obſidio Francofurtenſis urbis 297
ad Obſopæũ cõſolatio 88
Obſopæi προπεμπτικόν 175
Obſopæi primogenitæ Epitaphium 358
de officio uxoris 236. 300
ad Olympiam 319
Olympiæ Epitaphium 363
Otho magnus imperator 413
Otho ſecundus, imperator 413

Otho III. Imperator 413
Otho IIII. Imperator 415
in Othonis Henrici turri calam numiſmatū 315
in Othonis Henr. Electionem in Palat. Electorem 267

P.

pro Pace precatio 503. 505 508
Pallas aurea 288
Paradiſi deſcrip. 80.91
ad Paulum Eberum conſolatio 72. (507
pro peſtis precatio 502
Pecunia 453 (502
Perga in Haſsia 211
Periochæ in Eclogas Virgilij
in Georgica
in libros Aeneidos 283
de Peſtis ſæuitia Heidelbergæ 321
pro Peſte auertenda precatio 500 503
Petrus Antiſiodoren. Imperator 407
Petri Moſellani Epic.10.
ad Pingeum 435
Philippi Impp. 384
Philippus imp. 396
Philip. German. Imp. 415
Philippi Com. Palat. epitaphium 341
Philippi Comitis ab Hanauu Epitaphiū 345
Philippi Landgr. laus 213
ad Philippum Melanth. epiſtola 16
Philip. Melanthonis laus 142.204
Phil. Melant. ad Iuſti. ab Holtzhuſen 186
Philip. Melātho. τοῦ σοῦ Genethliacon 95
Philippi Furſtenbergij laus 54
Philippi Furſtēbergij Epitaphium 329.377
ad Philippum Haleſium Epiſtola 249
Phil. Haleſ. uxoris Epitaphium 338
Philippi Placentini epitaphium 347
ad Phil. Iuſti filium 434.

ooo

Philisto 321
Phoca Imp. 394
Plato 138
Pluuioſi aeris deſcri. 192
In Poculũ Vuagemanni, ex Iuniperi trunco 382
Poenitentia 490
Poeſeos Laus 433. 434. 450. 453
Puella bonis quomodo qs fiat 413 (410
Poetæ pauci boni ſunt
de Poetarum contemptu 447
ad Polyphemum 314
Populi & Buxi contentio 245
de Porurio malleo 303
PRECATIO Dominica 484. ad Deũ Patrem 499 500. 502. 503
pro Peſte auertẽda 500. 503. pro peccatis 502. 507. pro Pace 503 505. 508. ad Chriſtum 504. 506 507. ad Spiritũ ſanctum 509. matutina 510. ueſpertina 510. ante cibũ 510. poſt cibum 511
Probus Imp. 386
Procus 203
Prologus in Andriã 438.
Adriphos 439
[illegible] Obſo- pui 175 192
Pſalmi [illegible] redditi
Pſalmorũ dedicatio 470
Pupienus Imp. 363

Q.

ad Quendam 464
Querela de Barbarie 12. 426. de ſua Fortuna 471. de Calamitatibus huius mundi 83. de Poetarum contemptu 447. ad uxorem 69
Quintilius Imp. 385

R.

ad Regem 462
ad Regni conſortes 462
ad Reiſſenſtenũ epiſt. 32
Reiſſenſtem Epicedium 33
Reiſſenſteni Epitaphium 232. 334. 336 (432
ad Reiſſenſtenum 426

Rei

Religionis nouæ & literarum laus 271
Rhenenſis agri deſcriptio 253
de Reparatione humani generis 477
Reſurrectionis quædã deſcriptio 75. 92
pro Reſurrectione læta precatio 504
Reuteri Epitaph. 356
Robertus Imp. 408
Rodolphus Imp. 417
D. Rodackeri Epita. 315
Romæ captæ annus 296
Romæ captiuitatis deſcriptio 427
Romanus Lecapenus Imperator 401
Roman. Iunior Imp. 401
Romanus Argyropylus Imperator 402
Romanus Diogenes Imperator 404
Rorbacchi Epitap. 360
Roſcij Epitaphium 361
Rubeti Vitebergen. deſcriptio 4
Rupilaus 209
Rupertus Imp. 419
Ruperti Palat. laus 220
Ruſticanæ ſeditionis annus 296

S.

Seculi Saturni deſcriptio 195 275
Seculi præſentis calamitates 82
Sagittarij ludi deſcriptio 252. 318
in Salomõis iudicium 312
Salutatio Angelica 484
in Sapientiam 455
in Scholam Francofurtenſem 292. 380
Schuecchenhemi Epitaphium 338
de ſcripto ſurrepto 425
in Scyphum Septigemini Co à Naſſauu 301
Sebaſtiani Hugelij Epithal. 125
in Sebaſtiani Meichſneri nuptias 184
Seditionis ruſticanæ annus 296

Seligenſtadij deſcriptio 64
Septenarius numerus 301. 302
Alex. Seuerus Imp. 382
Seuerus Imp. 388
Sigillum Micylli 16
Sigiſmundus Imp. 419.
Signa cœleſtia ſingulorũ menſium 311 (375
in Simij Heidelber. mortẽ
Simonis Grinæi Epicedium 25
Solmenſis arcis deſcriptio 215
in Sophoclis prælectionem 304
Spari Epitaphium 372
Sphyngis ænigma 389
Spiræ urbis deſcriptio 156. 171
Spirenſi templo inſcriptum 300
Spiren. tintinnabuli horarij inſcriptio 306
Spiren. Epiſcopi Epitaphium 346
ad Spũm S. precatio 509
Stauratius Imp. 399
D. Stephani Rodackeri Epitaphium 355
ad Stephanum Zirlerum 424
Sugelij Epithal. 144.
Stolonis Epitaph. 364.
Stolſij Epitap. 366
Stublino 293
in Suburbanum Holtzhuſanum 293
Sybillæ Haleſij uxoris epitaphium 328
Sylua Sylinga 211
Symbolum Apoſtolicum 485

T.

Tacitus Imp. 386
Tauri deſcriptio 253
Temporis uis 455
Teſtudinis Muſici inſtru. commendatio 313
Themarẽſis Epithal. 149
Themarẽſis Epitap. 347
Theobaldi Billicani Epitaph. 356
Theocriti Idyllion IX. cõuerſum 445

Theocriti Cha-

Theocriti Charites conuerſæ 447
Theodora & Zoe Impp. 400 403
Theodoſius magnus Imperator 391
Theodoſius Iunior Imperator 392
Theodoſius Atramytenus Imperator 397
Theophilus Imp. 399
Thermæ Cellenſes 217
Thomæ Com. à Rhello epitaphium 340
Thomæ Rhyneri Epitaphium 335
Tiberius Imp. 394
Tiberius, aliâs Abſymarus Imp. 396
Tintinnabuli Heidelbergen. inſcr. 306
Tintinnabuli Spirẽ. hor. inſcri. 306
Toxeuticon 252
Turca Viennam obſedit 296
in Turriculam nomiſmatum Othonis Henrici Com. Palat. 3[illegible]5
in Turriculã nomiſ. Henr. Agni. 3[illegible]8

V.

Valens Imp. 390
Valentinianus Imp. 390
Valentinianus Iunior Imperator 391
Valentinianus III. Imperator 392
Lic. Valerianus Imperator 384
Vaticinium de Argentinen. Eccleſia 450
Venetiæ 250
Veni ſancte &c. carmine redditum 509
Veris deſcriptio 217
Verus Imp. 382
Victoria Caroli V. in Africa 297
Vienna obſeſſa à Turca 296
Vierra fluuius 211
in Virgilij libros περιοχαί 283
Vitæ breuitas 453
Vitæ cœleſtis deſcri. 89. 91 &c.

Vuiſlaus 54
Vmbra Athenæi 287
Voluſianus Imp. 384
Vrbanus 203
Vrſini laus 54
in Vuagēmanni poſtillam ex iunipero 302
Vueiperti Vuriſen Epitaphium 365
Vuenceslaus Imp. 418
Vemherorū familia 157
Vuigandi à Morerſpach Epitaph. 347
Vuilhelmus Com. Batauiæ Imp. 416
Vuilhelmi Neſeni Epicedion 1
de Vxoris officio 236. 300
ad Vxorem 465

Z.

Zeno Imp. 392
ad Zirlerum 424
Zoë & Theodora Impp. 403
Zuinglij mors 296.

LOCI SCRIPTVRæ carmine redditi.

Geneſ. 2. creatio fœminæ &c. 178
Exo 20 Decalogus 486
Pſalmus I 512
II 513
III 515
IIII 516
IX 519
X 521
XII 524
XXIIII 525
XLIII 527
LII 528
LXVII 530
LXVIII 531
LXIX 534
CIII 539
CX 542
CXI 547
CXIII 548
CXVII 550
CXIX 550
CXXV 564
CXXVIII 181
CXXIX 566

CCXXI 567
CCXXII 568
CCXXIII 570
CCXXIIII 572
Matthaei 3. Poenitentia 490
Matthaei 6 Precatio Dominica 484
Matthaei 22 Summa legis 496
Marci 16 Baptiſmi inſtitutio 494
Lucae 1 Salutatio angelica 484
Ioannis 2 nuptiae in Cana 179
Ioannis 3 ſumma Euangelij 498
Ioannis 6 ſumma Euangelij 498
1. Corinth. 11 Euchariſtia 495.

Corrigenda.

Fac.7.uerſu.7 lege, ullis
Fac 8.uer 8 lege, lachrymas
Fac.15. uerſu 5 lege, tum
Fac.71.uerſu 23. lege, & artis
Fac.74. uerſu penult lege ſolidiſſ
Fac.90.uerſu 14 lege, [illegible]
Fac.98.uerſu 14.lege, citharaeq; lyraeq;
Fac.104.uer 10.lege, [illegible]
Fac.118.uer 2.lege, pulſa è
Fac 121 uer 3 lege, exonerat
Fac.124 uer.7 lege, tempora
Fac.130 uer.14 lege, tuto
Fac.[illegible] uer.21 lege, flumine
Ibidem uer. 25. lege, nimis
Fac.142.uer.2 lege [illegible]
Fac.161.uer penult.lege, [illegible]

Fac.[illegible].uer.3.lege, & è

Fac.[illegible].uer.[illegible].lege, Himeniæ

Fac.2[illegible]0.uer.3.lege, moderantur

Fac.[illegible]71.uer.15.lege, uetuitis

Fac.274.uer.16.lege, Tanto, & uer.24.lege, imitabant

Fac.275.uer.12.lege, agglomerat

Fac.309.uer.10.lege, Laure

Fac.3[illegible].uer.ult.lege, Laodamia

Fac.3[illegible].uer.12.lege, Hac

Fac.3[illegible].uer.penult.lege, CONSTANTIVS.

Fac.403.uer.sexto.lege, THEODORA. & uer.11.lege, MONOMACHVS.

Fac.439.uer.[illegible].lege, uero, & uer.16.lege, magni, &

Fac.446.uer.ult.lege, fauebit.

Fac.461.uer.25.lege, duas.

Fac.477.uer.4.lege, ad

Fac.502.uer.13.lege, per

Fac.5[illegible].uer.14.lege, hominumq;

Fac.[illegible].uer.[illegible].lege, Atq;.

Iacobi Micylli
SYLVARVM LIBER PRIMVS.

EPICEDION IN MORTEM VVILHELMI Neſeni.

DEſine flebilibus ſuperos urgere querelis,
O quondam uitæ ſumma Philippe meæ.
Deſine, nil lachrymæ, laniataq́; pectora proſunt,
Nil curant hominum ferrea fata preces.
Lanificæ poſtq̃ ruperunt fila ſorores,
Et ſemel infernas umbra ſubiuit aquas.
Omne iter ad ſuperas manet irremeabile ſedes,
Præcluſæ dura ſtant adamante uiæ.
Hircanæ Tigres citius fuluæq́; leænæ,
Quàm Dea de ſocijs flectitur una tribus.
Ipſe ego dum medio merſarer gurgite ſenſi
Deprimere immites heu mea colla manus.
Et ſæuis Lacheſin digitis incidere fila,

Et ſatis hoc noſtrum dicere creuit opus.
O duros animos, ô corda immota deorum,
Sic quoq; cæleſtes aſperat ira manus?
Quid merui infælix, quæ crimina tanta peregi?
Vt peteret noſtrum tam fera pœna caput?
Non ego terrigenis iunxi cum fratribus arma,
Vt premerem magnos obſidione deos.
Non ego deieci ſacratas impius aras,
Nec mea decepit perfida lingua fidem.
Scilicet hæc referunt uigilatæ præmia noctes,
Et ſtudijs merces ſoluitur iſta meis.
O tu quæ noſtro luxiſti prima ſub ortu,
Vltima cur eadem non mihi facta dies?
Tunc ego debueram pallenti occumbere morti,
Infauſto preſſi cum pede natus humum.
Tūc mea debuerant abrumpere ſtamina Parcæ,
Non eſſem Albiacis nunc data præda uadis.
Albi Bohemorum gelidis qui ſaltibus ortus,
Curſibus Arctoum tendis in Oceanum.
Inuide ſola tuæ deerant mea funera laudi?
Eq; mea creſcent nomina morte tua?
Et nunc egregij iactetur fama laboris?
Flumine Neſenus merſus in Albiaco?
Falleris, haud iſtis augetur gloria factis,
Conſeruaſſe decet, perdere quiſq; poteſt.
Si, niſi de noſtra creſcat tibi perfide, morte,
Gloria parua tua eſt, gloria parua tua eſt.

Xanthus

Xanthus in aduerſos direxit cornua diuos,
Obſtitit & flammis Mulciber ille tuis.
Sed patriæ officium, ut debebat præſtitit illud,
Inq́; hoſtes ſolum ſæuijt ipſe ſuos.
Preßit & Alciden tumidis Achelous in undis,
Et miſti, uires ſenſit uterq; ſuas.
Sed pro formoſa ſuſcepta eſt coniuge pugna,
Traxit amatores Deianira uiros.
At mea quæ culpa eſt, aut quo te crimine læſi?
Obrueres noſtrum cur uiolente caput?
Num tua uindicibus repreſsi flumina flammis?
Num uolui curſus ipſe tenere tuos?
Scilicet hæc ſemper fuit, hæc tua cura, maligne,
Omnia crudeli ſternere perfidia.
Nec mihi nunc primo rapuiſti peßime uitam,
Ah dedit innumeros alueus iſte neci.
Ipſe etiam teneras proſternis flumine fruges,
Et nondum natas inuide perdis opes.
Heu quoties uidi longos uaſtare labores,
Et tua ſub gelidos flumina ferre polos.
Heu quoties lachrymas deceptus fudit arator,
Deuouitq́; tuas, dira precatus, aquas.
Quin etiam fama eſt te certos poſcere cenſus,
Humanaq́; undas morte piare tuas.
Ah cur non timui, cur non tua flumina fugi?
Hæc fama eſt noſtro reddita certa malo.
Ergo ego nunc iaceo fulua proiectus arena,

Albiacæ noſtra morte piantur aquæ.
Quid nunc ingenium, muſaſq; habuiſſe benignas?
Quid uarias artes edidiciſſe iuuat?
Quid nunc externas toties uolitaſſe per oras?
Quid iuuat in duro ſecubuiſſe ſolo?
Ecce tot inſomnes noctes, tantoſq; labores
Obruit Albiaci uilis arena ſoli.
Et quibus ipſe frui uenturos debui in annos,
Vnica momento ſuſtulit hora breui.
Heu cæcas hominum mentes, pariterq; futuri
Neſcia corda boni, neſcia corda mali.
Quæ iam non oculis, ſiue hæc oſtenta Deorum,
Somnia ſeu dicas, obuia facta meis?
Queis mea terreri, ſi non malè cæca fuiſſent,
A diris poterant pectora remigijs.
Aeſtus erat, mediumq; dies exegerat axem,
Septima ſupremam quæ fuit ante diem.
Innixus ſolio uacuo ſub limine ſedi,
Cùm ſubito inuaſit lumina feſſa ſopor.
Eſt locus in modicos quà flectitur alueus arcus,
Hîc iterum iunctas excipit Albis aquas.
Vltima populea præcingitur arbore ripa,
Inſula qua longo clauditur acta ſinu.
Hîc iuuenum turbæ, feſſos cum Sirius agros
Igne premit, fluidis membra lauantur aquis.
Parua ſub extremo pendebat margine cymba,
Cymba ſecuturi triſtis origo mali.

Hæ

Hac fluuium comites mecum tranare ſolebant,
Tempore quo feſſos ſol religabat equos.
Semoti à turba, quoties aut corpora uellent
Abluere, aut æſtus pellere ſæuitiam.
Hanc iterum ſomno tunc inſcendiſſe uidebar,
Et ſolito liquidas more ſecare uias.
Iamq; etiã medium currebat cymba per Albim,
Tutaq; dum placidas deſpiciebat aquas.
Ipſe gubernator curſus remosq; regebam,
Exiguæ magnus nauita puppis eram.
Sic prius Hæmoniã Typhis puto rexerat Argo,
Nauita Troianus ſic Palinurus erat.
Ah me debuerant illorum fata mouere,
Sic iacet externo tectus uterq; ſolo,
Sed ratis aduerſam cum iam prope tãgeret orã,
Nec tanti caſus iam timor ullus erat.
Tunc primum dubios uertit dea lubrica uultus,
Incuſſitq; leues plus leuis ipſa rotas.
Ingens truncus erat, cæcis abſtruſus in undis,
Sed decreſcentes tunc ſuperabat aquas.
Hanc Genio, fama eſt, ſedem ſeruire uetuſto,
Ipſa loci facies relligioſa iacet,
Arboribus denſis fluuio nemus imminet atrum,
Vorticibus crebris unda rotata fremit.
Haud quisq̃ celeres appellit nauta carinas,
Impulit huc noſtram Parca maligna ratem.
Hic igitur ſubito correpta uortice naui

Excuſſit miſerum prora reuulſa ducem.
Ipſe relabentes pronus deuoluor in undas,
Mecum unà remi remigiumq́; cadit.
Stant ſocij attoniti fœdantes unguibus ora,
Ora tuis Albi pallidiora uadis.
Hei mihi tum quales animi per ſæua natanti
Flumina, quæ facies, quis color oris erat?
Ac ueluti ingenti perfoſſus pectora telo
Exilit Elæo gramine uictor equus.
Et furit, & rapido præceps ruit undiq́; curſu,
Donec ab exhauſto corpore uita fluat.
Sic ego tum ſæui correptus fluctibus Albis,
Mille reluctabar mors tibi dira modis.
Ter uolui fragilem rurſus deprendere nauim,
Ter fera conatus reppulit unda meos.
Vndiq́; me fluctus urgebant, undiq́; fata,
Iam bibere immenſas ore uidebar aquas.
Tum uero ſocios, & opem clamare parantem,
Deſtituit fugiens lumina aperta Deus.
Sed mihi tunc ſomno mœſta apparebat imago,
Securum ſuperos hæc monuiſſe puto.
Ceu quoq; cum læuo reſidentes culmine coruos
Heſſiacis uidi dira ſonare iugis.
Sed neq; cæleſtū monita, ulláue ſomnia proſunt,
Iniicit immites cum fera Parca manus.
Aeacides fuerat factis & ſanguine clarus,
Et quota de pelagi pars erat ille Deo.

Hunc

Hūc uenerāda parēs niueis Thetis inclyta plātis,
Hunc hominum monuit uoce locutus equus.
Sed tamen Idæas qui tot proſtrauerat urbes,
Robuſtum, qui, ingens Hectora uicit, opus,
Non potuit leges orci uitare malignas,
Atq; etiam inuitis occidit ille deis.
Vlli ſi monitis fas fata cauere Philippe eſt,
Debueram monitis fata cauere tuis.
Heu miſerum, quoties fluuium uitare iubebas,
Et graue, dicebas, hæc dabit unda malum.
Heu quoties nocuū properantē inſcēdere lēbum,
Traxiſti à liquidis ad tua tecta uadis.
At uerò incertas cuncta hæc abiere ſub auras,
Suſtulerant ſenſus tunc fera fata meos.
Et me dira Iouis deuotum noxa premebat,
Miſſaq; de Stygio ſæua Megera lacu.
Ergo peregrino iaceo Neſenus in orbe,
Albis habet cineres Saxonis unda meos.
Viſaq; per tacitam nuper portenta quietem,
Somnia ſtant noſtra reddita uera nece.
Paſce animos, iramq; tuam, mors inuida paſce,
Et ſatient oculos funera noſtra tuos.
Nec tibi ſi ſatis eſt, iſtis periiſſe ſub undis,
Hic etiam reſtant fulmina, tela, faces.
O dubiis hominum fortuna obnoxia fatis,
O ſpes externis irrita facta malis.
Quis tibi nunc longæue pater, quis nuncius ibit

Vnde tua hanc noſcet cana ſenecta necem?
Non mea iam fortuna mihi, non uana laborum
Spes dolet, aut ſtudij præmia nulla mei.
Cuncta ea cum rapta referat mors dura iuuenta,
Inſultetq; umbris, ſi ualet, illa meis.
Tu mihi chare pater, tu noſtri ſumma doloris,
Te mala longæuum tanta uidere ſenem.
Heu mihi iam lachrymis, percuſſaq; pectora pal (mis
Aſpicio, & fœdas ungue notante genas.
Iam quoq; te crines uideo turbare ſeniles,
Multaq; languenti talia uoce queri.
At non hæc abiens de te ſperare iubebas
O nimium diris nate perempte modis.
Qui fueras noſtræ ſolatia longa ſenectæ,
Qui mihi triſticiæ mite leuamen eras (ris?
Túne igitur patrijs procul hinc extinctus ab o-
Noſtraq; nunc tecum ſpes bona, falſa iacet?
An ſemel afflictos ſemper ſors puniet atra?
Eſtq; aliquis iuſtus qui uidet iſta Deus?
Prima mihi duro tranſacta eſt uita labore,
Quot uidi miſeros heu miſer ipſe dies?
Dum te chare puer, dum paruos educo fratres,
Dum gero nō magnæ pondera magna domus.
Heu quoties nondum tenuit mea lumina ſomnus,
Cum lux Eois altera adeſſet equis.
Heu quoties Phœbus repetiuerat aureus undas,
Guſtaſſem nullos cum tamen ipſe cibos.

Omnia

Omnia ponebam ueſtros ignarus ad uſus
 Vobis, ſi quis erat, fertilis annus erat.
Quo mihi tot noctes uigili ſuperaſſe labore?
 Quo mihi tam longam ſæpe tuliſſe famem?
Altera decrepito prope iam mihi uiuitur ætas,
 Abſtinet à nobis mors malè lenta manus.
Et te uix ſumpta iuuenem modo ueſte uirili
 Suſtinet infandis enecuiſſe modis?
Nempe pios hominum cœleſtes cura fatigat,
 I nunc & ſurdis thura preceſq; uoue.
Iſta meæ reddunt crudelia fata ſenectæ?
 Iſta refert nobis præmia ſera dies?
Tollite dira patrem, quæ natum fata tuliſtis,
 Tollant, quæ iuuenem fata tulere, ſenem.
Talia multa pater te nunc longæue querentem
 Heu uideo, & lachrymis lumina feſſa ſuis.
Et canam informi conſperſam puluere barbam,
 Oraq; funeſtis ungue notata modis.
Heu pater & dulces dum fata dedere penates
 Sic iaceo ueſtra deſpoliatus humo?
Sic me de patrijs raptum crudeliter oris
 Externo potuit mors ſepelire ſolo?
Nec mihi poſt unquam dabitur redeũtibus annis,
 Conſuetos iterum poſſe uidere lares.
Non ego te poſthac dulcis germane uidebo?
 O mihi Theſæa frater amate fide.
Et nunc ſola mei reſtabit corporis umbra?

Quæ uolet ante oculos puluerulenta tuos.
Ergo mihi germane uale, dulcesq; ualete
Quos colui ſocios, dum mea uita fuit.
Et uos Aoniæ quondam mea numina Muſæ,
Vnicaq; ingenij cura ualete mei.
Nil mihi, nec ueſtris operatum profuit eſſe
Sacris, nil ſtudijs inuigilaſſe pijs.
Omnia cum rapta rapuit mors inuida uita,
Nil reſtat præter nomen inane mei.
Forſan & huc ueniet, qui carpet uoce malignũ.
Vt nunc ſunt plenis omnia plena malis.
Sed nunc ô animi quondam pars altera noſtri,
Nobile Pieridum chare Philippe decus.
Diſtrahimur, ſæuiq; trahunt ſub nubila Manes
Me ſua, nec tecum longius eſſe ſinunt.
Ergo dies iterum donec nos ultima iungat,
Perpetuum ſalue, perpetuumq; uale.

EPICEDION PETRI MOSELLANI.

Ergo iacet paruo tam gloria magna ſepulchro?
Et tegitur uili nobile pectus humo?
Nec tua ſperatos potuit contingere canos
Aetas, atque horam decidit ante ſuam?

Nil

Nil tua te uirtus iuuit, nil ora diſerta,
Abſtulit inuiſa mors ea cuncta manu?
Scilicet hæc oculis diuûm pater aſpicis æquis,
Hæc ſtudijs tantis præmia tanta refers.
Deſinite ô miſeri noſtrum ſpectare laborem
Lanificas aliqua flectere parte deas.
Non illas hominum nec tangit cura, nec illas,
Officia obſtringunt, nil benefacta ualent.
Aſpice qui celſis fuerat modo cognitus aſtris,
Cuius ad utrumuis nomina nota polum,
Quiq; omnes facunda in ſe conuertere lingua,
Atq; ipſum potuit flectere ſæpe Iouem.
Ille, Moſella, tuus cecidit præclarus alumnus,
Externo premitur corpus inane ſolo.
Et iam de tanto uix illud nomine reſtat,
Quod quinis digitis urna leuata capit.
Plãge omnis ſtudioſa cohors, et quotquot amatis
Pieridas, ueſtri plangite fata ducis.
Ecce pius poſita teſtudine luget Apollo,
Vadit & incultis flebilis ille comis.
Aonidum pulla ſedet omnis ueſte caterua,
Et ſignant luctus pectora ſciſſa nouos.
Non illis animum cytharæ, non carmina mulcẽt,
Aſpiciunt ſolitos haud nemora ulla choros.
Has ſed lugubres miſeranda ad funera cantus
Flebilibus dicunt concinuiſſe modis.
Fragranteſq; nouo flores ſparſiſſe ſepulchro;

Condita ſic uerſu buſta notaſſe breui.
Hoc raptus tenera ſitus eſt ætate ſepulchro
Facundæ Petrus ſplendida fama togæ.
Nec minus ingenti ſtupuiſſe Moſella dolore
Diceris, & ſurdos multa uocare deos.
Et patrias inter lachrymas effundere nymphas.
Sunt quoq; qui curſus te reuocaſſe putent.
Ceu quõdam referunt Xanthũ cùm ſanguine Teu
Illius implerent Scyria tela ſinus. (cro
Aut cum mutatos agnoſceret Inachus artus
Aſpiciens, natæ, cornua dira, ſuæ.
Creditus eſt multis curſum tenuiſſe diebus,
Et ſiccis ripas deſtituiſſe uadis.
Sic quoq; dum longo conſumis pectora luctu,
Te dicunt imo delituiſſe ſpecu.
Salue amnis nullum reticẽde Moſella per æuum,
Et curſu & placidis nobilitate uadis.
Vndanti celeres currunt tibi flumine puppes,
Multiiugo uirides piſce natantur aquæ.
Ripa tibi multo celebratur conſita Baccho,
Et fortes habitant per tua rura uiri.
Cuius & imperio debent ſua mœnia Belgæ,
Cuius aquis creſcunt cornua Rhene tua.
Salue iterum, & rapti fatum misereris alumni,
Non erat hic ueſtro gloria parua ſolo.
Nunc etiam lætam demittit Lypſia frontem,
Lypſia magnanimis illa beata uiris.

Et

Et timet infœlix huius nunc omnia fato
Ornamenta ſuæ tanta perire ſcholæ.
Aut iam quid ſupereſt illi niſi nominis umbra?
Optima cum docto quæq; abiere Petro.
Ipſe mihi uideor deſerta theatra uidere
Deſertasq; acies, & ſine caſtra duce.
Atq; iterum uano quos uectat gloria curru
Ignauas ſceptris appoſuiſſe manus.
Vt quondam ablato fatis Cicerone malignis
Curia, quæ longum præſide tuta fuit.
Aetas conſilijs peior factisq; ſubiuit,
Et cœpit ducibus Roma perire ſuis.
At tibi iam iuueni potuit, nec tale merenti
Inijcere obſcuras mors uiolenta manus?
Quæ ſenibus toties dignis perijſſe, quibuſdam
Parcit, & indignos uiuere lenta ſinit?
Illa tui potuit naſcentem carpere florem
Ingenij, & ſtudijs ſæua nocere bonis?
Quæ ſinit exortos toto nunc orbe Corœbos,
Nil non ſtultitia contemerare ſua.
Heu nimium uerè eſt, quiſquis fuit, ille locutus,
Quæq; per immenſas peßima ſtare moras.
Cùm properè pereant ipſo placitura ſub ortu
Ceu cadit in tenero candida flore roſa.
Sic tua Philacide Therſites funera uidit,
Vidit magnanimi funera miles iners.
Sic quoq; robuſti collegerat Hectoris oſſa

Fac.[illegible].uer.5 lege, & è
Fac.[illegible].uer.[illegible].lege, [illegible]
Fac.260.uer.3.lege, moder[illegible]tur
Fac.271.uer.15.lege, [illegible]
Fac.274.uer.16.lege, Tantu, & uer.24. lege, inua-
bant
Fac.275.uer.12.lege, agglomerat
Fac.309.uer.10.lege, L[illegible]ure
Fac.315 uer.ult. lege, Laodam[illegible]a
Fac.[illegible].uer.12 lege, Hæc
Fac.3[illegible].uer.penult.lege, CONSTANTIVS.
Fac.403. uer.[illegible] lege, THEODORA, &
uer.11.lege MONOMACHVS
Fac.439.uer.[illegible].lege, [illegible], & uer.16.lege, magnu, &
Fac.446.uer.ult. lege, faueb[illegible]t.
Fac.461.uer.27.lege, du[illegible].
Fac.477.uer.4.lege, ad
Fac.502.uer.13.lege, per
Fac.5[illegible].uer.14.lege, hominumq́
Fac.5[illegible].uer.[illegible].lege, Atq́.

Iacobi Micylli

SYLVARVM LIBER PRIMVS.

EPICEDION IN MORTEM VVILHELMI Neſeni.

DEſine flebilibus ſuperos urgere querelis,
O quondam uitæ ſumma Philippe meæ.
Deſine, nil lachrymæ, laniataq; pectora proſunt,
Nil curant hominum ferrea fata preces.
Lanificæ poſtq̃ ruperunt fila ſorores,
Et ſemel infernas umbra ſubiuit aquas.
Omne iter ad ſuperas manet irremeabile ſedes,
Præcluſæ dura ſtant adamante uiæ.
Hircanæ Tigres citius fuluæq; leænæ,
Quàm Dea de ſocijs flectitur una tribus.
Ipſe ego dum medio merſarer gurgite ſenſi
Deprimere immites heu mea colla manus.
Et ſæuis Lacheſin digitis incidere fila,

Et ſatis hoc noſtrum dicere creuit opus.
O duros animos, ô corda immota deorum,
Sic quoq; cæleſtes aſperat ira manus?
Quid merui infælix, quæ crimina tanta peregi?
Vt peteret noſtrum tam fera pœna caput?
Non ego terrigenis iunxi cum fratribus arma,
Vt premerem magnos obſidione deos.
Non ego deieci ſacratas impius aras,
Nec mea decepit perfida lingua fidem.
Scilicet hæc referunt uigilatæ præmia noctes,
Et ſtudijs merces ſoluitur iſta meis.
O tu quæ noſtro luxiſti prima ſub ortu,
Vltima cur eadem non mihi facta dies?
Tunc ego debueram pallenti occumbere morti,
Infauſto preſſi cum pede natus humum.
Tūc mea debuerant abrumpere ſtamina Parcæ,
Non eſſem Albiacis nunc data præda uadis.
Albi Bohemorum gelidis qui ſaltibus ortus,
Curſibus Arctoum tendis in Oceanum.
Inuide ſola tuæ deerant mea funera laudi?
Eq; mea creſcent nomina morte tua?
Et nunc egregij iactetur fama laboris?
Flumine Neſenus merſus in Albiaco?
Falleris, haud iſtis augetur gloria factis,
Conſeruaſſe decet, perdere quiſq; poteſt.
Si, niſi de noſtra creſcat tibi perfide, morte,
Gloria parua tua eſt, gloria parua tua eſt.

Xanthus

Xanthus in aduerſos direxit cornua diuos,
Obſtitit & flammis Mulciber ille tuis.
Sed patriæ officium, ut debebat præſtitit illud,
Inq; hoſtes ſolum ſæuijt ipſe ſuos.
Preſſit & Alciden tumidis Achelous in undis,
Et miſti, uires ſenſit uterq; ſuas.
Sed pro formoſa ſuſcepta eſt coniuge pugna,
Traxit amatores Deianira uiros.
At mea quæ culpa eſt, aut quo te crimine læſi?
Obrueres noſtrum cur uiolente caput?
Num tua uindicibus repreſſi flumina flammis?
Num uolui curſus ipſe tenere tuos?
Scilicet hæc ſemper fuit, hæc tua cura, maligne,
Omnia crudeli ſternere perfidia.
Nec mihi nunc primo rapuiſti peſſime uitam,
Ah dedit innumeros alueus iſte neci.
Ipſe etiam teneras proſternis flumine fruges,
Et nondum natas inuide perdis opes.
Heu quoties uidi longos uaſtare labores,
Et tua ſub gelidos flumina ferre polos.
Heu quoties lachrymas deceptus fudit arator,
Deuouitq; tuas, dira precatus, aquas.
Quin etiam fama eſt te certos poſcere cenſus,
Humanaq; undas morte piare tuas.
Ah cur non timui, cur non tua flumina fugi?
Hæc fama eſt noſtro reddita certa malo.
Ergo ego nunc iaceo fulua proiectus arena,

Albiacæ noſtra morte piantur aquæ.
Quid nunc ingenium, muſasq́; habuiſſe benignas?
Quid uarias artes edidiciſſe iuuat?
Quid nunc externas toties uolitaſſe per oras?
Quid iuuat in duro ſecubuiſſe ſolo?
Ecce tot inſomnes noctes, tantosq́; labores
Obruit Albiaci uilis arena ſoli.
Et quibus ipſe frui uenturos debui in annos,
Vnica momento ſuſtulit hora breui.
Heu cæcas hominum mentes, pariterq́; futuri
Neſcia corda boni, neſcia corda mali.
Quæ iam non oculis, ſiue hæc oſtenta Deorum,
Somnia ſeu dicas, obuia facta meis?
Queis mea terreri, ſi non malè cæca fuiſſent,
A diris poterant pectora remigijs.
Aeſtus erat, mediumq́; dies exegerat axem,
Septima ſupremam quæ fuit ante diem.
Innixus ſolio uacuo ſub limine ſedi,
Cùm ſubito inuaſit lumina feſſa ſopor.
Eſt locus in modicos quà flectitur alueus arcus,
Hîc iterum iunctas excipit Albis aquas.
Vltima populea præcingitur arbore ripa,
Inſula qua longo clauditur acta ſinu.
Hîc iuuenum turbæ, feſſos cum Sirius agros
Igne premit, fluidis membra lauantur aquis.
Parua ſub extremo pendebat margine cymba,
Cymba ſecuturi triſtis origo mali.

Hæ

Hac fluuium comites mecum tranare ſolebant,
Tempore quo feſſos ſol religabat equos.
Semoti à turba, quoties aut corpora uellent
Abluere, aut æſtus pellere ſæuitiam.
Hanc iterum ſomno tunc inſcendiſſe uidebar,
Et ſolito liquidas more ſecare uias.
Iamq́; etiã medium currebat cymba per Albim,
Tutaq́; dum placidas deſpiciebat aquas.
Ipſe gubernator curſus remosq́; regebam,
Exiguæ magnus nauita puppis eram.
Sic prius Hæmoniã Typhis puto rexerat Argo,
Nauita Troianus ſic Palinurus erat.
Ah me debuerant illorum fata mouere,
Sic iacet externo tectus uterq́; ſolo.
Sed ratis aduerſam cum iam prope tãgeret orã,
Nec tanti caſus iam timor ullus erat.
Tunc primum dubios uertit dea lubrica uultus,
Incuſsitq́; leues plus leuis ipſa rotas.
Ingens truncus erat, cæcis abſtruſus in undis,
Sed decreſcentes tunc ſuperabat aquas.
Hanc Genio, fama eſt, ſedem ſeruire uetuſto,
Ipſa loci facies relligioſa iacet,
Arboribus denſis fluuio nemus imminet atrum,
Vorticibus crebris unda rotata fremit.
Haud quisq̃ celeres appellit nauta carinas,
Impulit huc noſtram Parca maligna ratem.
Hic igitur ſubito correpta uortice naui

Excuſsit miſerum prora reuulſa ducem.
Ipſe relabentes pronus deuoluor in undas,
Mecum unà remi remigiumq; cadit.
Stant ſocij attoniti fœdantes unguibus ora,
Ora tuis Albi pallidiora uadis.
Hei mihi tum quales animi per ſæua natanti
Flumina, quæ facies, quis color oris erat?
Ac uelut ingenti perfoſſus pectora telo
Exilit Elæo gramine uictor equus.
Et furit, & rapido præceps ruit undiq; curſu,
Donec ab exhauſto corpore uita fluat.
Sic ego tum ſæui correptus fluctibus Albis,
Mille reluctabar mors tibi dira modis.
Ter uolui fragilem rurſus deprendere nauim,
Ter fera conatus reppulit unda meos.
Vndiq; me fluctus urgebant, undiq; fata,
Iam bibere immenſas ore uidebar aquas.
Tum uero ſocios, & opem clamare parantem,
Deſtituit fugiens lumina aperta Deus.
Sed mihi tunc ſomno mœſta apparebat imago,
Securum ſuperos hæc monuiſſe puto.
Ceu quoq; cum læuo reſidentes culmine coruos
Heſsiacis uidi dira ſonare iugis.
Sed neq; cæleſtũ monita, ulláue ſomnia proſunt,
Iniicit immites cum fera Parca manus.
Aeacides fuerat factis & ſanguine clarus,
Et quota de pelagi pars erat ille Deo.

Hunc

Hūc uenerāda parēs niueis Thetis inclyta plātis
Hunc hominum monuit uoce locutus equus.
Sed tamen Idæas qui tot proſtrauerat urbes,
Robuſtum, qui, ingens Hectora uicit, opus,
Non potuit leges orci uitare malignas,
Atq; etiam inuitis occidit ille deis.
Vlli ſi monitis fas fata cauere Philippe eſt,
Debueram monitis fata cauere tuis.
Heu miſerum, quoties fluuium uitare iubebas,
Et graue, dicebas, hæc dabit unda malum.
Heu quoties nocuū properantē inſcēdere lēbum,
Traxiſti à liquidis ad tua tecta uadis.
At uerò incertas cuncta hæc abiere ſub auras,
Suſtulerant ſenſus tunc fera fata meos.
Et me dira Iouis deuotum noxa premebat,
Miſſaq; de Stygio ſæua Megera lacu.
Ergo peregrino iaceo Neſenus in orbe,
Albis habet cineres Saxonis unda meos.
Viſaq; per tacitam nuper portenta quietem,
Somnia ſtant noſtra reddita uera nece.
Paſce animos, iramq; tuam, mors inuida paſce,
Et ſatient oculos funera noſtra tuos.
Nec tibi ſi ſatis eſt, iſtis perijſſe ſub undis,
Hîc etiam reſtant fulmina, tela, faces.
O dubijs hominum fortuna obnoxia fatis,
O ſpes externis irrita facta malis.
Quis tibi nunc longæue pater, quis nuncius ibit

Vnde tua hanc noſcet cana ſenecta necem.
Non mea iam fortuna mihi, non uana laborum
Spes dolet, aut ſtudij præmia nulla mei.
Cuncta ea cum rapta referat mors dura iuuenta,
Inſultetq; umbris, ſi ualet, illa meis.
Tu mihi chare pater, tu noſtri ſumma doloris,
Te mala longæuum tanta uidere ſenem.
Heu mihi iam lachrymis, percuſſaq; pectora pal
Aſpicio, & fœdas ungue notante genas. (mis
Iam quoq; te crines uideo turbare ſeniles,
Multaq; languenti talia uoce queri.
At non hæc abiens de te ſperare iubebas
O nimium diris nate perempte modis.
Qui fueras noſtræ ſolatia longa ſenectæ,
Qui mihi triſticiæ mite leuamen eras (ris?
Tune igitur patrijs procul hinc extinctus ab o-
Noſtraq; nunc tecum ſpes bona, falſa iacet?
An ſemel afflictos ſemper ſors puniet atra?
Eſtq; aliquis iuſtus qui uidet iſta Deus?
Prima mihi duro tranſacta eſt uita labore,
Quot uidi miſeros heu miſer ipſe dies?
Dum te chare puer, dum paruos educo fratres,
Dum gero nõ magnæ pondera magna domus.
Heu quoties nondum tenuit mea lumina ſomnus,
Cum lux Eois altera adeſſet equis.
Heu quoties Phœbus repetiuerat aureus undas,
Guſtaſſem nullos cum tamen ipſe cibos.

Omnia

Omnia ponebam ueſtros ignarus ad uſus
Vobis, ſi quis erat, fertilis annus erat.
Quo mihi tot noctes uigili ſuperaſſe labore?
Quo mihi tam longam ſæpe tuliſſe famem?
Altera decrepito prope iam mihi uiuitur ætas,
Abſtinet à nobis mors malè lenta manus.
Et te uix ſumpta iuuenem modo ueſte uirili
Suſtinet infandis enecuiſſe modis?
Nempe pios hominum cœleſtes cura fatigat,
I nunc & ſurdis thura preceſq; uoue.
Iſta meæ reddunt crudelia fata ſenectæ?
Iſta refert nobis præmia ſera dies?
Tollite dira patrem, quæ natum fata tuliſtis,
Tollant, quæ iuuenem fata tulere, ſenem.
Talia multa pater te nunc longæue querentem
Heu uideo, & lachrymis lumina feſſa ſuis.
Et canam informi conſperſam puluere barbam,
Oraq; funeſtis ungue notata modis.
Heu pater & dulces dum fata dedere penates
Sic iaceo ueſtra deſpoliatus humo?
Sic me de patrijs raptum crudeliter oris
Externo potuit mors ſepelire ſolo?
Nec mihi poſt unquam dabitur redeũtibus annis,
Conſuetos iterum poſſe uidere lares.
Non ego te poſthac dulcis germane uidebo?
O mihi Theſæa frater amate fide.
Et nunc ſola mei reſtabit corporis umbra?

Quæ uolet ante oculos puluerulenta tuos.
Ergo mihi germane uale, dulcesq́; ualete
Quos colui ſocios, dum mea uita fuit.
Et uos Aoniæ quondam mea numina Muſæ,
Vnicaq́; ingenij cura ualete mei.
Nil mihi, nec ueſtris operatum profuit eſſe
Sacris, nil ſtudijs inuigilaſſe pijs.
Omnia cum rapta rapuit mors inuida uita,
Nil reſtat præter nomen inane mei.
Forſan & huc ueniet, qui carpet uoce malignũ.
Vt nunc ſunt plenis omnia plena malis.
Sed nunc ô animi quondam pars altera noſtri,
Nobile Pieridum chare Philippe decus.
Diſtrahimur, ſæuiq́; trahunt ſub nubila Manes
Me ſua, nec tecum longius eſſe ſinunt.
Ergo dies iterum donec nos ultima iungat,
Perpetuum ſalue, perpetuumq́; uale.

EPICEDION PETRI MOSELLANI.

ERgo iacet paruo tam gloria magna ſepulchro?
Et tegitur uili nobile pectus humo?
Nec tua ſperatos potuit contingere canos
Aetas, atque horam decidit ante ſuam?

Nil

Nil tua te uirtus iuuit, nil ora diſerta,
Abſtulit inuiſa mors ea cuncta manu!
Scilicet hæc oculis diuûm pater aſpicis æquis,
Hæc ſtudijs tantis præmia tanta refers.
Deſinite ô miſeri noſtrum ſpectare laborem
Lanificas aliqua flectere parte deas.
Non illas hominum nec tangit cura, nec illas,
Officia obſtringunt, nil benefacta ualent.
Aſpice qui celſis fuerat modo cognitus aſtris,
Cuius ad utrumuis nomina nota polum,
Quiq; omnes facunda in ſe conuertere lingua,
Atq; ipſum potuit flectere ſæpe Iouem.
Ille, Moſella, tuus cecidit præclarus alumnus,
Externo premitur corpus inane ſolo.
Et iam de tanto uix illud nomine reſtat,
Quod quinis digitis urna leuata capit.
Plãge omnis ſtudioſa cohors, et quotquot amatis
Pieridas, ueſtri plangite fata ducis.
Ecce pius poſita teſtudine luget Apollo,
Vadit & incultis flebilis ille comis.
Aonidum pulla ſedet omnis ueſte caterua,
Et ſignant luctus pectora ſciſſa nouos.
Non illis animum cytharæ, non carmina mulcẽt,
Aſpiciunt ſolitos haud nemora ulla choros.
Has ſed lugubres miſeranda ad funera cantus
Flebilibus dicunt concinuiſſe modis.
Fragranteſq; nouo flores ſparſiſſe ſepulchro;

Condita ſic uerſu buſta notaſſe breui.
Hoc raptus tenera ſitus eſt ætate ſepulchro
Facundæ Petrus ſplendidus fama togæ.
Nec minus ingenti ſtupuiſſe Moſella dolore
Diceris, & ſurdos multa uocare deos.
Et patrias inter lachrymas effundere nymphas.
Sunt quoq; qui curſus te reuocaſſe putent.
Ceu quõdam referunt Xanthũ cùm ſanguine Teu
Illius implerent Scyria tela ſinus. (cro
Aut cum mutatos agnoſceret Inachus artus
Aſpiciens, natæ, cornua dira, ſuæ.
Creditus eſt multis curſum tenuiſſe diebus,
Et ſiccis ripas deſtituiſſe uadis.
Sic quoq; dum longo conſumis pectora luctu,
Te dicunt imo delituiſſe ſpecu.
Salue amnis nullum reticẽde Moſella per æuum,
Et curſu & placidis nobilitate uadis.
Vndanti celeres currunt tibi flumine puppes,
Multijugo uirides piſce natantur aquæ.
Ripa tibi multo celebratur conſita Baccho,
Et fortes habitant per tua rura uiri.
Cuius & imperio debent ſua mœnia Belgæ,
Cuius aquis creſcunt cornua Rhene tua.
Salue iterum, & rapti fatum miſereris alumni,
Non erat hic ueſtro gloria parua ſolo.
Nunc etiam lætam demittit Lypſia frontem,
Lypſia magnanimis illa beata uiris.

Et

Et timet infœlix huius nunc omnia fato
Ornamenta ſuæ tanta perire ſcholæ.
Aut iam quid ſupereſt illi niſi nominis umbra?
Optima cum docto quæq; abiere Petro.
Ipſe mihi uideor deſerta theatra uidere
Deſertasq; acies, & ſine caſtra duce.
Atq; iterum uano quos uectat gloria curru
Ignauas ſceptris appoſuiſſe manus.
Vt quondam ablato fatis Cicerone malignis
Curia, quæ longum præſide tuta fuit.
Aetas conſilijs peior factisq; ſubiuit,
Et cœpit ducibus Roma perire ſuis.
At tibi iam iuueni potuit, nec tale merenti
Inijcere obſcuras mors uiolenta manus?
Quæ ſenibus toties dignis perijſſe, quibuſdam
Parcit, & indignos uiuere lenta ſinit?
Illa tui potuit naſcentem carpere florem
Ingenij, & ſtudijs ſæua nocere bonis?
Quæ ſinit exortos toto nunc orbe Corœbos,
Nil non ſtultitia contemerare ſua.
Heu nimium uerè eſt, quiſquis fuit, ille locutus,
Quæq; per immenſas peßima ſtare moras.
Cum properè pereant ipſo placitura ſub ortu
Ceu cadit in tenero candida flore roſa.
Sic tua Philacide Therſites funera uidit,
Vidit magnanimi funera miles iners.
Sic quoq; robuſti collegerat Hectoris oſſa

Semiuir imberbi territus ore Paris.
Scilicet hæc magnis lata eſt ſententia diuis,
Et finis pueros & manet una ſenes.
Et quæ mortales, nunquam fugere creati,
Hæc nunc infœlix te quoq; fata trahunt.
Sed tamen ulla pijs umbris ſi præmia reſtant,
Nec planè Elyſij eſt fabula ficta ſoli.
Eſtq; aliquis iuſtis qui præſidet Aeacus urnis,
Quiq; bonis reddat præmia, quiq; malis.
Ampla tuïs certè debentur præmia factis,
Mox & in Elyſia ualle beatus eris.
Nec tua nunc alijs dicenda eſt cauſa patronis,
Ipſa tibi ſatis eſt lingua diſerta tua.
Quæ quicunq; tuas iudex modo poſtulat umbras,
Aut hoc aut ſimili dixerit ipſa modo.
Si fuit hæc ſemper præſtantior Aeace uirtus,
Quæ uenit à factis gloria nobilibus.
Nulla mihi generis memorãtur ſtemmata priſci,
Nec proauis curæ eſt annumerare Iouem.
Vilius hoc fuerit, claros iactare parentes,
Nec famam ſtudijs uelle parare bonis.
Prima mihi teſtis, teſtis poſtrema laborum
Aetas, nulla dies ocia uidit iners.
Nec mihi diuitiæ, non eſt quæſita uoluptas:
Ingenuæ Muſæ ſedula cura fuit.
Siue uoles Graijs me uocibus eſſe locutum,
Aeace Graiorum uocibus ipſe loquar.

Siue uoles Latias hic nunc audire figuras,
Dicor ego Craſſo poſſe placere ſeni.
Cætera pura mea eſt uita, & ſine labe peracta,
Nulla mihi culpæ conſcia corda malæ.
Iſta, Moſella tuum caput, & te Lypſia teſtor,
Teſtibus eſt uobis uita peracta mea.
Illinc & patriam duxi, charosq; parentes,
Ingenuis ſtudijs me dedit iſta ducem.
Quòd properè huc abij, primis extinctus ab annis,
Vna ea culpa mea eſt, ſi tamen illa mea eſt.
Vtilius teneræ potui prodeſſe iuuentæ,
Incuſat miſeris hæc mea fata modis.
Talia dicentem, perculſa theatra ſtupeſcent,
Signabuntq; umbris lurida regna tuis.
Tunc tibi non humeros offendent Siſyphe ſaxa,
Et leuis Ixion tunc tuus orbis erit.
Nec Tityũ uolucris repetet, nec Tãtalus undas,
Vrna puellares non premet ulla manus.
Cuncta per obſcuras cedent tibi mõſtru tenebras,
Securo tendes ad loca tuta pede.
Obuius huic uenies cum docto Barbare Pico,
Et nitidum ſertis Angele uincte caput.
Tuq; ô triplicibus multum uenerande camœnis,
Qui uetus à fumi nomine nomen habes.
Et tu rure procul tumulate Huttene paterno,
Et decus, & generis gloria magna tui.
Et quicunq; alij doctas coluere ſorores,

Quos nunc fœlices continet iſte locus.
His igitur permiſta comes tua nobilis umbra
Incolet æternos arua beata dies.
At nos dum ſuperas uiui calcabimus oras,
Nullo ſtet famæ gloria fine tuæ.
Viue,uale, & placida requieſcas molliter urna,
Terra grauis cineres nec premat ulla tuos.

EPISTOLA AD PHILIPPVM MELANCHTHONEM.

Ecquid ubi aſpecta eſt notæ tibi littera dextræ,
Et uolucrum criſtis cera notata tribus.
Protinus ô longo deductum tempore carmen,
Dicis? & hæc tandem ſera Thalia uenit?
Quam toties fruſtra toto expectauimus anno,
Dum leuis hic nobis uerba poeta dedit?
Ah fateor,nimiumq; diu mea Muſa quieuit,
Dum partim curis obruta tota iacet.
Partim dum ueterem quærit malè culta nitorem,
Ipſa ſui lucem tacta pudore fugit.
Nam uelut ad clarum caligant luminis orbem,
In tenebris oculi qui latuere diu.
Nec ſatis aſpiciunt radios,ſeu pulcher Apollo,

Seu noctu Phœbe protulit orta nouos.
Sic mea preſſa diu curisq́; ſituq́; Thalia
Nunc quoq; uix oculos ſuſtulit ægra ſuos.
Ac ſi quando leuat, ueteresq́; recolligit artus,
Quid dicam miſeris quàm gemit illa modis?
Cùm ſe ſquallentem pannis, fœdeq́; rigentem,
A ueteri tantum degeneraſſe uidet.
Et nunc fœlices illa inter amata priores,
Heu nimis exiguo uena liquore fluit.
Quæ niſi doctarum pietas ſit tanta ſororum,
Et tanto noſtrum pectus amore trahant.
Digna diu putris ceu fœtida ſtagna lacunæ
Oppleri ſaxo ruderibusq́; fuit.
Quamuis non ſolum fuit hæc mihi cauſa tacendi,
Solaq́; propoſitum diſtulit illa meum.
Hæc quoq;.n.dubium tenuit mora, q̃ tibi noſtras
Qui poſſet muſas reddere, nullus erat.
Namq́; huc cum noſtras ueniſſet Blicarus oras,
Et ferret digitis illa notata tuis.
Fortè hinc digreſſus rapidi trans flumina Rheni,
Abſens à patria tum procul urbe fui.
Vt neq; præſenti quæ uellem dicere uerbis,
Nec poſſem ſcriptis reddere noſtra tuis.
Quare hæc ſi toto ueniunt tibi ſerius anno,
Da ueniam tantæ, dum ſua cauſa moræ eſt.
Atq; hãc de noſtris nunc caſibus accipe Muſam,
Quæ malè compta quidem eſt, officioſa tamẽ.

Nam ſimul ac triſtes immiſit Iuppiter Auſtros,
Pelleret ut ſolita de ſtatione ratem.
Nec libertatem ueteris tolerare Magiſtri,
Nec ſtudium uellent pulpita uana meum.
Hic ubi tam longos multo ſudore per annos,
Dictabam teneris iura tenenda ſcholis.
Cum deſperati quaterent ſua tela cuculli,
Et peteret noſtrum plebs fugitiua caput.
Quæq; meo dudum latuit gremio abdita ſerpẽs,
Efflaret uirus iam manifeſta nocens.
Nec, quamuis uellet, tutari poſſet alumnum,
Notus qui noſtro carmine Menus erat.
Tum demum feſſam conuerti ad ſeria mentem,
Et ſpe mutaui priſtina fata noua.
Auxilioq; hominum fretus, monituq; fauentûm,
Deſerui ueteres inuida regna domos.
Eſt locus anguſtum longè tenuatus in arcum,
Clauſa iacent imis mœnia parua iugis.
Hinc uagus æquatos exit iam Nicer in agros,
Montibus emiſſus Martia ſylua tuis.
Et uetus in ſummo caſtellum uertice pendens,
Collectæ quondam, nomina gentis habet.
Illinc ingenti ſurgunt pallatia muro,
Nec timet iratum machina ſæua Iouem.
Quam ſuper antiqua turris procul eminet arce
Pallatinorum regia priſca ducum.
Huc ego cum natis tribus & cum cõiuge uectus,

Hac poſui ſedes in regione nouas.
Illaq́; præteritis fruſtra captata ſub annis,
Munera, fortuna iam meliore, gero.
Quanq̃ etiam iſta ſuos ſenſit fortuna labores,
Et ſunt qui uarias oppoſuere moras.
Dum tacitè ſpargunt ſuſpectæ crimina uitæ,
Deq́; mea dubitant neſcio quale fide.
Nec niſi poſt longas, placati corda, querelas,
Conceptos falſo, depoſuere metus.
Hic igitur rerum quæ currant fata mearum
Quæris, & an uento proſperiore ferar?
Et numquis lateri iungat ſe fidus amicus,
Quiq́; iuuet ſtudijs commoda noſtra ſuis.
Scilicet omnis habet mixtos fortuna labores,
Et tibi quod doleas quælibet hora dabit.
Aſpicis ut denſis quædam uineta racemis
Florent, & multo præla liquore beant.
Aſpicis & ſolido flauentes farre nouales
Et ſuetas domini ſpem ſuperare ſui.
Nũc tamẽ aut ſteriles meſſem fruſtrantur auenæ,
Aut nimio ſæuus Iuppiter imbre nocet.
Aut ſeges exhauſta moriens decumbit ariſta,
Et ſqualent longa iugera feſſa ſiti.
Nil eſt ſyncerum, uel ab omni parte beatum,
Et certo premitur, diues, inopsq́; metu.
Certe equidem adueniens animo gratiſſima noſ-
ſtro

Offendi, & uoti plurima plena mei.
Non ſchola, non homines, ſtudiorũ turba meorũ,
Nec locus ingenio diſſidet iſte meo.
Adde etiam mores urbis, uitamq́; togatam,
Et populum nulla ruſticitate grauem.
Quodq́; illinc alti præcingunt omnia montes,
Et crebro uiridis fonte madeſcit humus.
Illinc proſpectus aperit ſe campus in omnes,
Et latè cultis æquora plana patent.
Quorum quæ primos attingunt proxima colles,
Lenæa paſſim conſita uite rubent.
Cætera, qua pingues iterantur uomere ſulcis,
Horrea mille replent frugibus, arua, ſuis.
Quæ latè placido peragrantur flumine Nicri,
Et tractu gaudent mollè fluentis aquæ.
Donec fluctiuagi miſcentur cornua Rheni,
Defunctumq́; uadis excipit ille ſuis.
Qualia Pegaſides loca poſſediſſe ſorores
Nunquàm, uel certè non meliora puto.
Et poterunt terris æquari hæc laude uetuſtis,
Siue tuis Helicon, Attica ſiue tuis.
Si non has Danai celebraſſet fama coloni;
Dum noſtra obſcura nocte ſepulta latet.
Sed tamen illa foret minus aut mihi plena uolu-
Et bona ſubrepens carperet iſta dolor. (ptas,
Aſpicio miſeras omni ſine honore camœnas,
Ante leues uulgi turpè iacere pedes.

Nam

Nam quotus eſt, aliquẽ ueterũ qui noſcere uatẽ
Nunc uelit, aut dignum laude poema putet?
Aut quotus eſt, ſtudio qui uel Demoſthenis ora,
Vel tua Marce pater, liberiore colat?
Cum Latijs æquè uideas ſordeſcere Græcos.
Hei mihi Barbariæ quanta feneſtra patet!
Ille ferox totum iuuenis qui terruit orbem,
Sub medijs armis natus Amyntiades.
Carmina Pieridum, dum cingitur enſe, legebat
Ipſa, iubens uatum caſtra ſonare modos.
Idem cum feſſus peteret poſt prælia ſomnum,
Indormiſſe operi fertur Homere tuo.
At nunc quis tantum uel longa per ocia uatem
Aſpicit, aut ueterem denotat ore librum.
Bartolus, & Baldus, Speculum, Salicetus, & Abbas
Et malè currendo qui leue fecit iter.
Quorum, ceu noſtri quidam modò dixerat æui,
Nomina ſunt ipſo penè tremenda ſono.
Hi ſunt, qui manibus paßim uoluuntur, & inter
Vilia chartarum ſcrinia, regna tenent.
Hos amat, hos gremio circumfert ſtulta iuuẽtus,
Hos tanq̃ diuûm numina certa colunt.
Et merito, quis enim ſolum nunc quærit honeſtũ?
Virtutem precium uel putat eſſe ſui?
Lucrum eſt, quod petitur, magniq́; ſalaria cẽſus,
Aureaq́; iſta licet ſæcula iure uoces.
Ergo etiam noſtras eadem hæc iniuria mentes

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

Tangit, & ad queſtum lumina noſtra uident.
Et mihi nunc ſurgit pro chara coniuge cura,
Atq; monent inopem pignora parua patrem.
Quorum uenturos contemnere uiliter annos,
Aut ſcelus, aut certè non leue crimen erit.
Nam quid agam? fruſtráne iterum meliora ſecũ-
Autumẽ, & euẽtus tẽpus inane ſequar? (da
Scilicet in melius uertit præſentia fatum,
Et bene penſauit damna priora bonis.
Quin neq; ſpes ſupereſt, & peſſima Iuppiter æui
Diſtulit in noſtros (heu ferus ille) dies.
Millibus, & ſupra, triginta paſcitur æris,
Qui ſua ſcandenti terga remittit hero.
At ſexaginta, recipit ſi fortè poeta,
Dicitur hoc ingens appoſuiſſe lucro.
Heu peritura hominũ ſtudia, ingratiq; labores,
Heu ætas nimium rebus iniqua bonis.
Nẽpe illud magnũ, & dignũ cur longa ſequentẽ
Continuet toties nox uigilata diem.
Scribe miſer uerſus, & ſcabros dentibus ungues
Rode, & uirtutum carmine quære decus.
Interea canis ueniet ueſtita ſenectus,
Et canis multo plus metuenda fames.
Et mox ad pontem ſtabis, uel limina templi,
Vt miſer accipias ore rubente ſtipem.
Atq; aliquis digitũ tibi mõſtret, & improbus ad
Hic olim demens, ecce, poeta fuit. (dat,

Forſan

Forſan & hæc dicat, quæ tunc formica cicadæ
Dixerat, hyberno rura premente gelu.
Cùm, quæ cantando lætas contriuerat horas,
Per gelidos inopem iuſsit egere dies.
Quæ tamē haud ideo, propria ut mea dāna referrē,
Verſibus hîc cœpta eſt tāta querela meis.
Aut quia doctarum poſtponere ſacra ſororum
Ipſe uelim, & quædam barbara lucra ſequi.
Sic ſit ut antè fuit ſatis. hoc nihil amplius opto,
Non minus eſſe mihi, nec ſupereſſe uelim.
Et quàm longa meæ reſtabunt tempora uitæ,
Et quàm membra diu ſpiritus iſta reget.
Tam longè faciles habeā ad mea carmina Muſas,
Et liceat tanto numine poſſe frui.
Nec magis arentes reficit ros humidus herbas,
Cùm torret feſſos Sirius ignis agros.
Nec magis efflorent Zephyris ſpirantibus horti,
Cùm noua uernanti ſole pateſcit humus.
Quā gaudēt teneris præcordia noſtra camœnis,
Iſta leuat curas una medulla meas.
His fama, & toto ſi quid bene contigit æuo,
His ſcripta eſt uitæ pagina tota meæ.
Nam quòd amicitia nos uti poſſe potentum
Credis, & hinc aliqua ſpem ratione trahis.
Certè equidē, fateor, uidet hæc meliora uolūtas,
Sed tamen ingenio uincitur illa meo.
Molle mihi et quocunq; cor eſt penetrabile telo,

Nec ſatis hæc, multò quàm uidet antè, caueat.
Fortuito quondam Micylli nomina caſu
Reppert, & in mores tranſijt ille meos.
Dummodo concedas, mediocria cuncta uidētur
Tuta magis, nec me nomina magna iuuant.
Qui cadit in plano, quamuis pede lapſus iniquo,
Sic cadit ut uita ſoſpite, ſurgat humo.
At miſer Elpenor cum ſcalis excidit altis,
Errantes inter mox leuis umbra fuit.
Quàm cito mutetur mens in diuerſa potentum,
Exemplo didici iam miſer ipſe meo.
Vtq; bene haud facile eſt hoc tēpore uiuere quen
Qui bene ſe tutum, dum latet, eſſe putat. (q̃,
Sic contrà nimium nolim quoq; notus haberi,
Et mea nobilium cuncta fauore geri.
Nam ſua cū memorant inopi benefacta potētes,
Subducunt tacito ſubdita colla iugo.
Quāq̃ etiā hic aliud, dubito, an tu ſcire uolebas,
Dum qua fretus agam, quæris, amicitia.
Ac ſunt quos olim fidos habeo inter amicos,
Non tamen ex ſummis nomina magna locis.
Et nos præcipuè magno tegit ille fauore,
Diuite fœcundat quem tua prole ſoror.
Qui tunc cum dubia penderent omnia ſorte,
Nec meã dum ſtaret res ſtabilita loco.
Multū operæ ſumpſit, dum nos commēdat, et ipſi
Submittit pro me ſcripta legenda duci.
Quamuis

Quamuis nec medicus pro nobis ſegnior inſtet
Præſidio cuius principis aula ualet.
Nec qui Cæſarea quondam præfectus in arce
Verſabat docta ſcrinia celſa manu.
Qui cum priuati ſumptum quoq; fecerat æris,
Succeſſum cauſæ dum fouet uſq; meæ.
Quos tibi nunc omnes meritis extollere uerbis
Longum erit, & celebrē laus ſua quenq; facit.
Et mea iam circum metas feſtinat anhelans,
Et properat uerſus claudere Muſa ſuos.
Ergo hæc ut ſolito claudatur epiſtola fine,
Vt libeat nobis uiuere, uiue diu.

EPICEDION IN MORTEM SIMONIS GRYNEI

HOC igitur deerat poſt tot modo funera fatis,
Ante diem ut caderes tu quoque rapte Simon?
Nec tua uel uirtus, tantiſúe exercita rebus,
Parcarum potuit flectere cura manus?
Non tale ingenium, non tot uerſata per artes
Pectora, & æterno mens operata Deo?
Sed pariter tecum tantarum commoda rerum,
Atq; eadem tanto tempore parta iacent?

Scilicet illud erat, quod mens præſagijt ægra,
Confero dum noſtris ſæcla priora malis.
Paulatimq́; ulla quodcunq; excellit in arte,
Defluit, & rerum concidit omnis honor.
Heu quid adhuc reſtat? quẽ mors non abſtulit a-
Qui poſſet ſtudijs utilis eſſe bonis? (tra,
Occidit ille, decus patriæ communis, Eraſmus,
Aetas cui retro non tulit ulla parem.
Primus qui rectas in lucem protulit artes,
Pieridas ueteri reſtituitq́; loco.
Nec non & linguas hominum formauit, & ora,
Quoq́; modo, docuit, quæq́; loquenda forent.
Quin etiam pietas, uero quòd honore refulget,
Illius hæc quanta eſt, gloria prima fuit.
Nec ſatis hoc, tantam cumulat mox altera cladẽ,
Ipſa quoq; haud multo, quàm fuit illa, minor.
Nam modò qui Danaæ patefecerat atria longæ,
Omniaq́; è proprijs fontibus hauſta dabat.
Proximus huic, fato rapitur Budæus iniquo,
Budæus patriæ gloria ſumma ſuæ.
Cui ſimilem toto uidit neq; Sequana regno,
Nec Rhodanus quantis circuit arua uadis.
Sed neq; ſic Parcæ, linguarum clade duarum,
Contentæ ſæuas continuere manus.
Quin etiam Aonidum ne ſpes foret ulla ſororum,
Verbaq́; qui certis iungeret apta modis.
Te quoq; mox ſimili rapuit mors inuida fato,

O decus ô noſtri dux Eobane chori.
Carmina quo nemo cecinit fœlicius alter,
Quotquot adhuc uatum Teutonis ora tulit.
Nec melius numeris incluſit ſacra profanis,
Vertit & Auſonijs Dorica uerba modis.
Qui, ſi quisq̃ alius mortali lege creatus,
Viuere dignus erat, uiuere dignus eras.
Sed neq; Pieridas Parcæ, neq; carmina curant,
Verſa eſt in cineres hæc quoq; fama leues.
Vltima reſtabat magni experientia cœli,
Aſtrorumq́; uices, & numerare uias.
Et certo inſtabilem metiri limite mundum,
Temporaq́; ad cauſas quæq́; referre ſuas.
Hanc etiam noſtris inuidit mentibus artem,
Quæcunq; hæc læſi numinis ira fuit.
Tuq́; ſagax rerum, qui cauſas, quiq́; meatus
Noſſes, qui ſpacio claudere quæq; ſuo.
Ecce iaces, ſubito fatis ereptus acerbis,
Inq́; ſolo modico conditus ante diem.
O labor, ô rerum quæ poſt hac forma futura eſt,
O quæ nos, & quàm barbara uita manet.
Sic quoq; triſtis hyems, quoties feſtinat, & atræ
Impendent nubes, & ſine luce dies.
Decutiunt frondes properatæ manè pruinæ,
Et ſqualent ſubito prata nemusq́; gelu.
Quo tantos igitur refert cepiſſe labores?
Quid toties noctu continuaſſe diem?

Si fruſtra eſt quidquid miſeri ſudamus, & omne
Labitur incaſſum quod uigilamus, opus,
Ergo artes ualeant, ualeāt cum carmine Muſæ,
Hactenus & pulchri quidquid in orbe fuit.
Viuamus dum fata ſinunt, dum ſuppetit ætas,
Ocia dum lætus fertq; refertq; dies.
Nil iuuat aßidua corpus conſumere cura,
Nil ſomno aut uarijs abſtinuiſſe iocis.
Vna eadēq; oēs ſequitur, mors ultima, merces,
Penſantur precio, uita, laborq; pari.
Nā quas commemorē quas non cognoueris artes?
Mente ſagax idem, promptus & ingenio?
Aut qua parte putem tibi non fauiſſe Camœnas?
Vnum quem multis ante tulere uiris.
Nec repetam in triuijs uulgo dictata magiſtris,
Multi quæ iactant, pars bene rara tenet.
Sed quæ perpetuo ueniunt ſudore paranda,
Nec niſi cum multo parta labore manent.
Scilicet Alcathoi, quæ quondam natus in urbe,
Inuoluit numeris abdita tota ſuis.
Quæq; Phalanteis ſenior celebrauit in agris,
Lignea cui uolucris facta columba fuit.
Et qui Bacchiadum ſuffecit mœnia genti,
Dum raptat trepidas machina cæca rates.
Idem qui ficto ſtellas numerabat Olympo,
Et cœlum modico clauſerat omne uitro.
Aut rurſum ueteris genuit quem terra Canopi,

Qui docuit geminis aſtra, ſolumq́; libris.
Dum radio totum deſcribit gentibus orbem,
Et cœlum certis diuidit omne plagis.
Tempora quæ meſſor, quæ tẽpora ſpectet arator
Quæq́; ferant æſtus ſidera, quæq́; gelu.
Hinc etiam quantis erret Saturnius annis
Pallor, & in ſummo quàm ferus ille iugo.
Quàm nihil à Solis diſtet Cyllenius igne,
Martia cum retro ſtella, uel antè meet.
Cũ Ioue cur iunctum Veneris leuet omnia ſidus,
Sintq́; ijdem multis ſæpe medela malis.
Omnia quæ quondam multo comprehẽſa labore,
Tu quoq; iam noras arte docere pari.
Noras, & longis aliorum exercita curis,
Doctrinæ ſpacio tradere certa breui.
Non ceu magna ſolet pars, atq; improuida ueri,
Qui uulgo oſtentant plurima, pauca docent.
Qui cæca inuoluunt, dum tentant omnia, nocte,
Atq; alios ſecum præcipitanter agunt.
Sed ſimul accedens triplicis facundia linguæ
Miſcebat molli cætera dura fauo.
Namq; uti nec gẽmæ, nec fuluum ſic micat aurũ,
Obſcura donec condita nocte latent.
At ſimul in lucem ueniunt effoſſa latebris,
Conſciaq́; artificis perpolit illa manus.
Tum demum incipiunt ſolito fulgere nitore,
Et precium capiunt pro bonitate ſuum.

Sic niſi & has artes commendet gratia linguæ,
Et per ſe cæcis lumina rebus agat.
Incaſſum longos uideas perferre labores,
Quicunq; his animos applicuere rudes.
Quamuis non uno meruiſti nomine laudem,
Aut tantum prudens iſtius artis eras.
Quippe & naturæ cauſas memorare ſolebas,
Et quo res creſcant, intereantq; modo.
Quæq; ſupra uires hominum poſuere uetuſti,
Rectè quæ ſola mente uidere licet.
Vel dum Mopſopio repetis dictata Lyceo,
Illa Stagiritæ millia multa ſenis.
Aut quibus Ilyſſi ſeſe iactabat ad amnem,
Quo factum celebre eſt rus Academe tuum.
Vel dum Pergamei ſcrutaris ſenſa magiſtri,
Qui ſcripſit medica quidquid in arte patet.
Quæ tu nunc proprio gnarus ſermone docebas,
Dum cupis ad fontes quæq; referre ſuos.
Nunc eadem ſcriptis uertebas Græca Latinis,
Mutando Latijs Attica uerba modis.
His quoq; enim quondam iũgebas pectora curis,
Dum curis ætas par fuit iſta tuis.
Teſtis Pannonij gens Iſtri conſita ripis,
Quam modo bis Geticæ diripuere manus.
Teſtis uicinum quæ fama præuolat Albim,
Vrbs modica, at magnis nobilitata uiris.
Et quæ piſcoſo raduntur mœnia Nicro,

Rhene

Rhene tuos curſu quà petit ille lacus.
Quæ loca longinquis à ſe diſtantia terris,
Omnia tum ſtudijs plena fuere tuis.
Præcipuè ſed enim doctrinæ pectora ſacræ
Inſedit certo numine cura, tua.
Quæ, ſeu clara dies, ſeu nox redijſſet ab alto,
Fixa tuis animis ſemper & una fuit.
Ac, ceu ſola alias artes ſupereminet omnes,
Eſtq; eadem humanis addita meta uijs.
Sic fuit illa tibi reliquorum meta laborum,
Legit & occaſus uela ſuprema tui.
Ceu tum poſtremo meditantem tempore uidit
Subnixa Heluetijs urbs Baſilea iugis.
Vidit & undanti mediam qui diuidit amne
Rhenus, & ipſe ſuas ſæpe repreßit aquas.
Vt non ambiguo uidearis honore uocatus,
Aut fruſtra tanti nomen habere dei.
Sed uelut illius reliquas ſapientia Muſas
Rexit, & Aonijs præfuit ille choris:
Sic tu Grynci luco nutritus in alto,
Vixiſti doctos inter Apollo uiros.
Sed tamen ô ſuperi quo tantæ commoda laudis,
Quo ſtudium atq; artis gloria tanta ualet?
Quid iuuat æthereos animo penetraſſe receſſus,
Et ſenſu geminos ultra abijſſe polos?
Si pariter ſæuæ rapiunt hæc omnia Parcæ,
Atq; bonos eadem fata, malosq; premunt.

Quanquàm ô chare Simon, doctorũ ſi qua ſuper
Fama erit, iſta tui ſama perennis erit. (ſtes
Nec tecum ſenſus pariter mors abſtulit omnes,
Aut idem te, qui corpora, ſomnus habet.
Sed ſiue ulla manent iuſtas ſolatia mentes,
Seu ſupereſt animis uita parata pijs.
Tu quoq; fœlices inter lætabere mentes,
Et tecum ſtudijs ipſe fruere tuis.
Nec te uenturi lædent contagia ſæcli,
Nec mala quæ præſens plurima tẽpus habet.
Sed ceu ſublimi tutus ſpectabis ab arce,
Seu fraudem mundus, ſeu parat iſte dolos.
Contemnesq;, æuo ſeu noſtro, ſiue futuro,
Miſcentes omni fásq; nefásq; modo.
Quo tu ſeu campos inter gradieris opimos,
Qua ſtant Elyſij regna beata ſoli.
Seu te ſupremi retinent habitacula cœli,
Inq; uno triplicem conſpicis ore Deum.
Sis fœlix, noſtrumq; olim miſerare laborem,
In tempus memores qui ſumus omne tui.

GEORGIO REIFFENSTEIN.

HIc tibi chare damus nuper deſcripta, Georgi,
Triſtia germani carmine fata tui.
Primus ut ipſe legas, & poſt ſi digna uidentur,
Exhibeas ſi cui grata futura putas.

Optarim

Optarim uiuo meritas potuiſſe referre
Grates, & digna tollere laude uirum.
Aſt aliter ſuperis uiſum eſt, & Parca negauit
Huic ultrà fuſos inuidioſa ſuos.
Ergo hoc defuncto perſolui munus amico,
Demiſiq; umbris exequiale pijs.
Quæ uos debetis gratam teſtantia mentem
Atq; uoluntatis ſigna putare meæ.
Et reliqui unius germani nomine fratres,
Debita in accepti penſa referre libros.

EPICEDION IN OBITVM IOANNIS REIFFENSTEIN.

TE quoq; Iane tulit tot caſus inter acerbos,
Quæ ſinit intactum mors uiolenta nihil?
Nec tua te probitas iuuit, neq; uita pudica?
Aut animi ſimilis candor ubiq; ſui?
Nil tibi nec teneras adeò coluiſſe camœnas
Profuit, aut ſtudijs tàm uigilaſſe bonis?
Cunctaq; tantorum tulit ornamenta laborum,
Quæ tibi poſtremum luxerat una dies?
Idq; etiam in medijs, & adhuc florentibus annis
Vix duo bis uitæ luſtra tenente tua?

Et tibi nunc obulo reſtet non amplius uno,
Quem capiet Stygiæ nauita ſæuus aquæ?
Tuq; per obſcuras incedens pallidus umbras,
Ora ignota refers, oſſaq; nuda trahis?
Heu miſeras hominum mentes, & inania uota,
Quàm ſpes euentus non habet ulla ſuos.
Necquicquàm capimus tot pro uirtute labores,
Quo trahimur, fruſtra eſt oĩs honoris amor̃.
Multaq; perpeſſi uarijs diſcrimina rebus,
Hæc tandem ſcrimus præmia mortis iter.
I nunc, & magnos optes egiſſe triumphos,
Multaq; uictrici pone trophæa manu.
Aut uigil attenues per longam corpora noctem,
Munera dum captas pallidus Aonidum.
En iacet exiguo defuncti ceſpite Iani
Et modico tectum corpus honore ſoli.
Quiq; modò celſum captabat nomine cœlum,
Impleuit digitis buſta leuanda tribus.
Atq; audet precium quiſquam ſperare laborum,
Aut per tot rerum ſuſtinet ire uices?
Parcite mortales uarios tot ferre labores,
Frigora, ſolem, imbres, & tolerare ſitim.
Præmia uirtuti non amplius ulla parantur,
Hæc opera in ſterili ſumitur omnis humo.
Nulla poteſt homini probitas depellere fatum,
Nil iuuat eſſe bonum, nil iuuat eſſe pium.
Cui ſuperûm Ianus non exoluebat honores,

Aut

Aut in quo Diuis non operatus erat?
Quanta tulit? longis quoties diſtantia terris,
Et procul ignotis regna petebat agris?
Dum propius doctas ſtuduit cognoſcere Muſas,
Et coràm doctos ipſe uidere uiros.
Et tamen è medio raptus crudeliter æuo eſt,
Nil horum potuit uim prohibere necis.
Fataq; ſic modicas huius concluſit in horas,
Omnia quæ triplici ſtamine Parca regit.
Vt neq; uenturæ uim præſentiſcere mortis,
Nec poſſet ſubitis anteuenire malis.
Heu mihi q̃ triſtes tangunt mea pectora curæ,
Quàm mihi tunc lachrymis ora rigata madēt,
Cùm ſubit illius triſtiſsima lucis imago,
Quæ tulit exitij funera dira tui.
Cùm tu deſerto fuſus miſerabilis agro,
Et cuperes homines atq; uocare deos.
At neq; tunc homines tibi, nec ſuccurrere diui
Crudeli poterant fila ſecante dea.
Namq; etiã memini, properans cũ fama ueniret,
Heu mihi, funeſti nuncia fama mali:
Et timidis oculis, & mœſto pallida uultu,
Atq; ambas lachrymis commadefacta genas,
Multa prius gemitus inter ſuſpiria ducens,
Tandem ita turbatos æderet ore ſonos:
Occidit infauſto uenatum ſidere ductus,
Ianus Reiphææ gloria magna domus,

Sic lachrymans ait, atq; ſimul circūſpicit, ecquos
Auditi uellent uerba mouere mali.
Cumq́; uidet paßim manantia fletibus ora,
Subſtitit, & terſis addidit iſta genis.
Non procul à noſtris trans Mœni flumina regnis
Arx patet è ſummis conſpicienda iugis.
Regia cui quondam fecit cognomina rupes,
Priſcorum ſedes, nobiliumq́; ducum.
Hanc iuxta exiguis habitantur mœnia tectis,
Et ſua non multus rura colonus habet.
Hic, ait illa, diu tenuit ſua limina Ianus,
Fretus germano, & commoditate loci.
Et iam tranquillæ ſperauerat ocia uitæ,
Cum uertit uultus Parca maligna ſuos.
Tempus erat prima cum ſol æſtate per altos
It geminos, & adhuc florida prata uirent.
Et tunc purpureos ueniens aurora iugales
Iunxerat, & toto lux erat orta polo.
Cùm ſtetit ante fores tecto progreſſus ab alto
Ianus, & in ſolitos ire parabat agros.
Interea ſed enim celſa ueniebat ab arce,
Ortus principibus Laodouicus auis.
Hic generis famam uirtute æquauit, & unus
Doctrina æquales uicit & arte ſuos.
Altera ſpes regni, & tantas ſucceſſor habenas
Vnus tam claræ dignus habere domus.
Hic tum uenatum magna comitante caterua

Ibat

Ibat ad obiecti proxima luſtra iugi.
Ponè plagas famuli laqueos & retia portant,
It coniunctorum copia multa canum.
Poſtquam igitur noto uidit pro limine Ianum,
Quem ſtudijs captus fecerat ille ſuum.
Admonet in ſaltus comes ut uenantibus iret,
Atq; uoluptatis ſpem facit, atq; rei.
Nec ceſſat uerbis donec perſuadet, & ille
Iam uenatorum pars quota factus abit.
Heu cæcas hominum mentes, & inertia corda,
Quàm nemo exitium præuidet ante ſuum.
Dum miſer intendis fugienti retia ceruo,
Aut ſpolium ex timidis quæris inane feris.
Ipſe cadis fulua mox contumulandus arena,
Mortis ab infeſta præda petita manu.
Namq; ſub aduerſos cum iam ueſtigia ſaltus
Cum domino famuli ſola per arua tenent.
Adproperant alij, ciguntq́; indagine ſyluam,
Pars etiam inſidias, notaq́; luſtra petunt.
Ipſe quidem ſtudio progreſſus primus in altos
Ante alios montes Laodouicus abit.
At miſer interea properantibus undiq; cunctis,
Extremis etiam Ianus oberrat agris.
Namq́; ibi dũ ſequitur, ueteri quo more ſolebat,
Neſcio quid meditans, ponè relictus erat:
Nec prius eſt numero quòd abeſſet cognitus illo,
Quàm ſtarent ſummis retia tenta iugis.

Hîc demum comitis cœpit meminiſſe relicti,
Seu famulus, ſiue is Laodouicus erat.
Et primum ſi quâ per deuia greßibus iret,
Clamando Ianum nomine ſæpe uocant.
Mox etiam famuli partes mittuntur in omnes,
Si feſſus tacita forte ſederet humo.
Sed neq; reſpondet, nec parte reducitur ulla,
Summaq; necquidquam culmina, Iane, ſonāt;
Iane taces, fruſtraq; uocant tua nomina colles?
Ignari ah quæ te triſtia fata premant.
Namq; ibi dum ſyluæ reſonāt clamoribus omnes,
Et feriunt cœlum nomina, Iane, tua.
Interea rediit, qui retro miſſus in agros
Atq; etiam amiſſum quærere iuſſus erat.
Ac miſeris complet latè loca cuncta querelis;
Atq; amens homines inuocat atq; deos.
Ianus in extremis, inquit, miſerabilis agris
Stratus humi, & toto pallidus ore iacet.
Et neq; mēbra mouet tacitus, neq; uocibus hiſcit,
Nec calor in gelidis artubus ullus ineſt.
Ipſe equidem acceßi, tetigiq; et uoce uocaui,
Aſt anima in toto corpore nulla micat.
Deſeruit partes, ſpes uitæ, ſpiritus omnes,
Mortis ubiq; gelu, mortis ubiq; color.
Ite citi, auxilium properate, & ſi qua medendi
Ars iuuat, huic miſero reddite lucis opem.
Obſtupuere omnes, & monte repentè relicto,

Attonitus

Attonitus campi proxima quiſq; petit.
Hic miſer ille iacet manibus ſuper ima reuinctis
Pectora, & ad ſuperos ora ſupina ferens.
Signa procul lapſi crepidæ poſt terga relictæ
Oſtendunt, mortis cætera cauſa latet.
Nec ſpes eſt aliqua uitæ reuocabilis arte,
Omnia iam torpent interiora gelu.
Hunc habuit uitæ finem, finemq; laborum,
Qui modò tot fratrum gloria Ianus erat.
Hæc ait, & tenues mox fama receſsit in auras
Inditio fratris credita uera tui.
At mihi quàm gelido manauit corpore ſudor,
Hei mihi qualis in hoc pectore mæror erat?
Quas lachrymas fudi, quot fletibus ora rigaui,
Quæ mihi poſt illum mens tulit ægra diem?
Tene tot inſomnes uirtutis amore labores,
Tot mala ferre famis, tot mala ferre ſitis?
Et nunc crudeli perpeſſum funera caſu
Per Stygiæ nudum uadere flumen aquæ?
Nec te Pieridum monumenta iuuare ſororum,
Aut quòd tot linguis præditus unus eras?
Cultoresq; ſuos quæ ſemper uidit egentes,
Nunc etiam miſeros Muſa uidere poteſt?
Nec ſatis eſt uanum quòd ceu ludibria uulgus
Nos habet, an ſuperûm nūc quoq; fata premēt?
Cur igitur quiſquam ſtudijs operatus honeſtis,
Aut colit Aoniæ numina ueſtra deæ?

Nec potius tutæ ſibi comparat ocia uitæ,
Et ſedet ad patrios abſq; labore focos.
Mercator ueſtes, aurum, conchilia, gemmas,
Vxorem, fas, ius, omnia tutus habet.
Mille domi famulos ſolio deſpectat ab alto,
Si ratio Euganei *fors ſit habenda croci.*
Aut populoſa fori per compita prãſus oberrat,
Dum coquat è centum maßica pota cadis.
Quæ ſatius quanto? ſed me prius ima dehiſcat
Tellus, & Stygio deferar antè lacu:
Quàm cura Aonidum *cunctis potiore relicta,*
Gemmas, aut aurum dona caduca ſequar.
Cuncta ea prætereũt, longos tenuata per annos,
Ingenij ſolum ſtat ſine fine decus.
Quæ quoq; Iane, *tuos debent ſolatia caſus,*
Triſtiaq; exitij fata leuare tui.
Nam licet indigno perijſti funere lethi,
Corpus, non famam mors tulit iſta tamen.
Et tibi nunc longum uiuet per ſæcula nomen,
Noſtra modò ueri carmina ſi quid habent.
Ac uetus Elyſij *ſi uera eſt fabula campi,*
Tu quoq; in Elyſij *uallibus unus eris.*
Aut ſi ficta iacent tantarum gaudia rerum,
Stantq; animis cœlo regna parata pijs.
Te quoq; cœleſtis capient habitacula ſedis,
Ibis & ad liquidos umbra beata polos.
Et ſi quis leuibus defuncto corpore ſenſus

Eſt animis,

Eſt animis, aut ſi priſtina uota manent:
Hic iterum docti cognoſces ora Capellæ,
Hunc etiam ſubito funere Parca tulit.
Et ſimili mortis quondam ſolabere caſu,
Et ueteri utêris lætus amicitia.
Ergo ubicunq; manes, fœlix uiue, atq; beatus,
Et noſtri nunquàm non memor eſſe uelis.

EPICEDION EOBANI HESSI POETAE.

Ergo in te ſæuæ tantum potuere ſorores?
O decus, ô noſtri dux Eobane chori?
Nec tua te uirtus, neque tot texere Camœnæ,
Legitimum caderes quo minus ante diem?
Idq́; placet ſuperis, quorum uiolenta poteſtas,
Iam propè præclarum, quod fuit, omne tulit?
Dum prædam totus de nobis exigit annus,
Et ſpolium ex omni mors petit atra loco?
Plangite Pierides, ereptum plangite uatem,
Et mecum ueſtri funera flete ducis.
Plangite quæ celſas colitis, regna Heßica, ſyluas,
Catthiades nymphæ, monticolæq́; deæ.
Quas circũ Veraris fluit, & quas Aedera circũ,

Et noua facturus flumina Fulda, ſuo.
Plangite, & hoc ueteri perſoluite munus alumno.
Et tumulo flores; & date ſerta nouo.
Non illo melior fuit, aut reuerentior æqui,
Sæcula quot retro multa tulere diu.
Nec ueſtros æquè quiſquam celebrauit honores,
Quicunq; Aonijs fontibus ora rigant.
Et tu Lane pater pendente in pectore barba,
Heßica qui longo limite rura ſecas.
Exue fronde comas, uiridantes exue amictus,
Et noua cultoris funera plange tui.
Vlua tegat faciem, madidiq; uligine crines
Mæſtitiam cultu deteriore notent.
Nec tibi nunc placeãt tenero iuga cõſita Baccho,
Aut uirides ripæ, lætaq; culta ſatis.
Nec te detineant calidis uernantia lymphis
Labra, quibus certa membra lauantur ope.
Hic ubi uicinos iacet inter Amiſia colles,
Heßicaq; occiduum diſtinet arua nemus.
Sed mæſtus ſine honore means, ſine numine, lẽto,
Ad Dominũ Rhenum gurgite perfer aquas.
Atq; aliquis cernens deſectam flumine ripam,
Quis nouus hic amnis ſqualor, & unde roget.
Quis Deus huic animũ, quis curſus tãtus ademit?
Vt greſſu ſolito languidiore uenit?
At tu, ſed modicæ gemebundo murmure uocis,
Ille meus, dicas, ille Poeta iacet.

Mortuus

Mortuus ille iacet, cuius ſuper æthera cantu
Flumina cum nymphis nota fuere meis.
Atq; ita dilapſus tacito ſub gurgite, tecum
Hæc uatis defle triſtia fata tui.
Nec te pœniteat tanti pater optime luctus,
Aut hæc non tali digna dolore putes.
Non magis Odryſias celebrauit carmine ſyluas
Orpheus, & ripas Strymonis unda tuas.
Nec plus Vergilio debent tua flumina Minti,
Quamuis huic ætas non tulit ulla parem.
Flumina q̃ debent & nymphæ Catthides Heſſo,
Et quantum Heſsiaci reſtat ubiq; ſoli.
Ille tuas primus celebrauit carmine gentes,
Ille dedit ripis nomina Lane tuis.
Nec notus Veraris fuerat, neq; Fulda futurus,
Flumina quæ pariter iuncta Viſurgis habet
Nec quãtum à Mœni diſtat uagus Adrana ripis,
Cognita cum populis pars foret ulla ſuis.
Si non hic patriæ ſeruaſſet nomina terræ,
Atq; eadem illius carmine nota foret.
Præcipuè ſed enim tanto ſe iactat alumno,
Quæ uetus à Francò uertice nomen habet.
Mons ubi Chriſtiparæ celeberrimus æde puellæ,
Dum culta eſt nati mater honore, fuit.
Nũc melior poſtquam pietas caput extulit orbi,
Deſertum tacitis Aedera lambit aquis.
Quas ſedes olim Francos tenuiſſe colonos,

Deq; ſuo nomen, fama, dediſſe loco.
Hic ille in ſuperas primum fuit editus auras,
Hic patria, hic illi tecta domuſq; fuit.
Hinc puer egreſſus, latè uirtutibus orbem
Et fama impleuit nominis ipſe ſui.
Namq; ut prima tibi repetam cunabula uitæ,
Et uerſu peragam tempora tota breui:
Ter quinq; exierant poſt natum ſæcula Chriſtũ,
Sublatis annis ſed quater inde tribus.
Cum ſatus ille nouas partu proceſſit in auras,
(Lux fuit hæc Nonis Iane dicata tuis.)
Non huic diuitiæ, non magnum nomen auorum,
Non domus antiquis fulſit imaginibus.
Qualia mirantur uulgò, qui facta parentum,
Quàm ſua laudari pulchrius eſſe putant.
Sed ſimul ac tenera matris progreſſus ab aluo,
Vagitus infans ædidit ore nouos.
Mox facilis prima fuit huic ætate Minerua,
Quæ natum gremio ſuſtulit ipſa ſuo.
Hinc puero ingenij uires, animoſq; ualentes
Indidit, & pulchri fecit ut eſſet amans.
Ac uelut uda ſolet formas, quaſcunq; iubebis,
Cera ſequi, & faciem ferre ſubinde nouam.
Sic Dea creſcentem cunctos molliuit in uſus,
Pectoraq; ad ſtudium quodlibet apta dedit.
Atq; ita ſeu uerbis gauderes lege ſolutis,
Non facilè in proſam largior ullus erat.

Seu malles numeris certis adſtricta modisq́;,
Pangebat ſpacio carmina mille breui.
Quinetiam uerbis mutabat Græca Latinis,
Vertebatq́; modis ſcripta uetuſta nouis.
Vſq; adeo partes pariter pollebat in omnes,
Nil huic inuictum, quod modo uellet, erat.
Quamuis ipſe ſacras ſolitus præferre camœnas.
Ante omnes ſemper carmen amabat opes.
Carminibusq́; diem peragebat, carmine noctes,
Nec ſemel & fiſsi ſomnia carmen erat.
Siue áliqua iſta fuit naturæ cauſa latentis,
Quæ ceu iure ſuo mollia corda rapit.
Hasq́; ita naſcenti uires infudit ab ortu,
Quæ noua cum niueo fulſit olore Chelys.
Seu uerè Deus *eſt, quo uatum corda mouentur,*
Atq; ijdem taciti numinis inſtar habent.
Certè non alijs ſtudijs potioribus uſus,
Quæcunq; huic eſſet ſors obeunda, fuit.
His puer accreuit, medio his excelluit æuo,
His etiam clauſit fata ſuprema ſenex.
Ergo idem primis nuper digreſſus ab annis,
Tempora cum luſtris conderet acta tribus.
Turpe ratus patrios nunquàm liquiſſe penates,
Contentumq́; uno conſenuiſſe ſolo.
Partim etiam accenſus famæ potioris amore,
Doctorumq́; uolens ora ſubire uirum.
Egreſſus patria, Turingam uenit in urbem,

Cui uada fecerunt nomen Hiera tua.
Nam fuit hæc quōdam ſedes celeberrima Muſis,
Artibus, & ſtudijs nobilitata bonis.
Cum nondum placidas premeret diſcordia diuas,
Aurea quæ ſanctæ tempora pacis amant.
Hic operum ſpecimen primum dedit ille ſuorum,
Hic ſua cantari carmina ſeq; tulit.
Dū ſedet & gracili celebrat modulamine ſyluas,
Paſtorumq́; caſas, amnicolasq́; deas.
Et prius ignotis componit nomina ripis,
Siue tuis Vnſter, ſeu uage Neſſe tuis.
Ergò nouo ornatus pridem cognomine uatis,
Et fretus Muſa carminibusq́; ſuis.
His quoq; digreſſus, quas tunc celebrauerat oras,
Diſsita longinquo uenit in arua ſolo.
Terra iacet gemino procul hinc ſubiecta Trioni,
Pigra gelu, & cana tota peruſta niue.
Hinc mare, quod Venedi ſæclo coluere priore,
Vnde gerunt teneræ ſuccina lecta nurus.
Illic externum ſecludit Martius hoſtem,
Sanguine qui paſtus Sarmata uiuit equi.
Ipſa uetus retinet generoſa Boruſsia nomen,
Teutonici quondam militis enſe potens.
Huc illum euectum per millia multa uiarum,
Seu ſors, ſeu rerum certa cupido tulit.
Hic cum principibus crebra uerſatus in aula,
Et mores hominum uidit, & ingenia.

Atq; uti Neritius quondam iactatus Vlyſſes,
Hinc circum terras, hinc freta longa maris.
Antiphatem, & Cironas uidit, ſæuumq; Cyclopa,
Lotophagûmq; dapes, Alcinoiq; nemus.
Sic ille in media uariorum gente uirorum,
Nunc bona, nunc æquo pertulit ore mala.
Sed neq; tunc Muſas poſuit, curamue priorem,
Aut ſtudio uerſus languidiore dedit.
Nam partim alterno deſcripſit carmine ſenſus,
Quos mandat Diuo Diua puella uiro.
Partim etiam ſyluis cœpit mandare canoris,
Res, populos, urbes, funera, bella, uiros.
Hîc ubi uicino mergit ſe Viſtula ponto,
Et ſecum raptas in mare uertit aquas.
Quanq̃ etiam nigri cantantem ripa Viadri
Audijt, & Sueui proxima terra ſoli.
Et quæ Sarmatico paret Cracouia regi,
Vrbs uetus, & ueteri nobilitata ſchola
Quæ loca noſcendi ſtudio prius omnia uidit,
Quàm uidit uitæ bis duo luſtra ſuæ.
Hinc tandem patrias animum reuocauit ad oras,
Et redit in terras lenis Hiera tuas.
Quasq; nouo quõdam celebrabat carmine ſedes,
Has iterum ueteri captus amore petit.
Hîc precio, & ſolita conductus lege docendi,
Explicuit uates, Rhetoras, Hiſtoricos.
Ipſi ubi tum multa nos hunc grauitate legentem

Vidimus, in magno pars quotacunq; grege.
Ac minor huius erat non illo tempore fama,
Quàm tua per Latias Quintiliane ſcholas.
Tam bona facundæ manabat gratia linguæ,
Tantus & in toto ſederat ore decor.
Fors etiam uitam terra clauſiſſet in iſta,
Vno hanc ſi claudi fata tenore ſinant.
Sed fortuna bonis quæ rebus ubiq; repugnat,
Hunc quoq; non uno paſſa uigere loco.
Namq; ubi iam ſenior requiem, finemq; laborum
Sperat, & extrema littora puppe ſecat.
Siue hominũ inuidia, ſeu ſorte trahente coactus,
Hæc tum mutauit ſedibus arua nouis.
Norica qua Pyrgi iactat ſe nomine tellus,
Artibus & cultis inclyta terra uiris.
Huc illum aſciuit ſapiens cum plebe ſenatus,
Vt ueheret Muſis hæc quoq; regna ſuis.
Eſſet & illius decus, & noua gloria gentis,
Et regimen cœptæ, normaq; certa ſcholæ.
Nã fuit hæc pulchris urbs ſemper dedita rebus,
Inuentrix operum, & laudis amore flagrãs.
Et quæcunq; aliquo uirtutis nomine fulgent,
Hæc illa ante alias ingenioſa colit.
Ergo iterum patria poſt tempora longa relicta,
Mutauit ueterem conditione noua.
Ac ſocios inter Ioachimum Græca docentem,
Et te pars noſtri, Micale, magna chori.

Hic

Hic ſibi tum laudis tantum, famæq́; parauit,
Quantum fas ulli conciliare uiro.
Nam neq; muneribus caruit, nec honoribus unq̃,
Dignaq́; factorum præmia multa tulit.
Quanq̃ etiam iſta ſua turbauit commoda fraude,
Quæ nihil integrum Noxa maligna ſinit.
Et mox Turingos iterum reuocatus in agros,
Rebus ut auxilium ferret, opemq́; malis.
Colligeretq́; diu paßim & ſine honore iacentes,
Deſertasq́; hominum fraude, lociq́; deas.
Vt bis ab externis fuit has accitus in oras,
Sic bis ad externas inde repulſus abit.
Fortunæq́; fuit ueluti pars ludicra quædam,
Perq́; uices trepidæ ſumma, uel ima rotæ.
Donec ad hanc ueteris ſortem reſpexit alumni,
Ille tui princeps Lane, Philippus agri.
Aerumnamq́; uiri, & ſortem miſeratus iniquam,
Iußit ad antiquos hunc remeare lares.
Hic tandem reliquæ tranſegit tempora uitæ,
Cumq́; ſuis natis, coniuge cumq́; ſua.
Hic idem Aonias patriam reuocauit ad undas,
Adduxitq́; nouas ex Helicone deas.
Cum quibus extremos æuum perduxit in annos,
Dum clauſit ſummum meta peracta diem.
Sed ſi ſors priuatos hominis quoq; noſcere mores,
Quæris, & ut uitam degerit ille ſuam.
Nam modò non paucos obſcurat fama poetas,

Muſa quibus facilis, uita nefanda fuit.
Quiq; ſuis rectè cum poſſent dotibus uti,
Turpia carminibus præpoſuere bonis.
Vt qui ferali furiarum concitus œſtro,
Lemniadum æquauit nomine req; malum.
Aut qui, Vangionũ dum cenſet in urbe gregatos,
Stridenti miſeras lancinat ore deas.
A quibus hic noſter toto ſic abſuit æuo,
Vt cœlum extremo diſtat ab Oceano.
Nam neq; luxuriam uitamue ſecutus inertem,
Nec uentri aut Veneri deditus ipſe fuit.
Sed ſimul ac iuſtos æui peruenit ad annos,
Iamq; ætas illi facta uirilis erat.
Conſortem uitæ legit, ſociamq; laborum,
Ingenio, fama, nobilitate parem.
Huic thalamo iunctus, tedaq; fideq; iugali,
Protulit in lucem pignora multa nouam.
Quorum pars etiam uitali ueſcitur aura,
Atq; tuos paſſim Lane pererrat agros.
Pars, ita propoſitum fatis repetentibus æuum,
Ante ſuum rapti morte obiere diem.
Nec rurſum inuidiæ ſtimulis agitatus & œſtro,
Effudit nigro carmina felle lita.
Aut ſtuduit famæ cuiuſquam aſpergere labem,
Verbaq; latrantum fingere more canum.
Sed pariter uitæ ſeruans, linguæq; pudorem,
Et præſtare potens, & retinere fidem.

Nec

Nec minus ingenio, quàm puro candidus ore,
Scripta dedit paſſim moribus æqua ſuis.
Nam partim cecinit laudum & uirtutis amorē,
Quæ pariant animis commoda multa pijs.
Vt quæ paſtorum iuuenis cantauit auena,
Dum patriam atq; artes euehit ore bonas.
Aut cum ſyluarum celebrauit nomine ſparſim,
Cum populis, urbes, regna, ducesq; ſuis.
Partim etiam uerſu mutauit Græca Latino,
Et docuit Latias illa ſonare togas.
Hinc & Simichides Siculis tranſgreſſus ab aruis,
Auſonia celebrat paſcua uoce ſua.
Hinc & Pelides & Troiæ euerſor Vlyſſes,
Verba facit populo ſueta Quirine tuo.
Præcipuè accenſis diuorum pectora rebus,
Incluſit numeris ſacra, Deumq; nouis.
Nam modo digreſſus primis cantauit ab annis,
Quæ mittat ſancto ſancta legenda uiro.
Mox etiam Solymi conuertit cantica uatis,
Iuſſit & Auſonios illa referre modos.
Atq; utinam poterat producere longius annos,
Nec properent triplices fila ſecanda Deæ.
Iam quoq; digeſtos legeres in carmina faſtos,
Et ſeriem ſacræ totius hiſtoriæ.
Nec plus Peligno laudis, famæq; poetæ,
Pontificum parerent eruta feſta libris.
Quàm mihi tunc noſter meruiſſet carmine uates,

Expoſita tota cum pietate fide.
Sed fera quæ rapiunt ipſo bona cuncta ſub ortu,
Inuidere nouis his quoq; fata bonis.
Idq́; opus inceptum, præuentus morte reliquit,
Dum uelut è medio tramite raptus, obit.
Quo te non debet tanti, pater optime, luctus,
Aut tanti uatis, Lane, pigere tui.
Sed uelut hic alios ſupra caput extulit omnes,
Quicunq; Aonijs ora rigantur aquis.
Sic decet hunc omnes lugere hominesq́; deosq́;,
Heßiaci quotquot nutrit arena ſoli.
Nā quid maius in hoc reſtat, quo uiuimus, orbe?
Quidue aliud ſuperis nos facit eſſe pares?
Gratia quàm uatum, & præconia docta ſororū,
Concita quæ uatum numine corda regunt.
Quis ueterum noſſet laudes & facta uirorum?
Fortes Aeacidas, Neritiosq́; duces?
Aut quis Scipiadas, aut quis te maxime Cæſar?
Teq́; tot inuictum magne Camille malis?
Nomina ſi nulli ſeruaſſent iſta poetæ,
Nec tantus ſacri carminis eſſet honos?
Nulla foret laudum, uirtutis nulla cupido,
Ni moueant uatum tot monumenta uiros.
Illis debemus quaſcunq; accepimus artes,
Illis debemus ſacra, fidemq́; Deum.
Adde quòd his, tali ſuperûm qui mente regūtur,
Nec ſceleri, aut uitijs obuia corda patent.

Nullus

Nullus auaritiæ ſtimulus, non ullus amorum,
Excepto ſi quem fœdera caſta ligant.
Sed ſiue in ſolis peragunt ſua tempora ſyluis,
Pierijs inter flumina nota choris.
Siue etiam medijs regum uerſentur in aulis,
Carminis eſt illis unica cura ſui.
Inde ſacri uates, & diuûm cura uocantur,
Cœleſtumq; ſua numina uoce canunt.
Et quiſquã à lachrymis ſibi tẽperet, aut tua fata
Aſpiciat ſiccis tante poeta genis.
Nec quod mœſta ſolet mater uiduata nepote,
Cum ſedet ad tumulum crine ſoluta nouum.
Nos etiam duras leges, immitia fata,
Et graue Parcarum uoce queramur opus?
Heu quantum amiſit tecum tua patria nomen,
Heu quale & quantum Teutonis ora decus?
O miſeros homines, ô ſpes incerta laborum,
Quàm citò quod longo tempore creuit, abit?
Quæ uerò ſuperi, quæ tandem damna paratis?
Artibus ecquis honos pòſt ſuper ullus erit?
Aut erit, ut merito quiſq̃ aut uirtute fruatur,
Quando bonos eadem fata malosq; premunt.
Nam quis finis erit? uel quis numerauerit omnes?
Tempore quos ætas abſtulit iſta breui.
Occidit omnigenæ ſpes & decus artis Eraſmus,
Sæcula quo maius noſtra tulere nihil.
Primus qui cæco Muſas reuocauit ab orco,

Fregit & eloquio barbara regna ſuo.
Occidit & lingua pariter memorandus utraq;,
Attica quam tellus, Itala quamq; tulit.
Vnica Sequanicæ Budæus gloria gentis,
Quàm latè Rhodanus cingit & arua Liger.
Occidit Heſſe ſolo tecum prognatus eodem,
At procul hinc alio Cordus humatus agro.
Ambas qui ſtudio coniunxit Apollinis artes,
Idem ſeu medicus, ſiue poeta bonus.
Occidit Vrſinus regum uerſatus in aulis,
Pannoniam rapidis quà ſecat Iſter aquis.
Carmine qui uarijs rebus quæſiuit honorem,
Atq; idem Muſas iunxit & hiſtoriam.
Occidit & noſter notus bonitate Philippus,
Principis à ueteri nomina monte gerens.
Qui pariter Muſis, pariter uirtute decorus,
Summa fuit populi gloria Mœne tui.
Vt memorē neq; te Viues, quem mille per artes,
Externo cultum miſit ab orbe Tagus.
Nec te qui terris obijſti fata Cheruſcis,
Heu procul à patria rapte Bolere tua.
Atq; alios quibus ampla ſuæ ſtat gratia famæ,
Sed fugiunt uerſus nomina longa breues.
Et quaſi pœniteat tantæ fera numina cladis,
Sitq; parum ſummos tot cecidiſſe uiros.
Ecce eadem inuiſæ mortis uis abſtulit Heſſum,
Heſſum, cui tellus non tulit iſta parem.

Qui

Qui pariter Græcas Muſis ſociando Latinis,
Abſoluit tota quidquid in arte fuit.
Atq; aliquis ſperet melioris tempora mundi,
Quæq; futura, eadem proſperiora putet?
Heu mihi quæ rerum facies? quis naſcitur ordo?
Qualia nos & quàm barbara ſæcla manent?
Quæ qui ſecuro poterit contemnere uultu,
Idem etiam patriæ funera lætus agat.
Nos certè caſus quiſquis tua fata ſequetur,
Plangimus heu mortem chare Poeta tuam.
Quáq; licet lachrymis teſtamur & ore dolorem,
Saucia quem tanto uulnere corda gerunt.
Quem neq; longa dies, qua cætera cuncta leuantur,
Nec ratio à ſolito dimouet ulla ſtatu.
Quãuis ſi qua manent iuſtorum præmia manes,
Et poſita eſt meritis gratia certa ſuis.
Te quoq; credibile eſt miſtum fœlicibus umbris,
Nec lachrymis noſtris iam, nec egere prece
Sed liquidas inter mentes, ſuper æthera uectum,
Perpetua rerum proſperitate frui.
Et uel Ieſſeis ſociantem carmina neruis,
Cantica cœleſti pſallere grata Deo.
Aut caſtas inter diuinæ Heroidas *aulæ,*
Carpere cum ſanctis gaudia læta choris.
Quo quæcunq; tuos retinent habitacula manes,
Seu quaſcunq; tenes umbra beata plagas.
Sis fœlix, noſtrũq; precor, cape dexter honorẽ,

Quem tibi ſupremum mœſta Thalia refert.

ERHARDO CRISPO. LL. LIcentiato amico S.

QVanto dolore nuper ex obitu coniugis meæ non dico affectus, ſed planè obrutus fuerim, Erharde chariſsime, rei ſignificatione aliqua citius, quàm oratione tibi declarârim. Nam & amiſi eam, quam propter uirtutes plurimas, quibus prædita fuerat, diligebam maximè: & eius caſu rerum mearum diſpendium tantum factum eſt, ut id propè irreparabile mihi eſſe uideatur. Proinde cum hęc perturbatio non ſolum animum ac ſenſus, ſed prorſus omnia uiſcera, ut ita dicam, mea peruaſiſſet, etiam Muſam illam noſtram excitauit, jam olim iacentem & penitus quaſi effœtam. Paucos igitur uerſiculos quoſdam effudi uerius, quam ſcripſi, quibus & immaturam illius mortem, & meam ipſius miſeriam deplo raui. Hoc quidquid operis eſt, ut quidem de functæ illius memoriæ atq; exequijs dedicaui, ita tibi quoq; porrò communicandũ exiſtimaui, ut quem ſciam pro ea amicitia, qua iam olim inter nos deuincti ſumus, & in hoc luctu meo multum ac ſæpe ingemuiſſe, & utriuſq; noſtrum cauſa, ſemper atq; ex animo uehementer omnia uoluiſſe, Vale.

EPICEDION

EPICEDION IN OBITVM GERTRVDIS VXORIS SVAE.

SIC igitur ſæuæ, ſic ô dulciſsima coniunx,
Ante ſuum Parcæ te rapuere diem?
Nec tua te pietas, nec tot texere labores:
Non amor, & caſto iuncta pudore fides?
Quin procul heu, patria, et flauētis gurgite Mœni,
Externa fieres flebile funus humo.
Nec de te quidq̃ reſtaret quàm leuis umbra,
Et cinis, & digitis oſſa leuanda tribus.
Quæ tegeret uilis properato ceſpite tellus,
Aut etiam premeret pondere læſa graui?
Scilicet hoc noſtris deerat poſt cætera fatis,
Hæc aberat ſummæ debita cura meæ.
Vt facie cuius uiuentis, & ore fruebar,
Aſpicerent oculi corpus inane mei.
Et quibus ipſe tibi dextram complexus inhæſi,
Cum fierent tedæ fœdera prima nouæ?
His tua nūc manibus, mœſtus, gemituq; repletus,
Colligerem triſti frigida membra ſolo?
Heu me, qui tanto produxi tempore uitam,
Heu ſpacijs ætas inuidioſa ſuis.

Non igitur poſthac tecum, mea uita, ſedendo,
Solabor fatis anxia corda meis?
Non notas audire tuas, & reddere uoces,
Non dabitur ſolitis corda leuare modis?
Inter ludentes amborum pignora, natos,
Quotquot adhuc reliquos uita ſuperſtes habet;
Venturos igitur quæ ſors mihi finiat annos,
Quæue premat canos ægra ſenecta meos?
Iam mihi, ſi numeres tranſactæ tempora uitæ,
Annorum properant luſtra peracta nouem.
Ex quo uitales primum ſum natus in auras,
Hic ubi Rhenigenas temperat Ellus aquas.
Et minor obliquo deſcendens tramite gurges,
Maioris mutat nomina, Pryſca ſuo.
Qua ueteri quondam dictus de nomine Iuli,
Germanas Latio milite fudit opes.
Quos non interea uidi miſer ipſe labores,
Aut quæ pars uitæ læta peracta meæ eſt?
Vix benè ſeptenos ætas mea fecerat annos,
Cum uideo matris triſtia fata meæ.
Vnica progenies, patris nutrita ſenectæ,
Et ſpes, ſi qua foret, ſola futura domus.
Quos ego tũc luctus? quæ tẽpora flendo peregi?
Quàm res hæc animo ſedit acerba meo?
Sed neq; dura mouent miſerorum fata querelæ,
Nec tangunt ſæuas uulnera noſtra deas.
Nondum igitur prima tectus lanugine malas,

Et

Et nuper luſtris grandior ipſe tribus:
Protinus externas patria procul actus in oras,
Ignotas, profugi more, pererro domos.
Namq; & Turinga, ſtudijs ſecretus, in urbe,
Quam ſecat exiguo lenis Hiera uado.
Dura ferê toto tranſegi tempora luſtro,
Dum ſequor Aonij ſacra, deosq; chori.
Et mox Saxonicos ultrà prouectus in agros,
Albis ad Arctoum quâ mare tendit iter.
Ocia dura quidem, ſed non ingrata peregi,
Pars quota Pierij factus & ipſe gregis.
Vt taceam Myſos, Francos, & Norica regna,
Et uos quos primis alluit Iſter aquis.
Omnes quas longo terras peragrauimus æuo,
Dum tandem uentum eſt ad uada Mœne tua.
Hîc demum laceræ ſtatio patefacta carinæ,
Et ſpacium feſſis uentus & unda dedit.
Hîc nos tunc primum, iuuenes ætatibus ambos
Iunxerunt thalamo fata, deusq; nouo.
Cum tibi deficerent, ſupereſſent tres mihi meſſes,
Ne facerent annos bis duo luſtra pares.
Sed neq; tunc paſſu fallax fortuna tenaci,
Conſtitit, aut certo fixit in orbe pedem.
Nam ſimul ac cœpi paruas componere ſedes,
Iamq; aliquo ſtabat condita Veſta foco.
Continuo placidos uertit dea lubrica uultus,
Moxq; redit uelis triſtior aura meis.

Bis uitæ certos cœpi ſedemq́;, Laremq́;,
Ponere uitiſero margine Mœne tuo.
Bis rediȷ,infœlix, mutatis curſibus æui,
Huc ubi liberior Nicer in arua ruit.
Siue ita naſcenti ſtatuit Cyllenia ſtella,
Linigeræ duro pondere preſſa Deæ:
Siue arcana latet fatorum cauſa,Deusq́;
His uoluit curis tempora noſtra premi.
Sed tamen hæc quacunq; fuit mihi ſorte peracta,
Præſidijs tota eſt uita peracta tuis.
Tu noſtri ſolamen eras,tu cura laboris,
Tu medicina malis hactenus una meis.
Dum Deus, & melior uita fortuna fruentem
Paſſa eſt te comitem caſibus eſſe meis.
At nunc humanis ſublata te quoq; rebus,
Dimidia noſtra parte uacante domo.
Heu fera fata deûm, iaceo miſer ipſe,iacetq́;,
Præſidio quicquid conſtitit antè tuo.
Non ſpes ulla mihi, non ulla leuamina rerum,
Omnia cum uita mors tulit atra tua.
Quocunq; aſpicio ſubeunt gemitusq́;,dolorq́;,
Quiq; ſolet uacuis horror ineſſe locis.
Seu uigilo infœlix,uigilanti occurrit imago,
Quæ feriat ſenſu pectora noſtra tui.
Siue hominũ feſſos placidus ſopor occupat artus,
Solus in hæc nullus lumina ſomnus abit.
Non ſocij,tractæq; iuuant per pocula noctes,

Non

Non ſoliti luſus, non Lyra, non cithara.
Hæc quoq; quæ ſæuos fama eſt, ſedare furores,
Atq; etiam Stygium flectere poſſe Iouem.
Necquicquam noſtras demulcent carmina mentes,
Non facit ad luctus Pieris ulla meos.
Non magis, ac capta matres iuuat hoſtibus urbe,
Attonitas inter ducere tela choros.
Nec puto, plus Orpheus caſu percuſſus acerbo
Labentem fato uidit ut Eurydicen. (eſt,
Qui uelut, ipſe ſuo fretus cantuq;, lyraq;
Dicitur infernos uiuus obiſſe lacus.
Sic miſer, ipſe traho defuncto corpore uitam,
Mortuaq; in uiuo corpore membra gero.
Nunc quoq; quæ gracili duco tibi carmina uerſu,
Sic duco, ut ſenſu uix fruar ipſe meo.
Obruit ingenium mœror, gemituq; tremiſcens,
Non ſatis officio languida dextra ualet.
Forſan & extremus nobis erit iſte laborum,
Deflet & hæc uno carmine Muſa duos.
Sed tamen iſta fuit quæ tam fera numinis ira?
Aut quæ tam ſubiti cauſa putanda mali?
Grata parum credo ſuperos in uota uocaſti,
Nec dederas pura thura, preceſq; manu.
Aut teneris natis, aut non ſatis æqua marito,
Fœdaſti thalamos labe notata tuos.
Quos igitur cultus, aut quos pietatis honores,
Vllo te dicam præteriiſſe loco?

Quæ nunq̃ rebus ſurgebas mane gerendis,
Aut contrà ſomno corpora feſſa dabas.
Vt non diuinis operoſa ante omnia rebus,
Libares Domino uota, precesq; Deo.
Atq; eadem ſupplex demiſſa uoce rogares,
Ipſe ſua regeret teq;, tuosq; manu.
Hæc eadem natos, eadem data penſa trahentes,
Vt facerent, memini te monuiſſe tuos.,
Illa autem quæ ſunt caſtarum propria matrum,
Et ſeruare fidem, & uelle placere uiro.
Quæ Panthea magis, uel quæ magis Icariotis,
Ipſa ſuæ domui præſtitit atq; uiro.
Nam ſeu læta forent peragendæ tempora uitæ,
Poſceret & melior gaudia forte dies.
Ruſticitas aberat, morumq; incondita uirtus,
Non aderat faſtus, non tumor ingenij.
Sed ſolum ut poſſes proprio ſeruire marito,
Quæ te ſollicitam cura teneret, erat.
Siue graues contrà rerum depoſceret uſus
Mores, atq; operæ pars foret illa tuæ.
Nulla magis ſtudio magis aut grauitate ualebat,
Sumebas animum tu quoq; ſæpe uiri.
Talis erat, credo, doctis celebrata Theano,
Talis Gracchorum ſedula mater erat.
Præcipuè tractare penum, & diſponere cura,
Tempore quæ ſubito mox repetenda forent.
Vix melior toto (liceat mihi dicere uerum)

Aeuo

Aeuo, quo iuncti uiximus, ulla fuit.
Scit patria, & ciues, ſcit cætera turba tuorum,
Vanaq; nec numeris perſequar ulla meis.
At puto difficilis formam natura negarat,
Et fuerat uultus gratia nulla tui.
Nec tibi erãt proaui, nec opes, nec ſanguis aui-
Non patria antiquo nobilitata ſolo. (tus,
Heu miſeros homines, ſuperi ſi talia curent,
Atq; aliquis tanti ſorte negata luat.
Non ego uel formæ ſic uixi deditus unquàm,
Eſſet ut hæc animis inſidioſa meis.
Aut etiam ingenij donis potiora putaui,
Quæ uel natura, uel data ſorte forent.
Vera hominis uirtus dos eſt, & amore colenda,
Quam neq; uis fati, nec Iouis ira domat.
Cætera fortunæ uarijs ſtant obuia telis,
Aut etiam longo tempore uicta cadunt.
Sed tamen hæc ſi quis nonnulla in parte locanda,
Atq; aliquo laudis nomine digna putat.
Tu quoq; quã par eſt, referes hoc nomine laudẽ,
Cui neq; uile genus, nec mala forma fuit.
Non uultus Helenæ, nec erãt tibi corpora Ledæ,
Sed facies, qualem conuenit eſſe probis.
Quanq̃ etiam hæc licito nonnullos traxit amore,
Nec caruit cultu prima iuuenta ſuo.
Illa autem generis quis neſcit nomina ueſtri,
Quoq; fuit mater prædita, quoq; pater.

Quà ſacer inuehitur flauenti gurgite Mœnus,
Et quà uicinos Cala pererrat agros.
Quorum hæc, ſi priſcis componere noſtra licebit
Nominibus, fertur conſule nata patre.
Alter & ipſe datos populi geſtauit honores,
Seruauitq; ſuo iura, fidemq; foro.
Ipſa quoq; in lucem quæ te modo protulit ortam,
Patria, finitimis præſtat honore locis.
Quam iuxta pulchro decurrit flumine Mœnus,
Et mediam læto gurgite ſulcat humum.
Parte ab utraq; patent fœcundi frugibus agri,
Pars quoq; ſtat donis conſita Bacche tuis.
Quas olim terras profugo cum cõiuge Nympha,
Progenies, tenuit, Carole Magne, tua.
Cum patrias iras propter, uetitosq; hymenæos,
Exul in ignoto quæreret arua ſolo.
Qua deinde inuenta, nutu redeunte paterno,
Fœlicis meruit nomen habere locus.
Nunc quoq; templa manent ſedis monumenta ue
Et ſacer antiqua relligione chorus. (tuſtæ,
Et iuxta, caſum minitantis fragmina muri,
Impoſiti ripis prætereuntis aquæ.
Cætera longinqui perierunt temporis uſu,
Et tegit ingentes uaſta ruina domos.
Tali igitur patria, tali quoq; ſtirpe creata,
Quæq; decet caſtas prædita dote nurus.
Debueras aliqua ſuperos uel parte mouere,

Debuerat

Debuerat uirtus tangere fata tua.
Sed neq; fata mouent hominũ benefacta, nec ulla
Flectuntur noſtra pectora dura prece.
Illaq; ſors placidis ſemper manet addita rebus,
Qua prima intereunt optima quæq; die.
Sic roſa, ſic uiolæ prima moriuntur in herba,
Candida nec toto lilia menſe nitent.
At contrà tribuli, & malè noxia gramina ſpinæ,
Nec metuunt uentos, nec niue tacta cadunt.
Paſiphaes nemo uitæ deſiderat annos,
Nemo Hecates, fato neutra perẽpta breui eſt.
At iacet Alceſtis pro coniuge mortua uiuo.
Cumq; ſuo cecidit Laodamia uiro.
Ergò eadem noſtris ſors inuida te quoq; rebus
Abſtulit, & ſubito funere merſa iaces.
Cui neq; tota quidem uitæ bis quatuor acta
Ruperunt medios luſtra repente dies.
Tempore quo melior feſſis iam matribus ætas,
Ociaq; à partu ſera uenire ſolent.
Nec licuit curſus æui ſpectare tuorum?
Nec ſibi quod uitæ quiſq; paraſſet iter.
Non teneras neptes, non pignora chara nepotũ,
Quæq; ſolent comites matribus ire nurus.
Omnia quæ longæ ſolatia cara ſenectæ,
Atq; animi quondam cura futura tui.
Heu malè cum rapta mors abſtulit inuida uita,
Teq; tot orbauit rebus iniqua bonis.

Forſitan & noſtras luis ipſa miſerrima pœnas,
Et merſere caput crimina noſtra tuum.
Hei mihi, ſi pendas alienæ debita culpæ,
Simq; ego cauſa mihi funeris ipſe tui.
Nam mea cur toties mutantur tempora uitæ?
Cur nunq̃ portu ſtat mea cymba ſuo?
Sed uelut aſsiduis agitatur fluctibus undæ,
Quam leuis hinc Boreas concitat, inde Notus.
Non tolerat ferrum nimios, neq; ſaxa, labores,
Franguntur longa robora dura mora.
Nec ſemel è propria ſi qua eſt tellure reuulſa,
Arbor in ignota mox coaleſcit humo.
Iure igitur capio ueſanæ præmia mentis,
Et precio facti perfruor ipſe mei.
Et nunc materno reliqui de funere nati,
Ante oculos errant tres, totidemq; meos.
Sic aliquis forſan. dubiæ ſed tempora uitæ
Non ſunt euentu quæq; notanda ſuo.
Nec noſtra eſt ideo, ſi qua eſt ea, culpa laborum,
Sed uerſat tantas Iuppiter ipſe uices.
Qui pariter iuſtos inuolui clade malorum,
Atq; hoc qui factis commeruere, ſinit.
Impiger Alcides magno fuit exul in orbe,
Non habuit toto tecta, laremue ſolo.
At certas Echetus, certas quoq; Siſyphus arces,
Poſſedit, patriæ crimen uterq; ſuæ.
Ille tamen moriens inter fuit aſtra relatus,

Fulget

Fulget & Arctoæ ſidus in arce plagæ.
Aſt hi ſe digno perierunt fine, rotatq́;
Per Stygias alter nunc quoq; ſaxa domos.
Quare hoı̄m incertos domino permittere caſus
Nos decet, & magni noſcere iura Dei.
Præſentemq́; animo ſortem tolerare modeſto,
Cum pariter iuſtos hæc trahat, atq; malos.
Tu quoq; quam duri rapuit uis improba lethi,
Cuius ſtant fuſis ſtamina rupta ſuis.
Has hominum curas, atq; hæc arbitria uulgi
Deſpice, fœlicis pars modo facta chori.
Ac tibi quæ reſtant melioris commoda uitæ,
Quæq́; manent animas tempora læta pias.
His tua præſentis fortunæ damna repende,
Fataq́; legitimos ante peracta dies.
Vixiſti patrios inter nutrita penates,
Stemmate non longo, ſed tamen orta bono;
Vixiſti proprijs opibus, nec rebus egena
Traxiſti famula tradita penſa manu.
Vidiſti natos, communis pignora lecti,
Senſiſti & noſtræ commoda certa domus.
Vndecies geminos thalamo ſociata per annos,
Vndecies uno es coniuge facta parens.
Nulla tibi labes aſperſit crimine uitam,
Præluces generi nunc quoq; laude tuo.
Cætera ſi qua tuis debentur præmia factis,
Vt ſunt uirtutis plurima facta tuæ.

Hæc tibi mox alio compenſabuntur in æuo,
Pectora quod nulla labe notata colunt.
Ac niſi nulla fides uatum ſtet certa priorum,
Fabulaq́; Elyſij uana ſit omnis agri.
Iam frueris uero uitæ ſplendore perennis,
Teq́; tenent celſi lucida regna poli.
Illic & pura toties quem mente uocaſti,
Aſpicis humana libera ſorte Deum.
Illic & natos, & pectora cara parentum,
Atq; olim functos corpore cernis auos.
Atq; utinã noſtros uideas quoq; poſt breue uul- (tus,
Et ſedeam lateri iunctus, ut antè, tuo.
Quiq; hominum caſus genitor diſpenſat et ortus,
His aliqua eripiat me quoq; ſorte malis.
Quæ dum differtur fatis lux debita noſtris,
Spiritus & pigro corpore clauſus hebet.
Interea hoc noſtrum longæui pignus amoris,
Accipe & exequijs ultima dona tuis.
Quòd ſi nos quæcunq; manet poſt ſæcula nomen,
Nec planè ingenium fruſtra erit omne meum,
Te quoq; uenturos celebrabit fama per annos,
Nomen & è noſtro carmine nota, feres.
Atq; aliquis coniunx dicet fuit iſta Micylli,
Pectora Dij, qualis iunxerat illa fides.

EPITAPHIVM EIVSDEM.

Conditur hac miſeri coniunx tellure Micylli,

Heu

Heu procul à patria, & margine Mœne tua.
Vndecies uni geminos quæ nupta per annos,
Vndecies uno eſt coniuge facta parens.
Vlterius Parcæ nihil indulſere ſorores,
Terra tegit cineres, ſpiritus aſtra tenet.

Deceßit Anno ætatis ſuæ. XL. Domini autem M. D. XLVIII.

QVERELA AD EANDEM uxorem defunctam.

AT tu nunc placida recubas tellure ſepulta,
Nec te uel bellum, uel premit ulla fames.
Nec mala, quæ paßim certa ſine ſede uagantes,
Hinc uiduæ, hinc orbi tot patiuntur aui.
Nos miſeri medios inter malè uiuimus hoſtes,
Quos metus ex omni parte perennis agit.
Queis neq; luce datur, neq; ducere nocte quietē,
Non oculos ſomnus, non iuuat ora cibus.
Sed uelut ille ſenex doluit ſua fercula uates,
Pollui ab immunda, luminę caſſus, aue.
Sic miſeri ambeſas lugemus nos quoq; menſas,
Quas auis à ſero ueſpere miſſa rapit.
Heu nos, qui tales uitæ ſeruamur in annos,
Quos repetit lento Parca ſupina pede.
An quia plus lædit, quæ conſtat tempore pœna,
Quàm quæ momento clauditur acta breui?
Et magis hęc imos penetrant cũ pondere ſenſus,

Quæ feriunt longa pectora feſſa mora?
Fœlices primo quos ſors tulit æquior æuo,
Nec paſſa eſt longos agglomerare dies.
Non illos ſæui tremefecit militis enſis,
Non illos medio claßica pulſa foro.
Sed uelut in pulchro uernans roſa pullulat aruo,
Quam neq; uis uēti, nec grauis unda premit.
Sic illi tacito traducunt tempora ſenſu,
Nec mala quæ mundus tot parit, illa uident.
Sic equidem credo primos degiſſe parentes,
Horto cum uixit clauſus uterq; nouo.
Sic quoq; quos læto recipit poſt funera campo,
Fœlix Elyſij credita terra ſoli.
Quæ ſeu uera manet, ſiue eſt fœlicior illa
Defunctis requies certa parata pijs.
Hac nos, ô genitor, tandem cum pace repone,
Pectoraq; ex iſtis eripe noſtra malis.
Aut ſi nulla datur moriendi tanta poteſtas,
Et malefactorum nos ea culpa premit.
Saltem aliquos iterum, Calain Zetenq; remitte,
Qui pennis abigant hæc noua monſtra ſuis.

NICOLAVS CISNERVS. PAVlo Ciſnero fratri ſuo S. D.

CVM Iacobi Micylli elegiam conſolatoriam, quam ad te de obitu uxoris tuæ ſcripſit, perlegiſſem: magnam cer

tè doloris leuationem ſenſi. Etſi uerò haud ſcio magis ne me cognatio argumenti, an carminis ſuauitas affecerit: tamen me illius lectione uehementer commotum eſſe certo ſcio. Nec ſecus mihi accidit, atq; ijs, qui uenuſta quadam pictura capiuntur: quid autem ſit potiſsimum, quod approbationem moueat, & qua de cauſa, nequeunt iudicare. Itaq; cum eam poeſis amatoribus gratam fore exiſtimarem, non dubitaui hanc in me culpam ſuſcipere: quam mihi Micyllum pro ſua in me beneuolẽtia facilè cõdonaturum ſpero: ut quod ipſe in noſtram ſolum gratiam ſcripſiſſet, ego cum alijs communicarem. Ad te uerò mi frater hoc Micylli tanti & uiri & amici munus mitto, quod meo quidem iudicio in tanta luctus tui acerbitate nec paruum eſt, nec contemnendum. Non enim magnitudine & numero, ſed bonitate momentoq; ſuo quæq; res eſt ponderanda. Nec ſi parua ſæpe ſigilla pluris fiunt quàm ingentes ſtatuæ, quòd certiora ſunt in illis, quàm his ex artis & ingenij expreſſa ueſtigia: eadem & in ſcriptis ratio non obſeruabitur. Sed de his aliàs. Tuarum eſt partium, hanc conſolationem bono gratoq; animo accipere, atq; illo dolorem lenire tuum. Bene uale.

CONSOLATIO AD PAVLVM CISNERVM.

SI tibi non aliquo firmatum numine pectus,
Si ſoret à ſuperûm mens aliena fide.
Nec ſcires hominũ quæ ſors ſit addita rebus,
Quamq́; ſit hæc fato ſubdita uita breui.
Longius hic agerem tecum chariſſime Paule,
Quærerem & in curas pharmaca plura tuas.
Sed puto, nec noſtri uiuis ſic inſcius æui,
Aut hominum ignarus conditionis agis.
Vt quidq̃ in toto credas durabile mundo,
Quam latè terras Phœbus oberrat equis.
Quò te, Paule, decet ſubitos agnoſcere caſus,
Quæq́; uides fieri, uelle putare Deum.
Occidit, heu, miſero pridem dulciſſima coniunx,
Occidit ante ſuum funere merſa diem.
Nec probitas illam, nec amicæ gratia formæ
Texit, non tenero ſuauis in ore pudor.
Quo minus immites exercerent ſua Parcæ
Numina, funeſtas inijcerentq́; manus.
Atq; hanc, incurua quæ demetit omnia falce,
Tolleret è medio mors truculenta gradu.
Non aliter tenera quàm cùm reſecatur in herba,
Quæ primo exhilarat gramina uere, roſa.

Sed

Sed quid agas? num uel triſtes tua pectora curæ,
Aut tua tabificus deuoret oſſa dolor?
Dum tua perpetuo liqueſcunt lumina fletu,
Non oculis ſomnum, non capis ore cibum.
Ac uelut in uacuo quærit ſua pignora nido,
Cum dolet amiſſum Daulias ales Itym.
Sic tu præreptos animo meditaris amores,
Atq; abſens, præſens quod nequit eſſe, cupis.
Haud equidem iubeam, neq; te, chariſſime, fas ſit
A lachrymis oculos abſtinuiſſe pijs.
Aut te, quæ toties animo, uultuq; leuauit,
Eius te nullo fata dolere modo.
Namq; etiã Stygias Orpheus deſcẽdit ad umbras,
Funera dum deflet coniugis ipſe ſuæ.
Et breue Phylacides ſpacium Plutona precatus
Iuit in amplexus Laodamia tuos.
Quinetiam noſtras illius funera curas
Exercent, animos afficiuntq; meos.
Nam quem non moueat tam ſæui iniuria fati?
Aut hæc tam celeri mors properata pede?
Vix mõ quinq; puto, ſi uel tamen integra quinq;,
Viderat hæc uitæ luſtra peracta ſuæ.
Et nuper thalamo tecum ſociata iugali
Ediderat lecti pignora bina noui.
Non genus, aut proaui, non illi fama parentum
Deerat, non propriæ gloria parta domus.
Illi etiam tellus multo cum fœnore fruges,

Et Cererem plenis ſufficiebat agris.
Illi, quæ ripis naſcuntur plurima Nicri,
Implebant totos dulcia muſta cados.
Deniq; longinquo quæcunq; ex orbe recepta,
Per terras alij, per freta longa petunt,
Hæc illi facili conceſſerat omnia dextra,
Pingitur in uolucri quæ dea cæca rota.
Sed nihil immites, nil curant talia Parcæ,
Non illas lachrymæ, non pia uota mouent.
Quinetiam uitæ cum tangunt ultima metam,
Et ueniunt dura fila ſecanda manu.
Non illas ſuperi, non infera numina flectunt,
Inuictæ duro ſtant Adamante magis.
Memnona ſic mater, ſic mater fleuit Achillem,
Quanquàm eſſet celebri natus uterq; dea.
Nec Venus à letho pulchrum ſeruauit Adonim,
Aut Atym Cybele, aut Iaſona Ceres.
Ipſe etiam magni (quis credat) rector Olympi
Defleuit Lycij triſtia fata ducis.
Vſq; adeo intactum nihil eſt, terraſq; per omnes
Exercet uires trux Libitina ſuas.
Aſpice tot claros, hominum monumēta, labores,
Quos Aſiæ tellus, Dorica quoſq; tulit.
Quò nunc Pyramides, ueteris miracula Nili?
Motaq; cum Phœbo Memnonis ora nouo?
Quò redijt Babylon, ſolitiq; bitumine muri,
Et domus antiquæ tanta Semiramidis.

Aut

Aut ubi Mauſoli pendentia marmore tecta?
Structaq́; Amazonia templa operoſa manu?
Aut ſacer Elei cultus certamine curſus
Iuppiter? aut Rhodij Sol moderator agri?
Quo ueteres Thebæ, quo priſci regia Cadmi?
Mœniaq́; ad citharæ quæ coiere ſonum?
Aut ea qua uictus partu Neptunus oliuæ,
Obruit iratus fluctibus arua nouis.
Quáq́; olim puppes Ephyræa celſus ab arce
Siſyphus Aegeas uidit & Ionias?
Scilicet incurua rapuit mors omnia falce,
Hæc etiam templis, marmoribusq́; uenit.
Atq; homines querimur, ſi uilis portio glebæ,
Hinc abit in uitam ſpe meliore nouam?
Quæq́; prius fuerant obnoxia corpora fato
Mutat in haud ulla poſt moritura die?
Hæc quoq; enim perſtat ueterū doctrina uirorū
Teſtibus & longa prodita uera fide.
Cumq́; alia æternam patiantur corpora noctem,
Totaq́; defuncto uis animante cadat.
Solus ab humano cum ſpiritus exijt ore,
Viuit, & à ſæua morte ſuperſtes agit.
Atq; uti uere nouo recipit ſua gramina campus,
Induit & uirides ſylua renata comas.
Aut ubi flaua Ceres, brumalibus abdita terris,
Erigit in lucem ſemina læta nouam.
Sic quoq; cœleſtis, deterſa morte, creator

Eriget in uitam corpora noſtra nouam:
Atq; iterum ſuperas læti ueniemus in auras
Induti carnis uiſcera quisq; ſuæ.
Tunc cum defeſſum rapient incendia mundum,
Et peragent ſummum ſæcula clauſa diem.
Hanc bonus ipſe uiam dudum monſtrauit Ieſus,
Oſtendit uitæ primitiasq; nouæ.
Tertia cum uidit ſurgentem aurora ſepulchro,
Et reduci uictas fata dedere manus.
Hanc & fatidicæ præſagiuere Camœnæ
Aſſyrij, ſenſit qui mala mille, ſenis.
Dũ ſedet, et Domino peragit cũ carmine laudes,
Illi, qui rurſum, quod dedit antè, tulit.
Quo minus iſta tuæ ſunt & tibi fata dolenda
Coniugis, aut ſomnus, quo modo uicta iacet.
Sed magis optatæ lux expectanda diei,
Artus cum repetet mens rediuiua ſuos.
Et tua te rurſum meliori in luminis aura
Aſpiciet uultu Barbara læta nouo.
Deniq; præſentis quæ tanta eſt gratia uitæ?
Aut hoc quid dignum flebile tempus habet?
Vt teneat quenquam uiuendi magna uoluptas,
Atq; aliquis ſeros uiuat aduſq; dies?
Aſpice, quæ paſſim crudeſcunt bella per orbem,
Qui fremitus hominum, quantus ubiq; pauor.
Hic alij eliſo labefactant mœnia ſaxo,
Et longa populos obſidione premunt.

Vaſtantur

Vaſtantur miſeri ferro, flammiſq; coloni,
Et cultore iacent arua relicta ſuo.
Illic inſolitas demittit Sequana turmas,
Et lacerant uacuas gallica gæſa domos.
Eſuriunt uiduæ parua cum prole parentes,
Et pereunt longa tabida membra fame.
Ipſa etiam inuadit Diuûm penetralia miles,
Quæq; ætas melior contulit, illa rapit.
Nuſquàm tuta quies, nuſquàm concordia rerum,
Miſcentur motu ſacra, profana pari.
Quo magis & mulier teneræ ſolatia mentis,
Aut nulla, aut iſto tempore parua capit.
Nam quos illa petat luſus, aut gaudia quanta,
Cum uidet ante oculos omnia ſæua ſuos?
Quæ ſi fortè nitet pulchra ſpectanda iuuenta,
Gaudet, & æquales ducere læta choros:
Pro fidibus galeæ, pro leui claßica buxo,
Pro molli cithara cornua rauca ſonant.
Sin iam mater habet longi ſolamen amoris
Pignora, & hæc crebro geſtat, amatq; ſinu.
Aſpicit, heu, longis matres terroribus actas,
Cum tenera triſti prole perire fame.
Deniq; ſeu ſacras ſupplex aſcendit ad aras:
Seu media ſolitas carpit in urbe uias.
Omnia terrifico miſcentur compita luctu,
Multus ubique pauor, multus ubique dolor.
Quæ ſi qua eſt tacita quæ ſecum mente uolutet,

Ecquid adhuc illam, quod iuuet, eſſe putas?
Præcipuè talem, qualis tua Barbara uixit,
Et ueri imbutam cognitione Dei.
Ipſa equidem credo, ſi dent pia numina uocem,
Illius ante oculos & ſtet imago tuos.
Deterſis lachrymis, & aperto candida uultu,
Aut hoc, aut ſimili ſolueret ora modo.
Quid uerò, ô, dicens, tandem chariſſime cõiunx,
Quid laceras curis languida corda tuis?
Quid iuuat incaſſum ſæuo indulgere dolori,
Non animum noctu, non releuare die.
Deſine ſollicitis ſuperos urgere querelis,
Deſine, nil lachrymæ, nil tua uota iuuant.
Cùm ſemel impletis ceſſarunt ſtamina fuſis,
Filaq; lanificis de tribus una ſecat.
Fruſtra iter ad ſuperas remeabile quæritur oras,
Obſtructæ duro ſtant Adamante uiæ.
Non ego ſponte tuo cupij diſcedere lecto;
Aut tibi deſertum linquere, Paule, thorum.
Scit Deus, & genitor, qui nos cõiunxit amantes,
Cum preſſi thalamos facta marita nouos.
Ac tecum optarim longam conſumere uitam,
Atque auctam multa prole uidere domum.
Sed ſuperis aliter uiſum, & me fata deorum
Viuere in his terræ non uoluere malis.
Nec clades hominũ, aut diſcrimina tanta uidere,
Et toties uiduas militis enſe domos.

Nam

Nam quid adhuc reſtat, ſolo te coniuge dempto,
Ducere cur uitam longius ipſa petam?
An quia nunc placidis rediȷt concordia rebus,
Et ſtant in tuto ſacra, profana loco?
Nec frater fratrem ciuilibus implicat armis,
Atq; aliquis Domini reſtat in orbe timor?
Ah miſeros homines, nondum mala ſi ſua norunt,
Aut hæc ſecuro pectore damna uident.
Ipſa equidem credo nullo plus tēpore fraudem,
Perfidiam, inſidias, & ualuiſſe dolos.
Atq; aliquis captet præſentis gaudia uitæ,
Aut æuo doleat ſe breuiore frui?
Nec me nunc retinent uani ſpectacula mundi,
Quæq; hoīm inconſtans, & leue uulgus amat:
Nec tangunt animum ueſtis precioſa, uel aurū,
Aut aliâs charum fœmina quidquid habet.
Omnia quæ modico uaneſcunt temporis uſu,
Nec fructus aliquos, & leue pondus habent:
Vixi, & quas dederat partes fortuna peregi,
Et mihi tota mea ſtat ſine labe domus.
Suſcepi geminam ſocio te coniuge prolem,
Vſa parum longo, ſed tamen uſa thoro.
Non fractum ſenio patrem, non rebus egentem
Aſpexi, aut patriæ damna dolenda meæ.
Vno hoc infœlix, quòd te dulciſsime linquo
Iactantem uidua corpora mœſta domo:
Nec ſupereſt aliquis ſaltem de ſanguine noſtro,

Qui patrem uocitet te,moneatq; mei.
O dolor, ô Parcæ.Sed & hæc Deus ipſe leuabit,
Audiet & noſtras æquus utriq; preces.
Teq; iterum faciet mutata coniuge patrem,
Ac thalami aſpicies altera dona tui.
Me uero Elyſij capient conſortia regni,
Quâ neq; Sol æſtu,nec riget unda gelu.
Ver ubi perpetuum, Zephyriq; tepentibus auris
Fœlicis gaudent arua beata ſoli.
Hîc oleæ, myrtusq; uirent:hic innuba laurus,
Palmaq;,uictrices quam peperêre manus.
Hîc crocus,hîc caſiæ,flos hîc fragrantis Amomi,
Liliaq;,& nitidis conſita prata roſis.
Hîc placida æterna peraguntur tempora pace,
Quam neq; uis hoı̃m,nec mora longa premit.
Purior & ſolito penetrat ſuper æthera curru,
Nec timet alternas candida Luna uices.
Huc proceres abiêre pij, quos lucifer olim
Effractis tenebris uexit ad aſtra puer.
Huc & præſentis uenient poſt funera ſæcli,
Qui pura Dominum relligione colunt.
Cũ quibus & dulces natos,placidamq; parentẽ,
(Corpora nunc quorum preſſa ſopore iacẽt.)
Et te,præſentis peraratis finibus æui,
Aſpiciam,& læto perfruar alloquio.
Atq; ita perpetuæ carpam noua gaudia lucis,
Quæ pater aſpectu temperat ipſe ſuo.

Et

Et iuxta, amborum mixto cum flamine natus,
Certa ferens iuſtis præmia, certa malis.
Hæc illa, aut etiam tecum, puto, plura loquendo
Firmaret dictis mollia corda ſuis.
Sed tu ſollicitas tandem depone querelas,
Atq; animum curis, triſticiaq; leua.
Quæq; pater uoluit, celſi regnator Olympi,
Perfer, & hos gemitus ad meliora refer.
Non hæc inuiſos ſpectabit pallida manes,
Aut ueniet Stygio; quâ calet igne lacus.
Nec metuet tedæ flammas, crepitumq; flagelli,
Horrida cui ſtrident anguibus ora, deæ.
Hic ubi terribiles exercent tartara pœnas,
Et grauis immiti præſidet urna foro.
Sæuus & horrifico latratu territat umbras
Cerberus, & mœſtas excubat ante fores.
Nec tu Caucaſeas inter nutritus es arces,
Aut tibi tàm genitrix barbara terra fuit.
Talia ut ignores, aut præmia nulla parata
Per cœlum, credas mentibus eſſe pijs.
Quæ quo ſunt hominum donis meliora caducis,
Et ſecum meritis gaudia plura ferunt.
Hoc animo debes minus omnia ferre moleſto,
Quæ Domino cernis facta placere Deo.
Sed cuius ſumma eſt adeò, atq; æterna poteſtas,
Imperium cuius terra, fretumq; timent:
Huic etiam ipſe tuas debes ſubmittere curas,

Huius & ad nutum uota referre tua.
Vt ſeu læta tibi, ſeu triſtia tempora currant,
Arbitrio Domini ſtesq; cadasq; Dei.
Hæc ego, Paule, tibi pro tempore pauca notaui,
Quæ Deus & Muſæ commonuêre meæ.
Quæ tu ſi capies animo, uultuq; benigno,
Accipiet precium noſtra Thalia ſuum.
Sin minus, attamē hoc, quod debuit, illa peregit,
Triſte quidem officium, ſed tamen officium.

QVERELA DE MISERIIS ET CALAMITATIBVS MVNdi, & præſentis uitæ ac temporis.

QVO *uerò, ô ſuperi, quò tāta licentia rerum?*
Quando erit, ut capiant hæc mala noſtra modum?
Atq; iterum affectis redeat concordia rebus?
Quæ nunc heu nimio tempore uicta iacet.
Aut quæ cauſa mali tanta, & tam ſæua furoris,
Quæue homines miſeros tā grauis ira premit?
Nam neq; tutæ quies usq̄, aut uia certa ſalutis,
Nulla eſt in rebus quantulacunq; fides.
Et ceu culpa foret uirtutis conſcia uita,
Exulat hinc probitas, exulat inde pudor.
Fallor? an ad ſummam decurrunt ſecula metam,

Eſtq;

Eſtq́; hæc fatidicæ planta ſuprema feræ?
An uero humanæ ſunt hæc contagia fraudis,
Et luimus primi noxia facta patris?
Et uelut ipſe Dei neglexit iuſſa parentis,
Sic quoq; nos uitæ turba proterua ſumus.
Nam ſeu diuinis quæ paßim rebus agantur,
Seu ſpectes hominum qualia uulgus agit.
Nemo eſt in magno, quotquot nũc uiuimus, orbe,
Qui facere officium cogitet ipſe ſuum.
Aut qui priuato diſcrimina publica lucro
Ante uel exigua ponere parte uelit.
Pars titulos quærunt, & magnæ nomina prædæ,
Et pudet in media uiuere plebe uiros.
Pars uocat in dubium ſæcli monumenta prioris,
Sideraq́; ingenio ſubijcit ipſa ſuo.
Extremos ratibus currit mercator ad Indos,
Et penetrat cunctos per freta longa ſinus.
Dum cumulet largo patrimonia ſera nepoti,
Atq; idem centum iugera bobus aret.
Aſt alius ficto fabricatur nomine cauſas,
Et nectit uarios arte, doloq́; modos.
Vt miſerum euertat tectoq́;, domoq́; clientem,
Adijciatq́; ſuis arua aliena focis.
Extructis alij peragunt conuiuia menſis,
Et nimias inter luxuriantur opes.
Nec curant æui uenientia fata futuri,
Nec ſi quis uindex aſpicit iſta Deus.

Sed pariter monitus rident hominumq́; , deûmq́;,
Et cœlum nugas, & Phlegethonta putant.
Ac uelut in ſomnis timidi ſimulachra figuris
Nequicq̃ uarijs, cernimus, acta modis.
Sic illos uideas certo ſine numine uitam
Degere, & incaſſum mente, animoq́; frui.
Quidam etiam ut uanæ defendant ocia uitæ,
Et titulo releuent non benefacta bono.
Prætendunt magni (ſi fas eſt) iuſſa tonantis,
Securos uitæ qui iubet eſſe ſuos.
Atq; ita cum rebus derident ſacra profanis,
Deſidet & uentri dedita turba ſuo.
Contrà alij ſæuo commiſcent omnia Marte,
Et paßim populos obſidione premunt.
Pulſantur crebra turres, & mœnia glande,
Et rapit eliſus culmina fracta globus.
Non ſecus ac rupto cum Iuppiter æthere flãmas
Deijcit, ac totos ignibus haurit agros.
Vaſtantur miſeri flammis & cæde coloni,
Et cultore uacant arua relicta ſuo.
Eſuriunt uiduæ parua cum prole parentes,
Et pereunt longa tabida membra fame.
Nec ſatis externo coguntur ab orbe manipli,
Et lacerant captas Gallica gæſa caſas.
Parte alia inuadit Diuûm ſacraria miles,
Quæq́; ætas melior contulit, ipſe rapit.
Dum ſedet & populis dictat noua iura ſacerdos,

Fingit

Fingit & arbitrio regna ducesq; ſuo.
O patria, ô genitrix Germania priſca uirorum,
Quò decus & uirtus, quò tua fama redit.
Infœlix æuo quantum mutata priori,
Et uultus alios, atq; alia ora geris?
Túne ea cui Vari tot ſuccubuere manipli,
Cui legio triplex cùm duce cæſa ſuo?
Hic ubi Teutonici reſtant ueſtigia ſaltus,
Nec procul humentes Lupia findit agros.
Cùm ferus hinc Chattos, hinc duxit in arma Cheruſcos
Ipſe ſuæ uindex Arminius patriæ.
Euerſasq; aquilas, euerſaq; pila ſubegit,
Et latè Auſonio ſanguine tinxit humum.
Ac Latio inſuetus domino ſeruire Viſurgis,
Suſtulit ex imis libera colla uadis.
Et ſecum tanti facto lætatus alumni,
Purior Arctoas inde petiuit aquas.
At contrà ſubita rerum formidine Cæſar
Attonitus, luctu conſcidit ora nouo.
Quiq; prius Medos, prius et cõtempſerat Afros,
Arbiter Eoæ gentis & Heſperiæ.
Vota deûm ſupplex tota concepit in urbe,
Fudit & auerſo thura, precesq; Ioui.
Tú ne ea, cui toties ſubmiſit Sequana campos,
Et dedit oppreſſas Gallia uicta manus?
Cùm neq; te Vogeſi rupes, neq; ſtagna Lemanni
Aut uada liquentis diſtinuere Moſæ.

Quo minus adÿceres terris ea rura paternis?
Quæ celer hinc Rhodanus, hinc mare claudit
Tũ cũ prima nouo poſuit fundamĩa regno (aquis.
Francus, & Aruerni uenit in arua ſoli.
Et deinde ad ſuperos Pipinæ gloria gentis
Extulit, & ſummos uexit ad uſq; polos.
Vnde genus procerũ, & ſummorũ nomina regũ,
Aetas Imperÿ quos tulit illa prior.
Et decus & regni Trabeæ, duplicisq; coronæ,
Sacraq; Cæſarea ſceptra gerenda manu.
Quę quoties animo mecum nunc ipſe uoluto,
Et repeto generis fata priora tui.
Heu quantum à ueteri diſtant hæc ſæcula regno,
Et quantum à priſcis degeneramus auis!
Quanquam equidem iſta tui nolim meminiſſe pu
Nec lætor caſu futilis ipſe tuo. (dore,
Et dolet amiſſæ ſiquis tibi nomina famæ
Obÿcit, aut laudes corripit ore tuas.
Qualia multa ſolent, ipſi qui laude carentes
Exagitant uerbis damna aliena ſuis.
Sed tamen hæc animo ſi quis ſecum ipſe uolutat,
Si quis ad hæc ſæcli reſpicit acta noui.
Heu quantum à ueteri diſtant tua nomina laude,
Nec color, aut facies, qui fuit antè, tibi.
Aſpice Saxonicæ ſpecimen uirtutis Othones,
Vnde hoc Imperÿ conſtat in orbe decus.
Aſpice Conrados, Fridericos, aſpice ab una

Tot genus, Hainricos, qui tenuêre domo.
Ecquis ab externæ metuit ſibi milite gentis,
Aut aliquo redijt factus ab hoſte minor?
Illi etiam Aßyrios bellis petiêre penates,
Quæ fluuio Eufrates ſeparat arua ſuo.
Atq; iterum Solymi deuicta gente Tyranni,
Aſſeruêre ſua templa, deosq; manu.
Quid memorē Albertū Germanæ gentis Achillē?
Quidue Palatinum te Ludouice, ducem?
Qui quod erant armis alij, tu pace fuiſti,
Conſilijs quo non æquior alter erat.
Horum aliquis, credam, paſſus tot damna fuiſſet,
Aut mala ſecura cerneret iſta manu?
At nunc aſpicimus medijs in finibus hoſtem,
Nec tenet hunc Albis, nec tenet Iſter aquis.
Quæq; malo res eſt multo crudelior omni,
Vt perimat fratrem frater ad arma uenit.
Parcite crudeles uenturo parcite ſæclo,
Neue genus ueſtra concidat omne manu.
Sint aliqui ſaltem ueſtra de ſtirpe nepotes,
Qui referant nomen, qui monumēta patrum.
Aut hæc ſi uobis pereundi tanta libido eſt,
Et rapitur fato Teutonis ora ſuo.
Vertite in externos collectas uertite uires,
Hæc facite ut Turcæ ſentiat arma manus.
Quanta eſt quæ terras latè populatur Eoas
Cultibus æterni gens inimica Dei.

Quanta eſt hyberno quæ tellus ſole tepeſcit,
Quæ gaudet ueſtris barbara terra malis.
Huc ſi quid laudis, ſi famæ reſtat auitæ,
Cuius adhuc aliquis pectora tangit amor.
Huc animum & uires, huc ſæui militis enſem
Vertite, in hæc ueſtras bella parate manus.
Sit pudor in proprios aliquid tentaſſe penates,
Sit pudor in patrios arma mouere focos.

CONSOLATIO SVPER MORTE VXORIS *Arnoldi Obſopœi.*

QVOS igitur uerſus, aut quæ tibi carmina pangam,
A gemitu tanto quæ tua corda leuent?
Aut quæ iuſta ſatis dictent ſolatia Muſæ,
Vt reuocem luctus ad meliora tuos?
Vix binæ & totidem complerunt horrea meſſes,
Cùm celebro thalamos dulcis amice tuos.
Ecce nouo infœlix graſſatur Parca furore,
Quæq; dedit facilis Iuppiter, ipſa rapit.
Heu miſeros hominum caſus, & inania uota,
Vt certam præſens non habet hora fidem.
Sic igitur ſolum te longas ducere noctes,
Tendere & in uiduo brachia mæſta thoro?

Sic te pertæſum uitæ, ſolitiq; laboris,
Cernere dimidia parte uacare domum.
Et nunc uoce deas, nunc numina dura uocare,
Mortem quæ tantum iuris habere ſinunt.
Verê igitur dixit, uitæ qui tempora dixit
Mancipio nulli tradere habenda deos.
Et qui res hominum filo pendente teneri,
Caſu dum ſubito quæ ualuere ruunt.
Sed quid agas, aut cur tantis tua pectora curis
Excrucies, nulla fata mouente prece?
Quid iuuat inſano fruſtra indulgere dolori?
Et quæ re nequeas uertere, uoce queri?
Aut ea quæ nuſquam conſiſtunt, uelle morari,
Et ſtabilem in noſtris quærere rebus opem?
Nam quid ſic ualidum toto conſiſtit in orbe,
Cras hoc ut poßis dicere, ſtabit opus?
Aut quis menſuram digito ſuppleuerit uno,
Auxerit aut minimo tempora cana pilo?
Non homines, non regna ſibi promittere quicq;,
Aut dubias poſſunt ui ſtabilire uices.
Omnia ſub certa fatorum lege tenentur,
Nemo horam potis eſt addere, nemo diem.
Quanta fuit Babylon ſolidata bitumine muros,
Struxit ut hos magnæ cura Semiramidis.
Quanta fuit ueteris moles & machina Romæ,
Orbis quæ quondam totius inſtar erat?
Munichiæq; arces, & diuitis ora Corinthi,

Et quidquid celebrat Græcus in hiſtoria?
Ecce iacent ſteriles nullo cultore ruinæ,
Notaq́; uix ſolo nomine terra ſuo eſt.
Qualis erat Samſon, & quanto robore fultus,
Vnus quot dextra ſuſtulit ille ſua?
Qualis erat Gedeon, quales Amiramide nati,
Per mare ducentes agmina tanta rubrum?
Et tamen hi cuncti fatis abiere uocati,
Quo Deus, & duræ uis uoluere necis.
Non uirtus retinet ſæuas, non gloria, Parcas,
Subiacet his robur, ſubiacet ingenium.
Deniq; de primo nati quicunq; parente,
Hac homines nati conditione ſumus.
Omnis ut incerto peragratur tramite uita,
Nec niſi de Domini pendeat arbitrio.
Quare aīm reuoces, & quod reparabile nō eſt,
Aſſueſcas ſolita dexteritate pati.
Atq; ea quæ tacitā perſtringunt uulnera mentē,
Committas Domino cuncta leuanda Deo.
Idem qui miſeros curarum ſubleuat æſtu,
Multipliciq; alios clade, metuq; premit.
Nam neq; tu propriam debes tibi poſcere ſortē,
Aut tantum arbitrio degere uelle tuo.
Nec tibi communis dabit hæc natura petenti,
Immunis poſsis omnis ut eſſe mali.
Quisq; ſuos patimur, ſic ſorte ferente, labores,
Et ſequitur geminum ſingula læta malum.

Quinetiam

Quinetiam ipſa tuos ſi ſentiet illa dolores,
Atq; eadem ante oculos ſtet rediuiua tuos.
Non ferat has propter ſe tantas ſumere curas,
Aut tua te tali frangere corda modo.
Præcipuè mundi quæ pridem euaſerat æſtus,
Spectat & alternis commoda læta ſoli.
Quæq; olim ſacro cecinerunt carmine uates,
Tempora poſt longos eſſe futura dies.
Cùm neq; dama canem fugiet, neq; cerua leonem,
Nec metuet rabidum tutior agna lupum.
Hæc eadē anticipans aīo nunc præcipit, & ſpe
Gaudet & optati pace, bonoq; loci.
Quò neq; tot penetrant fallacis noxia uitæ,
Nec premit aut metus, aut languida corda do
Sed ceu uere nouo, cū frondes induit arbor, (lor.
Et reparata ſuo gramine uernat humus.
Iamq; iterū, liquidas Zephyris mulcentib. auras,
Purior it cœlo, ſole tepente, dies.
Sic noua perpetua peraguntur tempora luce,
Aeſtus quam nulli, frigora nulla premunt.
Nec ferus auditur denſa inter nubila clamor,
Nec furit inſanis acta procella Notis.
Omnia ſed lætæ fragrant dulcedine pacis,
Omnia lacte fluunt, omnia melle fluunt.
Sponte ſua uites naſcuntur, Punica ſponte,
Et cum purpureo Medica mala croco.
Et caſiam tribuli, fert & rubus aſper amomum,

Et dulcì Ambroſiam ſpirat odore nemus.
O uitam reducem, & uenturi ſæcula regni,
Quæq; manent animas ocia læta pias.
En erit, ut ſummi uectus ſuper æthera mundi,
Corpora ab hac carnis mole ſoluta feram.
Subiectasq; uidens renouato uiſcere terras,
Cœlicolum dulci perfruar hoſpitio.
Hei mihi quos plauſus, et quæ tum gaudia cernã,
Aſpiciam uultus cum pater alme tuos?
Et iuxta genitum dextra de parte ſedentem,
Indutum membris uiſceribusq; Deum.
Sed tamen interea dum clauſo finiat æuo
Quæ ueniet ſummum labilis hora diem.
Hac hominum fragili contenti ſorte fruamur,
Fungamurq; ſuo quiſq; miniſterio.
Quæq; dies affert ueniens incommoda ſecum,
Penſemus domini ſpe meliore Dei.
Ac tu naſcenti melior cui ſtella refulſit,
Cui bonus in medio Iuppiter orbe ſtetit.
Et gremio excepit præſens fortuna ſecundo,
Totq; uni dotes Parca benigna dedit.
Perfer & obdura, nec caſu frangere tali,
Qui ſimili multis accidit antè modo.
Perfer, et incolumẽ te ipſum ad maiora reſerua,
Quæ tibi ſpe freto numina larga dabunt.
Nec ſi nunc grauior preſſit te fortè procella,
Inq; latus puppim perpulit illa tuam,

Impos

Impos egensq; animi nymbo ſuccumbe furenti,
Aut tua non æquo uela reſolue Noto.
Nam neq; perpetuo ſæuit Saturnius igne,
Nec uetat ut fractus nauita quærat opem.
Sed pater ut ſolito caſtigat uerbere natos,
Ad cultum mores dum uocat ille feros.
Sic quoq; ſecuros Dominus, uarieq; morántes,
Excitat, & proprij commonet officij.
Mox precibus uirgam ponit placatus, & iram,
Atq; iterum placido reſpicit ore ſuos.
Quosq; prius tacitæ perſtrinxit uulnere dextræ,
Hos leuat, & geminæ fœnore ditat opis.
Aſpice Ieſſeo natum de ſanguine regem,
Quos caſus, & quàm triſtia damna tulit.
Aſpice cui natos muri ſtrauere iacentes,
Perq; malum patiens qui fuit omne, ſenem.
Et tamen hos Dominus poſt tot diſcrimina rerũ,
Diuitijs lætos auxit utroſq; nouis.
Sic etiam Iſacidem muliebri crimine uinctum,
Impoſuit populis maxime Nile tuis.
Sic inter medios Danielem à morte leones
Seruatum ſummos uexit ad uſq; polos.
Quò neq; tu debes animum demittere fractum,
Aut tàm clementi fidere nolle Deo.
Sed quicquid noctu, quidquid te luce fatiget,
Arbitrio Domini credere id omne Dei.
Ille domus curam pro te geret, ille benignus

Proſpiciet thalamis, connubioq; tuis.
Nec ſinet ut tantas inter res totq; gerendas
Curarum ſocia deſtituâre tua.
Sed ceu cuncta ſolet patria bonitate tueri,
Vtq; parens natos, ſic tegere ipſe ſuos.
Sic quoq; te placidus reliquum ſeruabit in æuū,
Vertet & à rebus noxia cuncta tuis.

FINIS.

IACOBI

Iacobi Micylli

SYLVARVM LIBER SECVNDVS.

GENETHLIACON PHILIPPI MELANCHTHONIS FILII.

VISA diu fœlix una domus aucta puella,
Ecce iterum prole eſt aucta Philippe noua.
Quiq; modo unius gaudebas nomine natæ,
En geminum patris nunc tibi nomen erit.
Et quiſquam tenui claudat tua gaudia uerſu,
Exprimat exiguis lætitiamq; modis?
Aut tibi nunc qualis perfundat corda uoluptas,
Vllum quod poßit dicere carmen erit?
Cedite Pierides, faſſoq; ignoſcite Diuæ,
Non capiunt ueſtros gaudia tanta modos.
Altera ſuſcepta eſt proles optata Philippo,
Quo nihil hic noſter carius orbis habet.
Suſcepta eſt proles, calathis date lilia plenis,

Et niteant inter gramina ſparſa roſæ:
Limina iam ſertis ornentur & atria fronde,
Fument accenſis thura Sabæa focis.
Illa dies niueo ſignanda eſt illa lapillo,
Illa uoluptatem lætitiamq; dedit.
Illa tibi peperit ſocij noua pignora lecti,
Atq; auxit ueſtras illa Philippe domos.
Pro capto celebrant alij conuiuia rege,
Et referunt celſo munera multa Ioui.
Et tu pro genito non ducas gaudia nato,
Nec tua ſuccenſo limina thure calent?
Pro geſtis illi bellis & cæde triumphant,
Et reddunt fuſo ſanguine uota Deo.
Auxit te partu facilis Lucina beato,
Et ceſſas pleno gaudia ferre ſinu?
At puto non ceſſas, & te tua gaudia tangunt,
Iamq; tenes gremio uiſcera chara tuo.
Exiguoq; pater das oſcula multa Philippo:
Et dare, præuortens, quæ nequit ille, rapis.
Et fortaſſe preces inter tot ſuauia miſcens,
Sic mihi ſic, inquis, uiue Philippe diu.
Viue Philippe diu, noſtræ ſpes parta ſenectæ,
Dulce meum, charæ dulce parentis opus.
Viue diu, & noſtros ſupera fæliciter annos,
Et claudant digiti lumina noſtra tui.
Hæc eadē genitrix, aut his quoq; plura preca-
Flagitat hæc eadem parua puella ſoror. (tur,

Ille

Ille tamen tenero ſubridens ore parentem
Noſcitat, incertis datq; ea ſigna ſonis.
Quodq; nequit uerbis, geſtu confirmat & ore,
Tendit & in ueſtras brachia parua preces.
Atq; ita cum patris laſſatus colla reliquit,
Matris in amplexus tum redit ille ſuæ.
Hei mihi quæ matris pertentant gaudia mẽtem,
Quantas ſpes animo concipit illa ſuo.
Cùm tenet infantem gremio ſua uota Philippum,
Inſpectatq; uiri pignora chara ſui.
Non ita lætatam credo, quæ nupſit Achilli,
Cùm peperit Pyrrhum Deianira ſuum.
Quãuis hic Thetidosq; nepos, & quintus ab ipſo
Progeniem poſſet denumerare Ioue.
Nec ſic Thebani gaudebat filia regis,
Aſpexit quoties Aſtyanacta ſuum.
Quanq̃ ea tum magnas ſpes cepit, & Hectore di
Vòtaq; apud duros non ualitura deos. (gnas,
Ac tua cum natum primum complexa Philippũ,
Impleuit mentem ſpe Catharina ſuam.
Salue magnanimi coniunx ueneranda Philippi,
Dij tibi dent multa creſcere prole domum.
Macta uiro ſic conſtat honos, ſic aſtra petuntur,
Debentur caſto præmia tanta thoro.
Nec ſolum ueſtras tangunt hæc gaudia mentes,
Iam quoq; quo totus gaudeat orbis habet.
Aſpice teſtantem paßim ſua gaudia pubem

Carmine,uoce,modis,greſsibus,ore,togis.
Hic teneros Elegos,celeres hic mittit Iambos,
Pindaricam dulcis perſonat ille chelim.
Hic canit Heroos,& longo carmina tractu
Ducit,& in ueſtros ſurgit,Homere,pedes.
Huic inflata ſonat criſpanti tibia cantu,
Huic ſonat Arcadico fiſtula facta Deo.
Hinc alij uiua diſtinguunt carmina uoce,
Et uariant flexo murmura grata ſono.
Ceu ſolet æſtiua dulcis Philomela ſub umbra
Cum ſedet,& magnas concinit inter aues.
Aut quales ſonitus reddebant cymbala quondam
Inter turrigeræ tympana pulſa deæ.
Hinc citharæq;, & molli naulia uoce,
Hinc uariant dulces barbita blanda modos.
Pars etiam nitida uelantes corpora ueſte,
Lætitiam culta teſtificantur ope.
Pars etiam feſtis cingunt ſua limina ramis,
Et caua purpureo tempora fronde tegunt.
Vndiq; gratantes uideas,& fauſta precantes,
Applaudunt nato Dijq; homineſq; nouo.
En charites,ac ora nouem facunda ſororum,
Quæ fontes habitant Pegaſis unda tuos.
Quos ſtudio ſeruas magnoq; Philippe labore,
Exercent memores gaudia quanta tui.
Immemores patriæ,ac obliti Theſſala rura,
Ante tuas properant docte Philippe fores.

Ac iam Parnaſſo, uicinoq; orbe relicto,
Per tua gratantes tecta frequenter eunt.
Hic pater ipſe caput, crineſq; auratus Apollo
Diuina blandas increpat arte fides.
In numerum diuæ cœleſtia corpora iactant,
Et pulchra celebrant ſedulitate choros.
Quarum caſta nurus pudibundæ exempla ſecuta
Saltat in incuruos turba reducta ſinus.
Præcipuè iam parua ſoror ſua pectora ſoluit,
Lætitiæq; ullum neſcit habere modum.
Et quacunq; poteſt fratris teſtatur amorem,
Figit & in roſeis oſcula multa genis.
Et redit, & teneros gaudet tetigiſſe lacertos,
Milleq; demulcet pectora blanda modis.
Dulce puella decus patris, quæ ſola uoluptas
Hactenus, & curæ dulce leuamen eras.
Viue age, ſed partes frater ſine uindicet iſtas,
Et curas ægri leniat ille patris.
Nec minus illa ſenum pertingit corda uoluptas,
Aſpice deſeſſos gaudia quanta tenent?
Conueniunt precibuſq; diem ſacriſq; frequentāt,
Obtundunt ipſos lætitiaq; deos.
Atq; aliquis longo multum uenerandus ab æuo
Talia ſuſpiciens ſydera uoce refert.
Salue læta dies, quo non fœlicior unquam
Purpureum cœlo ſuſtulit orta caput.
Salue progenies multos optata per annos,

Delitium matris, delitiumq; patris.
Quæ tam fauſta tibi luxerunt ſæcula nato,
Quæ te tàm læto fata tulere die?
Ecce tibi nato cœlum gratatur, & annus,
Et luſtrat ſolito purior orbis humum.
Ipſa tibi uarijs pinguntur floribus arua,
Fronde uirent ſyluæ, gramine terra uiret.
Macte parente puer, quem fata fauentia mundo
Authorem ſtudijs progenuere bonis.
Túne Philippus eris, tu nunc eris alter ab illo?
Qui docet Heſperia, & Græcia quidquid ha=
bent.
Oceano cuius nomen finitur & aſtris,
Quo decus haud maius Rhenus et Iſter habent.
Viue diu longosq; imple fœliciter annos,
Viue diu, & meritò nomina patris habe.
Sic ait ille, cohors applaudit cætera dictis,
Vſq; ſub alta poli ſydera plauſus abit.
Haud ſecus ac uictis ſi quando Cæſar ab Afris,
Aut ſerus Partho uictor ab orbe redit.
It populus, magnoq; ducem clamore petendo,
Lætus Io, clara uoce, triumphe canit.
Auditur ſonitus cœlo repetitus ab alto,
Et reboant celſi lucida tecta Iouis.
Tùm quoq; cæruleum caput obſtupefactus ab imo
Extulit, & cœptum deſtitit Albis iter.
Et ſua miratus quæ tàm noua regna uoluptas
Implicet ornatis dicitur eſſe comis.

At

At tu chare puer,cui gaudia tanta parantur,
Lætitiam cuius nomine mundus agit.
Perge,bono & noſtras de te ſpes omine ſumptas
Perfice,& in patrias perge uenire uias.
Ac docti monitis cupias audire parentis,
Viuendi leges cum dabit ille tibi.
Sic tibi ſic faciles producant ſtamina Parcæ,
Et ueniat fauſto ſera ſenecta pede.

IN ADVENTVM CAROLI V. IMPER. AVG. P.P. *urbis Francofurtanæ ad Mœnum ſitæ gratulatio.*

AN capit ob reduces mater noua gaudia natos,
Poſt longos iterum quos uidet illa dies.
Grataq; cœlitibus perſoluit munera Diuis,
Incenditq; ſacris plurima dona focis.
Nec mihi odorifera cingantur tempora myrtho,
Lætaq; candenti corpora ueſte tegam.
Dignaq; ſublimi cantem præconia cœlo,
Carmina,thura,preces,ore,manuq; feram.
Nam modò qua tellus Hiſpanis,ultima,regnis,
Atq; ſub Occiduo littora Sole iacent.
Dicitur hinc placidum demiſſa claſſe per æquor

Ingreſſus Ligurum Carolus eſſe ſinus.
Carolus Heſperij decus, & ſpes unica regni,
Poſt dominos terræ, fama ſecunda, Deos.
Regibus ortus auis, & cœlo ſtemmate digno,
Nobilis Auſtriadum gloria ſumma domus.
Maxima qui primis deuicit bella ſub annis,
Et multas regum contudit unus opes.
Ceu, modo ad antiquã Troiani Antẽnoris urbẽ,
Cum nouus ultori, Galle, Triumphus eras.
Vel cum, quæ totũ dominata eſt Roma per orbẽ;
Excidit Imperio, capta deditq; manus.
Quẽ metuit quodcũq; Tagũ iacet inter & Indũ,
Atq; inter Boream quod iacet, atq; Notum.
Cuius & immenſum tranſcendit gloria mundum,
Venit & ad ſummos inclyta fama deos.
Cui pater omnipotens terras conceſſit habendas,
Fortunamq; ſua præbuit ipſe manu.
Vt regeret populos placidæ per tempora pacis,
Redderet æquata tutaq; cuncta fide.
O unus noſtri Dijs acceptiſſimus æui,
Salue Diuorum, Carole magne, genus.
Quas mihi promittam de te ſpes? qualia ſæcla?
Aut mox uenturi qui ſtatus orbis erit?
Anné uenis tumido preſſurus colla leoni,
Qui ſtudijs contrà ſe tulit uſq; tuis?
Reſtituesq; æui bellis ablata prioris,
Regna, urbes, populos, fœdera, iura, duces.

Vt tibi quod uates cecinerunt eſſe futurum,
Tota ſtet Imperijs Itala terra tuis.
An renouata nouo creſcat Germania cultu,
Tuq; uenis fractis addere rebus opem?
Vt mala depellas, quæ regni dira cupido
Intulit, atq; auri non ſatianda fames.
Atq; iterum ſtabili coniungas fœdere mentes,
Tutaq; ſecuræ tempora pacis eant.
O tua ſi longo ueniat medicina labori,
Tuq; malum hoc tandem triſte leuare uelis.
Namq; ut in humano cum pugnãt corpore mẽbra
Quolibet officium deſtituente ſuum.
Paulatim ſolito priuantur robore nerui,
Inq; magis uirtus deficit, inq; magis.
Sic quoq; cum morbo Diſcordia ſæuior omni
Nos premit, & fines euolat ipſa ſuos.
Labitur, & ualidas quondam Germania uires
Deterit, inq; dies peior it inq; dies.
Nec modus apparet, niſi nos tua, Carole, dextrà
Suſcipiat, tantis ſubueniatq; malis.
Ac uelut annoſi Medicus cognoſcere morbi
Cauſas, auxilium quàm ferat antè, ſolet.
Deinde ſalutares, poſtquam cognouerit herbas,
Admouet, & placida ſubmouet arte malum.
Tùm uigor & ſolitæ redeunt in corpora uires,
Et pergunt proprijs cuncta miniſterijs.
Sic tua principium tanti clementia motus

Si ſciat, & quæ ſit noſcere cauſa uolet.
Et mox conſilium rebus labentibus addet,
Corriget & placidæ tot mala pacis ope.
Haud dubium, priſcas reparabunt omnia uires,
Et ueniet rebus quæ fuit antè ſalus.
Non mihi tùm metuam ſcelerati uincula Turcæ,
Ne uadam Geticis præda trahenda feris.
Nec nobis toties fugiens illuſerit hoſtis,
Aut rapto fines proroget ille ſuos.
Qualia multa quidem Germanũ indigna ferentẽ
Aſpicis, & differs (hei mihi) frater opem.
Sed mihi tùm totas cogat Germania uires,
Hoſtilesq; ultrò prouocet ipſa manus.
Fretaq; maiorum fama, teq; auſpice Cæſar,
Contundat Scythici tela minasq; ducis.
Atq; potens Aſiæ rurſum, & te maxime Nile,
Sionijs ſtatuat clara trophæa iugis.
Sic faciat, modò tu noſtro medeare labori,
Atq; mala hæc ſtabili pace leuare leuis.
Pace opus eſt Cæſar, pax publica iura tuetur,
Cumq; pia caſtam relligione fidem.
Pacis amans Deus eſt, pacem mandauit habendã
Qui regit æthereæ conditor arcis opus.
Non illa melius quicquam uidet arduus æther,
Non illa quidquam dulcius orbis habet.
Ac uelut in media cum Sol æſtate uirentes
Exurit campos, & ſitit omne ſolum,

Si

Si quando arentes nox alma reſuſcitat herbas,
Et cadit in ſiccos roſcidus imber agros.
Vita ſatis redit, & morientia gramina ſurgunt,
Et reuocant uires torrida prata ſuas.
Sic hominum quoties ſtabili concordia pace
Res tenet, & iungit mutua corda fides.
Floreſcunt, Pietas, Ius, æquum, fœdera, leges,
Non illis hoſtes, nil fera bella nocent.
Hanc igitur dederis, dederis ſimul omnia Cæſar,
Firma ſtet hæc, firmúm ſtabit & Imperium.
Sed dabis, & reditus ſpondet tuus omnia fœlix,
Pacem, teq; ratis quæ tulit, illa tulit.
Ac præſaga monet dudum mens omnia dextra,
Ecce uenit dulcis pax, ait, ecce uenit.
Pax uenit, hãc ueterũ promittũt carmina uatũ,
Hanc genus, & Diuæ patria fama domus.
Mẽſis erat, memini, tua qui cognomina præfert,
Tempore quo Phœbus terga leonis obit.
Ipſa ſedens relego demeßis horrea ſpicis,
Cùm uenit ad noſtras nuntia fama domos.
Fama per occiduum quæ te modò claßibus æquor
Aduectum Hetruſci limina ferret agri.
Et multo fidam conſcendere milite terram,
Quà Ligurum priſcas Genua ſeruat opes.
Protinus exclamo, fortunent omnia Diui,
Et faciant fœlix fama ſit iſta mihi.
Nec mora, lucentes aris incendimus ignes,

Et damus incenſis thura cremanda focis.
Et niueo, lætos quali decet, imus amictu,
Et tegimus comptas fronde uirente comas.
Conueniunt ciues, populo collectus ab omni
It chorus, & feſtum concinit ore diem.
Talis erat, credo, Romanæ plebis imago,
Occiſo quoties hoſte triumphus erat.
Audijt hæc ſubito pater imo gurgite Mœnus,
Flauaq; cærulea protulit ora coma.
Atq; inſueta ſuæ miratus gaudia plebis,
Pauliſper greſſus diſtulit ipſe ſuos.
Nodoſaq; manum ſubnixus arundine læuam,
Vatidico cœpit talia uerba ſono.
Feſta dies ſalue, multos optata per annos,
Salue, qua nunq̃ gratior orta fuit.
Et uos ô ſuperi tandem gaudete penates,
Iſta feret uobis commoda magna dies.
Iſta feret uobis, ſuperi ſperate penates,
Gaudia, & optatis tempora plena bonis.
Qualia iam longos non ſunt ſpectata per annos,
Nec uentura dabit forſitan ulla dies.
Nam niſi uana iacent æui præſagia priſci,
Illuſitq; pijs ficta Sibylla uiris.
Tempus adeſt totus cũ mox purgabitur orbis,
Et referent annos aurea ſæcla nouos.
Quando Aquilæ cedet Romana potẽtia magnæ,
Et feret impoſitum Gallia uicta iugum.

Ac

Ac ſocij ueteris uaſtata Pylæmenis arua
  Cernent, & tumidi ſepta refracta ſali.
Tuſcaq; uindicibus cingentur mœnia flammis,
  Fæſulaq;, heu, Diuûm ſera uocabis opem.
Quamuis orta genus magno deducis Olympo,
  Atq; humeris cœlum ſuſtinet ipſe pater.
Tunc oculos attolle tuos Oenotria pubes,
  Et noua quæ ueniunt aſpice fata tibi.
Ecce ruet, uictasq; manus graſſator ab alto
  Demittet ſolio, & iura refixa leget.
Cultaq; fulgebit renouato Eccleſia ritu,
  Deſinet & uanæ relligionis opus.
Cùm ualida magnum tranſibit claſſe per æquor
  Cæſar, & indomitas ſub iuga mittet aquas.
Aegeosq; ſinus, & fertilis hoſtia Nili
  Vmbrabit pennis Cæſaris ala ſuis.
Atq; Palæſtinas inuadet milite terras,
  Vt pateat ueri myſtica tumba Dei.
Atq; ibi confectis tandem belloq; uiaq;
  Ponet militiæ ſigna ſuprema ſuæ.
Hinc iam pacato regnabit Cæſar in orbe,
  Et Dominus terræ totius unus erit.
Non uis amplius, aut metuetur ſæua Tyrannis,
  Non miles quiſquam, aut militis enſis erit.
Candida per totum ſed pax celebrabitur orbem,
  Vnus erit rerum cultus, & una fides.
Qualia Saturni memorantur ſæcula priſci,

Aurea quæ uates tota fuiſſe ferunt.
Cùm neq; terra famem, neq; Pōtus frigora ſenſit,
Et ratio uictus omnibus una fuit.
Hei mihi, ſollicitam quæ tentant gaudia mentem?
Quàm cupidè expecto, dum uenit iſta dies.
Tu tamen interea noſtris Francfordia ripis
Conſita, ſpem pergas læta fouere tuam.
Quemq; tibi ſuperi fato miſere benigno,
Quiq; tua dictus Cæſar in urbe fuit.
Huic facilem reditū, & curſus gratare ſecūdos,
Et refer æthereo thura precesq; Ioui.
Nec metuas ſi quis uerbis te fortè malignis
Impetit, aut ueſtris dura minatur agris.
Non genus Hyrcana duxit de Tigride Cæſar,
Aut illi durum robora pectus agunt.
Auſtriados cœlo nota eſt clementia ſtirpis,
Hanc tenet, hac proauis par uolet eſſe ſuis.
Quanta tuæ Aemilius donauit Maximus urbi?
Progeniem Cæſar tertius unde trahit.
Quanta tibi placidæ Fridericus pacis amator
Contulit, aut quantas hic tibi fecit opes?
Nunc etiam agrorum celſæ munimina turres
Clara uoluntatis ſtant monumenta piæ.
Et dubites animo quo ſit nunc ille futurus,
Tàm genus à placidis qui tenet ortus auis?
Hæc ait, atq; manu pendentem uligine barbam
Mulcendo, liquidas inter abiuit aquas.

At

At mihi mox ingens rerum fiducia ſurgit,
Spemq́; animus ſummæ proſperitatis agit.
Iamq́; diem uideor coràm ſpectare futurum,
Venturæ pacis qui bona tanta ferat.
Et uideor præſens iam rebus adeſſe gerendis,
Atq; ipſos uultus cernere, Magne, tuos.
Tanta mihi reditus ſpondet tuus, inclyte, tanta,
Hæc pro te facimus, Carole, uota Deo.
Quare agite ô chari mecum ſpem ducite ciues,
Et ſperate nouis tempora læta bonis.
Quæq; per antiquos meminiſtis prodita uates,
Pars quorum metas iam tenet acta ſuas.
Omnibus euentum ſuperos finemq́; daturos
Credite, nec falſos ulla monere Deos.
Ac precibus magni depoſcite Cæſaris ora,
Et fœlix, quiſq; & dicite, fauſtus eas.
Carole fauſtus eas, facilem tibi numina curſum
Dent, ſeu terra tuam, ſeu tenet unda ratem.

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS FRIDERICI COMITIS PAlatini, Ducis Bauariæ, & inclytæ Dorotheæ, Cimbrorum Regis Filiæ, Cæſaris Caroli neptis Epithalamium.

QVIS nouus hic plauſus? cui tantus ad æthera clangor
Surgit, & in numerũ tot ſonuere tubæ?
Fallor? an illa dies tandem proceßit ab alto,
Votis quæ toties antè petita fuit?
Qua iungenda nouo ueniet noua ſponſa marito,
Cimbrorum ueteri ſanguine clara Ducum.
Intratura thoros tecum Friderice iugales,
Summa Palatinæ ſpes, Friderice, domus.
Et factura nouum pulchra te prole parentem,
Dorothea, uero munere nata Deûm?
Sed puto, nõ fallor, neq; enim ſine numine certo,
Pompa per effuſas ſpargitur iſta uias.
Nec fruſtra reſonat tantis concentibus æther,
Et retinent ipſum tympana pulſa Iouem.
Ecce ruunt totis iuueneſq; patreſq; cateruis
Obuiam, & occurſu compita lata replent.
Alta ſubit teneris cum natis culmina mater,
Nec recipit totas parua feneſtra nurus.
Scanduntur turres, ſtant denſis agmina portis,
Lætitiáq; fremunt iam quoq; tecta noua.
Non aliter uictis quàm cum modò Cæſar ab Afris
Tyrrhenum, rediens, per mare uela dedit.
Atq; Italæ paßim complerunt littora gentes,
Dum reducem geſtit quiſq; uidere ducem.

Iem

Iam parte ex alia, quantas exercitus alas
Cogit? quàm denſis ungula pulſat equis?
Non plures æſtate noua per roſcida campi
Gramina, perq́; herbas agglomerantur apes.
Nec tot Strimonijs conſidunt agmina ripis,
Pygmæis domitis cùm rediêre grues.
Ipſa pedum crebro tellus gemit excita pulſu,
Et leuis alterno frangitur aura ſono.
Atq; etiam ex imo ſtagnantis gurgite Nicri,
Cæca repercuſsis murmurat unda uadis.
Qualis erat rerum facies, cùm Troia quondam
Atrides armis terruit arua ſuis.
Et pater attonito compreſsit flumina curſu
Xanthus, & ardentes igne refugit aquas.
Quamuis tunc miſero feruebant omnia bello,
Contraheretq́; uiros ſæuus in arma furor.
Hîc contrà pacis ſtudia & fauor aptus amantum
Cernitur, & placidis induit arma uiris.
Scilicet, hos animos blandi generator amoris
Excitat, atq; hominum corda Cupido mouet.
Et uocat has turmas, & tantos undiq; cœtus
Cogit in occurſus, inclyta ſponſa tuos.
Hic quoq; enim Deus eſt, & certo numine terrã,
Et terræ quidquid uiuit in orbe, regit.
Ergò Meduſæi ueniens à fonte Caballi
Huc ades imparibus cincta Thalia modis.
Lætaq́; connubio tanto & cœptis hymenæis,

Hanc celebra lucem carmine, Diua, tuo.
Nam quæ feſta magis roſeo proceßit ab ortu?
Quæue magis niueis altera digna notis?
Aut quando maiore unq̃ cum laude peracta,
Vlla frequentauit gaudia tanta dies?
Ducitur ecce nouo uirgo ſocianda marito,
Virgo decens uultu, uirgo pudore decens.
Ducitur, & longo cum fœmineo comitatu,
Scandit legitimos regia ſponſa thoros.
Tota nitens auro, atq; imitantibus ignea gemmis
Sydera, Sarrano murice tota nitens.
Qualis Amyclæo quondam pulcherrima ſponſo,
Creditur in thalamos Theſtias iſſe nouos.
Qualis & in primis formoſa Semiramis annis,
Accubuit lateri Nine uetuſte tuo.
Hanc circum uolucer penna ſtridente Cupido
Arſuras caſto uentilat igne faces.
Ponè ſubit mater, meditataq; uincula portat,
Vincula cœleſtem quæ domuêre Iouem.
Quam Deſiderium, & Charites auerſa tuentes,
Et blandũ ſequitur quidquid Olympus habet.
Parte alia ſocij ſponſum comitantur ouantes,
Et complent totas agmina longa uias.
Hinc comites alto peragunt præconia cœlo,
Plaudentumq; frequens fertur ad aſtra ſonus.
Hinc & diuini iungentes agmina fratres
Incedunt, nota pectora iuncta fide.

Virtute Heroes, maturo Neſtores æuo,
Et Pallatinæ ſteminata uera domus.
Quos inter ſponſus regali ſplendidus auro
Infert ſe medijs, lætus amore, uiris.
Et circum tacita ſpectat ſua gaudia mente,
Arduus inſigni conſpiciendus equo.
Ceu ſi quando choros ueniens inſtaurat Apollo,
Quos illinc Dryopes, hinc Agathyrſus agit.
Cùm uaga ſolēni reſonant iuga carmine Cinthi,
Et gaudet ſtabili Delus aperta ſolo.
Ipſe humero pharetrā geſtans, & uertice laurū,
Arduus ante omnes eminet ore, Deus.
Talis & hic medios inter pulcherrimus omnes
Enitet, & uiuum ſpirat ab ore decus.
Atq; ita ſublimi ſociata per agmina uultu
Fertur, & accenſo gaudia corde premit.
Donec ad optatæ ueniunt Pallatia ſedis,
Et iungunt ſocias ſponſaq; uirq; manus.
Hic igitur plenis ſoluuntur carbaſa uentis,
Sæuit & admiſſo totus amore Deus.
Regia uirgo Duci ſtat coniungenda marito,
Mutuaq; alternus fœdera dictat Amor.
Quæq; diu incertas ſuſpendit languida mentes
Euentus tandem ſpes capit illa ſuos.
Hei mihi quàm uarios animo, dux inclyte, motus,
Quamq; graues æſtus te tolerare putem?
Vt tibi nunc tacitis ardeſcunt pectora flammis,

Hæret in amplexu cùm noua ſponſa tuo?
Credite, difficile eſt tenui res carmine tantas
Dicere, & exiguis claudere cuncta modis.
An tua nunc quisq̃ ſub certo gaudia fine
Colligat? aut ullum credat adeſſe modum?
Nec tua, quæ ſummis faciũt quoq; uulnera Diuis,
Tranſiri telis ſaucia corda putet?
Littora quot cõchas, quot amœna roſaria Pæſtũ,
Quot cœlum ſtellas, quot mare paſcit aquas.
Tot quoq; credibile eſt, tacitas tibi gaudia mẽtes
Paſcere, & extremos tota ſubire ſinus.
Et merito, tanta eſt diuinæ gratia formæ,
Tamq; nitet pulchro ſuauis in ore pudor.
Quidquid.n.paßim formas commendat honeſtas;
Et quidquid ſolidæ nomina laudis habet.
Hoc illi totum ſuperi tribuere benigni,
Et pariter iunctum poßidet omne decus.
Cuius ab aurato ſic ſplendet uertice crinis,
Fulget ut intonſi bethica lana gregis.
Candida uirginei ſuffundunt ora rubores,
Quale rubent teneris lilia mixta roſis.
Cætera cum liquido contendunt corpora lacte,
Vincit ebur ceruix, crura manusq; niuem.
Accedunt teneriq; artus, teretesq; lacerti,
Et medium ſeruans æqua ſtatura modum.
Adde arcum & pharetram, iures ſic ipſe Dianã,
Sceptra gerat, talis regia Iuno fuit.

Deniq;

Deniq; ſeu Tyrio uadit ſpectabilis oſtro,
  Indutam Tyrijs ueſtibus ire decet.
Lucida ſeu tenui uelantur corpora byſſo,
  Ibit perſpicuis tota decora togis.
Vt merito eximiæ ſi quando nomine formæ
  Nobilis ulla fuit, nobilis illa foret.
Ac ſi quis ſolidæ ſpeciem ſimulare figuræ
  Vellet, ad hanc ſpeciem, fingeret ille ſuam.
Vt taceam uirides annos, primamq; iuuentam,
  Quiq; fluit leni dulcis ab ore ſonus.
Quæ non humanos ſolum præſtringere ſenſus,
  Verùm ipſos poterant exhilarare deos.
Et poterat ſummi coniunx fieri iſta Tonantis,
  Si non ſit thalamis Inclyte ſponſa tuis.
Quamuis parua tamen tantarum gratia rerum,
  Et modicus tanti fructus honoris erat.
Ni ſimul & bonitas, & grata modeſtia uitæ
  Acceſſu facerent omnia plena ſuo.
Aſpice quàm placidos ornat clementia uultus,
  Ingenij feritas ut procul omnis abeſt.
Inquinat egregios ut nulla ſuperbia mores,
  Sed pia commendat pectora ſimplicitas.
Quinetiam blandæ quædam eſt facundia linguæ,
  Sed qualem tantæ Principis eſſe decet.
Omnia quæ certo metitur uerba pudore,
  Spargit & admixta ſed grauitate iocos.
Qualia regina didicit tradente magiſtra,

(Hæc quoq;.n. ueſtræ pars quota laudis erit.)
Pæonij quondam, regina Principe, regni,
Dum potitur thalamis rex Ludouice tuis.
Nec dum terribiles uaſtarant omnia Turcæ
Proxima Danubij qua patet ora uadis.
Quæ ſimul ac cecidit crudeli funere coniunx,
Et iacuit magno uictus ab hoſte minor.
Acta dolore graui, Belgas, Rhenumq; bicornem,
Antiquam patriam, fratre iubente, petit.
Atq; ibi nunc flauos ſub legibus Ambuaritos
Continet, & tumidæ conſita regna Moſæ.
Fretaq; conſilijs, & auita fœmina mente,
Fraternas placida pace gubernat opes.
Hic eadem profugas aluit matertera neptes,
Antiqua eiectas has quoq; ſede patris.
Quarum hæc, quæ natu prior eſt, clariſſime Prin
It noua coniugio facta marita tuo. (ceps,
Altera mox ſimili teda præeunte ſequetur,
Ipſa quoq; externo ſponſa dicata duci.
Ambæ præſtantes forma, uirtutibus ambæ,
Neutraq; non magno principe digna uiro.
Forſan & ipſius refert meminiſſe parentis
Vnde hæc cum tantis prodijt orta bonis.
Et quæ tam claro tumuerunt uiſcera partu
Dicere, & hinc laudes accumulare nouas.
Nam ceu terra ferax, & fructibus apta ferendis,
Floribus, & molli gramine ſponte uiret.

Et contra in ſterili dumoſi uertice ſaxi,
  Culturam, quidquid ſeueris, omne fugit.
Sic quoq; in humanis eadem indulgentia rebus
  Illos manſuetos, hos uetat eſſe feros.
Propriaq; in patrios concedunt pignora mores,
  Et genus & uirtus conuenienter eunt.
Nec tantum uultus imitatur filia matris,
  Cæruleoſue oculos, purpureámue comam.
Verumetiam ingenij natura tenaciter hæret,
  Et ſequitur gentis ſemina quisq; ſuæ.
At cui clara tuæ non eſt audita parentis
  Virtus, ô tanti ſponſa beata uiri?
Quiſue adeò ignarus rerum, tua nomina neſcit
  Inclyta Cæſareæ pars Iſabella domus?
Fœmina qua iuſti nuſquam, uel amantior æqui
  Cimbrica, quàm latè panditur ora, fuit.
Nec magis, extremæ contempto funere mortis,
  Seruauit caſtam coniugis ulla fidem.
Scit uagus hæc Albis, ſcit Teutona ripa Sueui,
  Quiq; patet feſſis Codanus altus aquis.
Scit pater hæc eadē, quâ tendit ad æquora Rhe-
  Quęq; tegit cineres Belgica terra tuos. (nus,
Ah nimium duris Iſabella exercita fatis,
  Et nimis aduerſo facta marita Deo.
Cui neq; ſperatam licuit contingere metam,
  Et uitæ iuſto claudere fine dies.
Nec tàm formoſas, inter tua pignora, natas

Cum ſaluo placida coniuge pace frui.
Sed miſerè, ante diem, pulſæ dotalibus aruis,
Exul in externa lumina clauſit humo.
Salue perpetuos memoranda puella per annos,
Nobilis Auſtriacæ fama puella domus.
Hìc igitur cùm tantarum præconia laudum
Et tantas dotes, inclyte ſponſe, uides.
Et placet eximiæ decus inſuperabile formæ,
Et placet eximio mixtus amore pudor.
Quid, niſi præclaras animo ſpes conſpicis? & te
Sollicitant miris gaudia mira modis?
Nec quicquam tot poſſe bonis accedere credis,
Amplius, & fines hæc ſuperaſſe ſuos?
Scilicet haud leuis eſt formæ præſtantia uirtus,
Et mentem quauis excitat arte magis.
Et uolat ante oculos, & lumina feſſa fatigat,
Nec ſomnum tacita carpere nocte ſinit.
Sed licet excedant certas hæc omnia metas,
Et tangant merita pectora lætitia.
Non tamen hinc omnis dependet gloria ſponſæ,
Aut ea nunc una laude uehenda uenit.
Sed genus & patria, & magnorũ nomen auorũ,
Hæc quoq; non paruæ pondera laudis habẽt.
Nam ſi uix opibus proſtat mercabilis ullis,
Si qua ab Erythræo littore gemma uenit.
Nec niſi ab extremo portatur bellua Gange,
Cuius in impoſito dens gerat orbe ſcyphos.

Ipſaq;

Ipſaq́; pro patria cenſentur marmora terra,
Cæſaq́; non quauis arbore ligna placent.
Cur non humanos eadem quoq; gloria partus,
Atq; idem claros reddere debet honor?
Et debet noſtros ea commendare nepotes
Patria, quæ tanti ſaxa ualere facit?
Ergò, nec iſta tuæ laudis pars uirgo, tacēda eſt,
O nunquam uerſu uirgo tacenda meo.
Sed repetēda domus monumēta uetuſta paternæ,
Et quondam terris parta trophæa tuis.
Et proaui reges, & origine mater Ibera,
Et decus in ueſtro ſanguine, Cæſar auus.
Atq; hîc ô Muſæ, quæ prima exordia ſumam?
Quæue mihi ſeries carminis huius eat?
Quocunq; aſpicio, præſtringit lumina fulgor,
Longáq; priſcorum ſtemmata cerno patrum:
Hinc uetus & multos bello dominata per annos
Eminet Auſtriadum clara propago ducum.
Cui modò Pannoniæ ſeruit pars altera regni,
Septáq; inacceßis Norica terra iugis.
Danubij celebrem qua iactat ripa Viennam,
Quáq; celer gelidis Alpibus Aenus abit.
Seruit & Auſonio gens Raurica dicta colono,
Vltima Sequanici qua tenet arua ſoli.
Et quæ Briſiaci retinet cognomina montis,
Et uidet hinc ſaltus Rhetia ſylua tuos.
Quondam etiam primi parebant cornua Rheni,

Et latè imperio ſubditus amnis erat.
Dum uetus antiquo ſtabat fiducia regno
Elueticas necdum mouerat ira manus.
Hac ſatus eximia princeps uirtute Philippus,
Vnicus ille domus Aemiliane tuæ.
Quem generum terræ Rex Ferdinandus Iberæ
Aſciuit thalamis pulchra Ioanna tuis.
Quatuor Hiſpana genuit de matre ſorores,
Et morum ſtudijs, & pietate pares.
E quibus hanc Cimbri coniunx Iſabella mariti
Diuino peperit munere Dorotheam.
Dorotheam, teda quæ mox præeunte iugali
Sponſa Palatinum ſcanderet alta thorum.
Hinc etiam gemini, Mauortia pectora fratres,
Attollunt alto nomina clara polo.
Quos eadem illa tibi formoſa Ioanna Philippe
In lucem partu protulit aucta nouo.
Quorum Pannonias alter moderatur habenas,
Priſcaq; Boiorum poßidet arua ducum.
Triplice regales uinctus diademate crines,
Et titulo regni nobilis Auſonij.
Alterius totis ſtat fuſa potentia terris,
Et latè cunctas poßidet unus opes.
Cæſare quo tuta eſt longa Germania pace,
Et creſcunt placido cuncta ſub imperio.
Huic hominum extremi Morini, forteſq; Bataui
Parent, & totis Belgica ripa uadis.

Huic

Huic homines ſero parent ſub ſole tepentes,
Quidquid & immenſi circuit ora maris.
Quà pater exonerat pelago ſua flumina Rhenus
Quáq; uidet diues Bethica rura Tagus.
Idem & Romanas flectit moderamine terras,
Et regit imperijs Itala regna ſuis.
Et gaudent tutæ placido ſub Cæſare gentes,
Quæq; colunt Tyberi proxima, quæq; Pado.
Cuius & aſpexit nuper Carthago triumphos,
Et concuſſa nouo eſt Africa terra metu.
Ac niſi uana uolant ueteris reſponſa Sibyllæ,
Idem mox domitis auferet arma Getis.
Altáq; uictrici uolitans ſuper æquora claſſe,
Telluris dominus triplicis unus erit.
At parte ex alia, Cimbrorum gloria gentis,
Et ueterum effulgent clara trophæa ducum.
Nam quibus ignota eſt generoſa audacia Boli
Iniecit primas qui tibi Scaure manus?
Aut quis Theutobochi neſcit fera prælia regis,
Milliáq; Auſonidum tot ſuperata uirûm?
Cùm doluit cæſos, damnato conſule, ciues,
Et poſuit mæſtum territa Roma caput.
Et neq; Seruilius turmis, neq; Manlius illis
Viribus obniti ſuſtinuere ſuis.
Quamuis tunc ſenos gereret pro Conſule faſces,
Et iaceret magnas ſæuus uterq; minas.
Et domita nuper Carthagine cuncta fremebant,

Summaq; tum Latiæ gloria plebis erat.
Sed uelut obiectos torrens defertur in agros,
Vertice collectus Martia ſylua tuo.
Quem procul aduerſo cùm uidit paſtor in aruo,
Attonitus pauidum cogit in antra gregem.
Sic quoq; per ſummas Cimbrorũ exercitus Alpes
Itala delapſus perculit arua metu.
Quin neq; ſic Parthus concuſſam terruit urbem,
Cùm cecidit fato Craſſus uterq; pari.
Et Pacorus, uitam bello clauſurus eodem
Vexabat Latias ſanguinolentus opes.
Donec arenoſis Marius reuocatus ab Afris,
Reſtitit, & Libyco ſole peruſta manus.
Et iam fortuna uultus mutante ſerenos,
Carpſerunt feſſos ocia lenta uiros.
Quæ certè ut uetus eſt geſtarum gloria rerum,
Auſonidumq; ipſis tradita uera libris,
Sic quoq; contingit ueſtros eadem illa parentes:
Perficit & laudes inclyta uirgo tuas.
Nam quæ terra tulit tantas generoſa cateruas,
Prima eadem in lucem te tulit illa nouam.
Illa tuo primum gauiſa eſt inclyta partu,
Primaq; uagitus audijt illa tuos.
O tellus nullum non commemoranda per æuum,
Germani quantum eſt ſplendor ubiq; ſoli.
Quãuis nec minor eſt magni quoq; gloria ſpõſi,
Atq; etiam reges protulit illa domus.

Quæq;

Quæq; uides muro Pallatia ſtructa uetuſto,
Proxima quà celſa turris ab arce patet.
Hoc quondam illuſtres habitarũt uertice reges,
Illaq; Romani Cæſaris aula fuit.
Nunc quoq; magnanimum uehit inclyta fama Ro
Et Pallatina gloria digna domo. (pertum,
Cuius & Inſubres ſenſerunt arma manipli,
Auxilium populis cum tulit Arne tuis.
Et mox Euganei diues gens accola Ponti,
Teutonicum merito uexit honore uirum.
Quæ dum lenta patris labentur flumina Nicri,
Merget & exceptas gurgite Rhenus aquas.
Gloria perpetuo ſtabit memorabilis æuo,
Solaq; contempta morte ſuperſtes erit.
Ac ſi quando ſui Muſis reddentur honores,
Et ueniet ſtudijs priſtina fama bonis.
Huic quoq; cum Muſis uiuet per ſæcula nomen,
Hoc illi referent pro pietate deæ.
Quare hæc cũ ueſtrã decorãt tot ſtẽmata gentẽ,
Gloriaq; ad ſummos tendit utrinq; deos.
Et nũc tãta domũ tibi ducitur, inclyte Princeps,
Sponſa potens forma, ſanguine ſponſa potẽs.
Hæc tua miretur quiſquã noua gaudia demens?
Aut fieri inſolito talia more putet?
Quin tecum ſummo laudes cantamus Olympo,
Thuraq; cœleſtes ponimus ante deos.
Altaq; regnantum ueneramur numina diuûm,

Tot tibi qui facili dona dedere manu.
Ipſe equidem ut uidi tàm lætas undiq; turmas
Confluere, & plenis agmina tanta uijs.
Et uidi ueſtras tàm longo ex ordine pompas,
Et tua tot comites, inclyte, terga ſequi.
Hei mihi difficilè eſt, animo quæ gaudia ſenſi,
Quáq; fui tractus, dicere, lætitia.
Certè non alio maiori tempora motu
Inuaſit mentem Muſa relicta meam.
Quæ ſeu grata tibi eſt, ſeu nulla eſt gratia facti,
Carmina quæ cernis qualiacunq; dedit.
Quòd ſi non animum ludunt præſagia noſtrum,
Nec ſpes ex nihilo, quæ uenit, iſta uenit.
Neſcio quid ſpondet uenturo Iuppiter orbi,
Et current fuſis tempora læta nouis.
Iamq; dies ueniet cùm tu iuſtißime Princeps
Muneribus ſummis conſpiciendus eris.
Ac tibi tum faciles producent uellera Parcæ,
Et uiues longa poſteritate diu.
Teq; etiam ad ſeros traſmittet fama nepotes,
Qui tua perpetuâ nomina laude ferent.
Fœlices igitur per ſæcula uiuite longa,
Iuncti legitimo fœmina uirq; thoro.
Viuite, & ad ſeros deducite tempora canos,
Et numerent multos pignora ueſtra dies.
Quæq; fides animos primo coniunxit amore,
Accenditq; iſtas candida prima faces.

Hæc

Hæc eadem ad ſummam iũctos comitatã ſenectã,
Mutua perpetuo fœdere corda liget.
Hæc quoq; enim magni eſt ſentẽtia certa tonãtis,
Cætera qui uerſat numine cuncta ſuo.
Vt quos iuſta fides caſto ſociauit amore,
Nulla ſemel iunctos ſoluat amore dies.
Sed placidè expectent poſtremi temporis horã,
Dum ſociæ claudant ultima fila deæ.

τέλος.

Adieci & ſequens Epithalamion, quod quia inter authoris Epigrammata, quæ Anno 1528. Haganoæ ſunt impreſſa, inueni, eius eſſe non dubitaui.

EPITHALAMION ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS IOANnis Friderici Ducis Saxoniæ, & Dominæ Sibyllæ Ducis Cleuenſis filiæ.

SI prius Aonides Hymenæum noſtra camœnæ
Carmina nobilibus concinuẽre uiris.
Huc age Muſarum celebris chorus omnis adeſto,

Carmine dicendus nunc Hymenæus erit.
Triſtis inexpletas Elegeia ſolue querelas,
Haud tibi nunc mœſtum nomen ineſſe decet.
Cinge triumphali flauentia tempora lauro,
Collige depexas fronde uirente comas.
Ille tuus fautor, Princeps tua fama Iohannes
Imparibus numeris ritè canendus erit.
Ede nouo ſponſo dignas & principe uoces,
Argutis hilares cantibus ede ſonos
Túq; ô præcipuè Saxonibus inclyta tellus,
Gaudia non tacito tanta recondeſinu.
Si quod enim tempus fuit, aut lux ſi qua per æuū
In terris unquam ſuſtulit orta caput.
Non ſine conſilio qua numinibusq; deorum
Eſſet ſolenni res peragenda modo.
Illa dies hæc eſt, hæc fœliciſſima rerum
Lux tibi Cretenſi more notanda uenit.
Quæ tibi iam precibus toties uotisq; petita,
Mille uoluptates, gaudia mille dabit.
Tempus adeſt, uinclo quo nunc ſocianda iugali,
Puchro ducetur pulchra puella Duci.
Vrantur pia thura focis, iam floribus aula,
Iam niteant ſparſis atria tota roſis.
Ecce uenit uirgo magnis ſtipata cateruis,
Iunctus & it ſponſæ Dux comes ipſe ſuæ.
Hunc latè circum turmæ panduntur equeſtres,
Multus & armatis ſtat cataphractus equis.

Vndiq;

Vndiq; nobilium populus coit omnis in unum,
Vndiq; nunc ingens orbis in urbe fremit.
Dicite Saxones, quis ueſtrum uiderit unquam
Tot ſimul illuſtres hac regione uiros?
Scilicet aſſumptis hac nulla frequentior armis
Turba diu pacis tempore uiſa fuit.
Fluctibus æquoreis ſimilis, quocunq; uagatur
Ire procellarum millia multa putes.
Vllane poſteritas credet? quis uerſibus unquam
Exprimet, aut uerbis gaudia tanta ſuis?
Hei mihi carminibus q̃ non mea pectora clarum
Ingenium magnæ fertilitatis habent.
Nunc equidẽ cuius numeris memoratur Achilles
Optarim uatis numen ineſſe mihi.
Quiſquis adeſt coram ſponſo gratatur eunte,
Teſtatur cultu gaudia quisq; nouo.
Hic Tyrio incedit multum ſpectabilis oſtro,
Incedit niuea concolor ille die.
Hic ferrugineos, uirides hic geſtat amictus,
Hic crocea pictus corpora ueſte tegit.
Dij quoq;, nec ducũt homines hæc gaudia tantũ,
Lætitiæ cauſam qua moueantur habent.
Emicuit ſolito formoſior æquore Phœbus,
Auraq; uix unquam purior antè fuit.
Omnia nunc rident, nũc eſt pulcherrimus annus,
Vndiq; nunc uiridi germine floret humus.
Ipſa ſuam linquens etiam Venus alma Cytheron

Nobilibus nymphis huc comitata uenit.
Non qualis præſens inconceßis hymenæis
Sed caſto thalamo qualis adeſſe ſolet.
Illam gemmatis iuxta puer aureus alis
Plaudit, & in numerũ crura manusq́; mouet.
Blandiciæ comites huic ſunt, riſusq́; iocusq́;
Aßiduo aligerum turba ſecuta Deum.
Fratris ad Aeneæ quondam ſponſalia dicunt,
Sic illum terris iſſe Latine tuis.
Nec minus Aonij dulces Heliconis alumnæ,
Diuinis celebrant gaudia læta choris.
Gratanturq́; duci, cuius bonitate recepta eſt
Hæc & munifica turba fouetur ope.
Cernis ut alterno moueant ueſtigia greſſu,
Increpet ut digitis cantor Apollo chelym.
Ruſtica mirantur ſtupefacti numina Panes,
Mirantur Dryades Naiadesq́; deæ.
Accurruntq́; leues Satyri, Fauniq́; Napeæq́;
Et qui præterea rura nemusq́; colunt.
Quin & Saxoniã primum quum ſponſa ſubiſſet,
Atq; urbi ueniens approperaret iter.
Accipiens ſonitus imo pater Albis in antro
Cæruleum flauo ſuſtulit amne caput.
Arrectisq́; diu ſubſiſtens auribus hæſit,
Vnde uoluptatis gaudia tanta nouæ.
Nunquam deſertis amnis pulcherrimus undis
Conſpectus uultu lucidiore fuit.

Oceano

Oceano facie ſimilis, referentia patrem
Nerea, fulgebant lumina bina deo.
Denſabant criſpum uiridantia gramina collum
Heliadum madidas fronde tegente comas.
Eſt locus Arctoas hic quo deflexus ad undas
Frugiferos noſtræ perfluit urbis agros.
Populea uiridis prætexitur arbore ripa,
Pictaq; ſe multo flore coronat humus.
Hic ſtetit, & trunco medijs innixus in undis
Audijt inſolita uoce Hymenæa cani.
Ilicet obſtupuit, ſuſpenſaq; gaudia primum
Oppreſſam uocem cõtinuere diu.
Tandem ubi læticiæ cauſam cognouit, & ingens
Proſpexit latas agmen inire uias.
Reppulit obſtantes madida de fronte capillos,
Et flauam gelido legit ab ore comam.
Demulcensq; manu pendentem uligine barbam,
Creditus eſt tali uerba dediſſe ſono.
Iámne mihi tandem multis optata diebus,
Iam uotis toties ſponſa petita uenis.
Dilecto iungenda uiro, iungenda marito,
Ingredere ô terris uirgo recepta meis.
Nec te pœniteat fortunatiſsima nympha,
Huic te quòd nuptam contigit eſſe Duci.
Tu licet illuſtri ſis ſtemmate nata parentum,
Et celſa ducas nobilitate genus.
Maioresq; tuos claris inſignibus ortos

A proauis & auis dinumerare queas.
Non uirtute ſua, non ſanguine ſponſus auitó
Hic tibi uel patrijs cedit imaginibus.
Si tibi commemorem cunctos ab origine primos
Saxoniæ tollit ſe quibus alta domus.
Virtutemq; uirûm, præclaraq; geſta, ſtupebis,
Siue uoles belli, ſeu magis illa togæ.
Nec tibi fictarum referam mendacia rerum,
Quæ memoro ſcriptis fama uetuſta dedit.
Atq; utinam q̃ ſunt hæc uera & digna relatu,
Cognita tàm poſſent omnibus eſſe tuis.
Principio ante oẽs Magnũ admirabere Othonẽ,
Menſuram factis nominis huius habet.
Cæſareos primus titulos his intulit oris,
Aſpice quàm raros inter habendus erit.
Innumeri reges illum tremueré potentes,
Sunt illi forti bella peracta manu.
Sedauit uarios hoc uindice Roma tumultus,
Hoc tenuit uires Itala terra ſuas.
Vandalicas dextro ſuperauit Marte phalanges,
Pannonio uictor nomen ab orbe tulit.
O quoties illo uix adueniente feroces
Sanguine conſperſit perfidus Iſter aquas.
Succumbensq; genu, nec tutus conditus alueo,
Fertilibus retro dicitur iſſe uadis.
Ceu Phrygiæ Xanthus gelidis in montibus Idæ
Deſtitit inceptum cæde retentus iter.

Sed

Sed mea uirtuti non par oratio tantæ,
Iſta erat Heroo res memoranda pede.
Vt taceam reliquos Duce qui numerãtur ab illo,
In quorum laudes area magna patet.
Nobilium quis enim tot fortia facta uirorum
Vnus pro meritis dicere cuncta poteſt?
Ad propiora uocor, quæ toti cognita mundo,
Fortè etiam ex ueſtris qui fateatur erit.
Cui non notus erat, multis præſtantibus actis,
Erneſtus noſtri principis huius auus?
Quo Duce non alius melior, uel amantior æqui
Et fuit, & longo tempore rarus erit.
Illi multarum ſollers prudentia rerum,
Dexteritas illi principe digna fuit.
Ipſe magiſtratus legit ſanctumq́; ſenatum,
Ipſe ſuis populis iura uerenda dedit.
Et niſi cum ſeſe uindex armaret in hoſtem,
Tranquillæ ſemper pacis amator erat.
Virtutes autem reliquas ſi dicere pergam,
Ilias eſt laudum commemoranda mihi.
Præterea quem non Alberti nomen in orbem
Venit, & eſt quo non fama relata loco?
Illius extremo diuiſos orbe Britannos,
Laudibus auditis obſtupuiſſe ferunt.
Illum Atlas norat, Thule ultima norat & ipſum,
Atq; remota magis ſi qua ſub axe iacet.
Nam magis illuſtrem nullum fecere labores,

Totaq; triumphanti parta trophæa manu,
Hic te ſi uatem ſortitus Homere fuiſſet,
Eſſet Pelidæ fama ſecunda ſuæ.
Belgæ uictorem de ſe dixere feroces,
Indomitas Phryſij contudit orbis opes.
Ipſius auxilio diſrupit uincula Cæſar,
Captus ubi quondam Maxmilianus erat.
Nec tu, nobilibus Princeps memorāde camœnis,
Hac Friderice mihi parte tacendus eris.
Ardua quem uexit ſublimis ad æthera uirtus,
Nomen & æterna poſteritate dedit.
Huius ſponſa uiri ſi quis te facta docebit,
Iurabis ſuperûm laudibus eſſe parem.
Raro illi poteris quenquam conferre priorum,
Ex his quos habuit Teutona terra duces.
Cedite Romani, Graiorum cedite reges,
Haud aliquo ueſtrûm uir fuit ille minor.
Hoc Tyberine ſuo tecum contendet alumno,
Albis qui fuerat barbarus antè tibi.
Scipio magnus erat populorum terror in armis,
Et Fabijs ſuus eſt ſanguine partus honos.
Hic ſine cæde fuit dux formidabilis orbi,
Et ſine ui palmam uictor ab hoſte tulit.
Magnificos alij bello meruêre triumphos,
Bella magis uigil hic ne gererentur erat.
Adde quòd & longæ cùm per ſua tempora uitæ
Auxerat innumeras pace quietus opes.

Non

Non illas unquam luxu decoxit inani,
Nunc ueluti regum prodiga turba facit.
Publica ſed magis his adiuuit commoda plebis,
O patriæ uerus quàm pater ille fuit.
Extruxit ſolido de marmore templa deorum,
Vt ſuperis eſſet mutua cura ſui.
Plurima turrigeris circundedit oppida muris,
Et poſuit uarijs ardua tecta locis.
Tùm quod præcipuam laudẽ famamq́; meretur,
Inſtituit celebrem nomine req́; ſcholam.
Hinc promanarint noſtris quæ commoda rebus
Eſſe nihil toto notius orbe puto.
Hîc ſacra ſplendidius doctrina niteſcere cœpit
Obruta quæ multis ſordibus antè fuit.
Hîc quæ barbaricis tenebris confuſa iacebat
Accepit uires utraq; lingua ſuas.
Deniq; quid referã, quãtis quoq; ſumptibus artes
Et quàm munifica fouerit ille manu.
Fabula narratur, Rhodijs quòd Pallade nata
Deciderit largis aureus imber aquis.
Immenſum eſt quantũ uir & hic profuderit auri,
Dum ſtatuit ſtudijs præmia digna bonis.
Hæc ſunt facta ducũ, iã nunc quibus inclyta tellus
Saxonici regni nobilitata uiget.
Horum tu ſimiles nobis paritura nepotes
Incolumis longos uiue puella dies.
Immortale genus tibi ſit, tibi ſurgat in æuum

Perpetua magnum poſteritate genus.
Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis,
Illuſtres omni laude ſequantur auos.
Sic ait, ac pariter ſponſamq́; ducemq́; relinquēs,
Albis honoratum merſit in amne caput.
Et multum properans tardus grauitate ſenili,
Cærula cæruleis antra ſubiuit equis.
O fœlix autem uereq́; beata, nec ulli
Pro meritis unquam lux celebranda tuis.
Quæ primum nobis hæc gaudia tanta tuliſti,
Gaudia lætitiæ non habitura modum.
Salue læta dies, albo ſignanda lapillo,
Salue qua nunquam gratior ulla fuit.
Si qua meis ueniet, ueniet ſi fama camœnis,
Semper eris feſtos inter habenda dies.
At tu præclarum ſpecimen uirtutis auitæ
Princeps, & patriæ gloria magna tuæ.
Quē modò nos ſponſum tāto ueneramur honore,
Lætitiamq́; omnes nomine cuius agunt.
Hoſce tibi exhibitos plauſus agnoſce tuorum,
Pectore qui uero te reuerenter amant.
Et cum præluſtri ſis regum ſtemmate natus,
Totq́; tui generis fortia facta legas.
Macte animo iuuenis, claros imitare parentes,
Victurum meritis nomen ad aſtra refer.
Sic tua prole noua faciat te ſponſa parentem,
Sic maneant uitæ tempora longa tuæ.

Viue

Viue diu regum ſanguis, clariſsime Princeps,
Sitq́; tuus fœlix & ſine labe torus.

EPITHALAMION SEBASTIANI HVGELII ET BARbaræ Melanchthoniæ.

AT tandem frueris ſperato lætus amore?
Et uenit in thalamos ſponſa petita tuos?
Cui genus, & uirtus, & plenis nubilis annis
Aetas, & tenero pulcher in ore pudor.
Sic quoq; poſt longos placatus Iuppiter imbres,
Diſſoluit liquidis nubila denſa Notis.
Et redit auricomus per cœli culmina Phœbus,
Et reparat feſſum mitior aura diem.
Ergò Pierij celſo de uertice montis
Huc eſte, ô ſacræ, corda nouena, deæ.
Huc eſte, atq; nouum mecum celebrate maritum,
Gaudiaq́; in tacito quæ fouet ille ſinu.
Ceu quõdam Aeacidæ celebraſtis carmine tedas,
Dum ſedet æquoreæ captus amore deæ.
Et læti circum peragunt conuiuia Diui,
Tangit & auratam pulcher Apollo lyram.
Nam decet, & dudũ fuit hic quoq; ueſter alũnus,

Et multis coluit numina ueſtra modis.
Qui genitus ueteres qua diuidit Ella Tribocos,
Quaq́; ſecat lenis fertile Pryſca ſolum.
Hinc pater amborum generoſo flumine Rhenus
Excipit effuſas aurifer amnis aquas.
Atq; Argentoratum per longam nobile ripam
Oſtentat, claris mœnia culta uiris.
Ardua ſublimi ſurgens ſuper æthera turri,
Atq; monens ipſos eminus ore deos.
Hîc, Muſæ, ueſtras puer enutritus in artes,
Iuſta rudimenti tempora prima tulit.
Et didicit, quæcunq; ſolent, tradente magiſtro,
Mollia cirrati diſcere corda gregis.
Non ludũ, neq; uina ſequens, ceu plurima noſtro
Aeuo luxuria perdita turba facit.
Sed tenera teneris incumbens mente camœnis,
Excoluit ſtudijs pectora caſta bonis.
Atq; hinc progreſſus, poſtq̃ ætas grãdior, artes,
Maioresq́; alias ſuaſit inire uias.
Qua placidus montes inter delabitur altos
Nicer, & in planos curſibus exit agros.
Paruaq́; per uiridem ſparguntur mœnia ripam,
Parua quidem, at doctis mœnia nota uiris.
Huc ſe poſt primos ætatis contulit annos,
Tempora cum luſtris degeret acta tribus.
Hîc demum ſtudijs impendit pectora iuſtis,
Explicat & totis carbaſa plena Notis.

Dum

Dum partim ſæcli repetit monumenta prioris,
Atq; omnem priſci temporis hiſtoriam.
Quis rerum ſtatus, & quis primus rexerit orbẽ,
Omnia cum tegerent Deucalionis aquæ.
Quanta Semiramidis complerint iugera muri,
Qualis erat Cyrus dum Babylona capit.
Millia quot Graias hominum portarit in oras,
Qui ſiccabat equis flumina tota ſuis.
Duraq; Neptuno tendebat uincula ſtrato,
Et miſerum ferro perfodiebat Atho.
Quàm cito Pellæus terram tremefecerit omnem,
Cuncta ſub imperio dum tenet ipſe ſuo.
Donec Romani complerunt omnia faſces,
Et uictrix toto regnat in orbe toga.
Partim Saturni miratur ſæcula regis,
Vinaq; ſpumantes ſponte replere cados.
Mox pulſum regno Latijs iacuiſſe ſub agris,
Aurea cumq; ſuo tempora uerſa deo.
Hinc ſpolium Calidonis apri, nauemq; loquacem,
Velleraq; Heroum fulua relata manu.
Bellaq; tam longos Danaum producta ſub annos,
Atq; ipſos inter prælia geſta deos.
Pelidæq; iras, uectumq; per æquora Vlyſſem,
Et tot Penelopes atria plena procis.
Hinc & naſcentis regni incrementa Latini,
Actaq; diuerſis arma, uirumq;, Notis.
Phœniſſamq; arcem, & ſæuum Didonis amorem,

Et tot cum Rutulo millia cæſa Duce.
Omnia quæ magnus quõdam cantabat Homerus,
Carmine dum celebrat Dorica caſtra ſuo.
Aut ſatus, antiquo quâ condita Mincius Ocno
Mœnia Mantoos alluit inter agros.
Cum quibus & rerum tacitos examinat ortus,
Et quæ cauſa uices uertere quaſq; ſolet.
Vnde per æſtiuam breuiori lumine noctem
Pallida per cœlum Cynthia tendat iter.
Aut pater hyberno dum torpent frigore terræ,
Exigua lucem claudat Apollo mora.
Ignea quis tanto iaculetur fulmina motu,
Quis tanto ſuperas concitet imbre plagas.
Num grauis in medio ſuſpenſa ſit aëre tellus,
Et reddant aliquem ſydera uerſa ſonum.
Quodq; mouet paßim cunctis animalia terris
Aura ſit, an uitæ ſemina ſanguis alat.
Et ueniat certo uirtus parienda labore,
An uetus ingenijs hæreat iſte uigor.
Qualia Cecropij docuerunt multa magiſtri,
Quâ reſonat ſacris ſylua Lycea comis.
Conſitaq; ad gelidum Platanus ſe pandit Iliſſum,
Et pia Socraticos prouocat umbra ſonos.
Ergò, nec immerito, poſtq̃ hæc cognouit, & altè
Humanos ultra ſuſtulit ora modos:
Illaq; deprendit ſenſu, quæ dedita curis
Pectora terrenis prehendere nulla ualent.

Mox

Mox quoq; uenit honos, & tanti præmia facti,
Dignaq; non una nomina laude tulit.
Præfectusq; alijs, ludoq; magiſter aperto
Quæ didicit, uerſa iam docet ipſe uia.
Vt quondã in uacuis qui iactant mẽbra palæſtris,
Et tendunt leuibus uulnera uana Notis.
Pòſt ubi perceptæ confidunt uſibus artis,
Exercent medio, quæ didicere, foro.
Protinus hinc igitur ſummam contendit in arcẽ,
Et poſita in celſo quæ uidet illa petit.
Ne genus intactum ſtudiorum linqueret ullum,
Sed ſtarent numeris omnia plena ſuis.
Euoluit ueterum numeroſa uolumina legum,
Totáq; non uno tradita iura modo.
Scilicet ingenuo quid diſtet corpore ſeruus,
Aut qui uindicta eſt liber ab impoſita.
Quid pater, aut tutor, quid poßit filius infans,
Quo noua iungatur fœdere nupta uiro.
Propria quæ ueniat rerum poſſeßio lege,
Altius & quando ſeruiat acta domus.
Quas teneat uires hominum poſtrema uoluntas,
Quæúe herciſcundis ſit data norma bonis.
Quãta liget promiſſa fides, quid pacta reſoluat,
Mancipium quali ueneat ære nouum.
Quid populus, prætorúe roget, quæ pœna luẽda
Illis, qui prauo damna dedere dolo.
An liceat ueteres iterum renouare querelas,

An ratio uicti non ſat habenda rei.
Quæ quondam dubijs dum reſpondebat amicis
Scæuola, uel recti Papinianus amans.
Aſportant paßim pauidi ſua dona clientes,
Et diuina uirũm numina uoce colunt.
Non ſecus ac Lycij coluere oracula Phœbi,
Aut Dodonæi templa ſonora Iouis.
Ventura quoties uatem de clade rogabant,
Aut qua ſummarum ſpe fruerentur opum.
Nec tamen hæc iſto uerſat tot ſcrinia pacto,
Conferat ut Muſis tempora nulla bonis.
Sed quamuis lõgo noſtra hæc præuertit honore,
Et iunctum tanto nomine munus habet.
Illa tamen ueteris relegit ueſtigia curæ
Interdum, & notas reſpicit ore deas.
Nunc quoq; tam uarijs diſtentus pectora rebus
Dum ſponſam externa ducit ab urbe domum.
Dum parat, atq; acri circumſpicit omnia mente,
Quò fiant iuſtis debita quæq; modis:
Ipſam inter mediam tot rerum, carmina, turbam
Expetit, his thalamos gaudet obire nouos.
His, ut Pierides uenturi temporis æuum
Auſpicijs, ueſtras exigat inter opes.
Quo decet, & ueſtros uos huc aduertere uultus,
Et placido cœptis ore fauere nouis.
Et tedas celebrare ſacras, celebrare maritum,
Tanta qui coluit numina ueſtra fide.

Nam neq; quæ lectum ſcãdet noua nupta iugalẽ,
Ipſa minus ueſtro digna fauore fuit.
Quæ ſimul & patriæ, ſimul & uirtute parentũ
Eminet, & quouis digna puella uiro eſt.
Namq; quis ignorat conſtantis mœnia Brettæ
Atq; armis pariter forte, uiriſq; ſolum?
Quam neq; belligeri quondam potuere Sueui,
Nec graue finitimi uincere Martis opus.
Cum latè bello circum uicina maderent
Mœnia, & incenſos uerteret hoſtis agros.
Tempore quo iuuenis regnum Ludouicus inibat
Hoſpitio fretus Celtica terra tuo.
Et nec adhuc omnis ſublata reſederat ira,
Tàm uarijs aquila tela mouente modis.
Ipſa iacet modicos inter pulcherrima colles
Preſſa, ſed in uiridi condita tota ſolo.
Spicea quos ueſtit flaua Ceres undiq; meſſe,
Partem etiam lento palmite Bacchus obit.
Summa tegunt ſparſæ non uno uertice ſyluæ,
Quas tamen à longè mœnia tuta uident.
Ima rigant crebro ſalientes flumina fontes,
Et paſcunt lætas herbida prata greges.
Peruia quæ tranant uenientes undiq; uenti,
Et totum ueniens temperat aura locum.
Vt neq; crebra minus conturbent nubila cœlum,
Quale uident celſis abdita rura iugis.
Nec toties miſera uexentur corpora tabe,

Vt quà lenta premit peſtifer arua ſitus.
Sed pariter firmis creſcant animalia membris,
Conueniensq; animis corpora robur habent.
Hinc Reuchline tua ſenior de nepte Melanthon
Progenuit natos, pignora clara, duos.
Quorũ qui gelidũ procul hinc cõceßit ad Albim,
Teutona Saxonicis quâ ſecat arua uadis.
Vnus labentes Muſarum ſuſtinet artes,
Et quidquid dignum Cyclicus orbis habet.
Quo neq; uenturo naſcetur pulchrius æuo,
Nec tot longa retro ſæcla tulere decus.
Alter quem patrijs tenuit ſors æquior oris,
Summo inter ciues cultus & ipſe loco.
Hanc tibi ſponſe tulit tanta uirtute puellam,
Et dignam tantæ poſteritate domus.
Cui Venus et Charites, et quidquid amabile cœlũ
Poßidet, intentum, cum pareretur, erat.
Quam tibi ſic, credo, tacitos perſtringere ſenſus,
Atq; animum tota parte ſedare tui.
Vt neq; tũ patrias inter pulcherrima nymphas,
Alciden traxit Deianira ſuum.
Nec tenera Aetolum mouit Cleopatra maritum
Sumere pro patrijs quæ iubet arma focis.
Nam quos nõ oculos, quæ non præcordia tangat
Ille rubens fuſus blanda per ora pudor?
Aut quem non capiat tàm ſuauis gratia linguæ,
Et uerba Hyblæis æquiparanda fauis?

Et

Et faciles quos nulla tegit ſimulatio uultus,
Et mores grata ſimplicitate pares?
Vt taceam teneros artus, teretesq; lacertos,
Oraq; purpureis candida tincta genis.
Quale ſolent pulchro quondam effulgere nitore
Lactea cum teneris lilia mixta roſis.
Vt neq; per cœlum formoſior iuerit Hebe,
Amphitryoniadæ iuncta marita deo.
Nec uaga per montes errârit pulchrior altos
Virgineos inter nota Diana choros.
Ac niſi uana meos deludit opinio ſenſus,
Iamdudum magno uictus amore iaces.
Nam quos non aditus, quæ non ueſtigia tentas?
Dum tacitis oculis ora, pedesq; legis.
Et ſequeris greſſus, & uerba incepta relinquis,
Et præſens, abſens quod facit illa, facis.
Fœlices igitur quos tanto caſtus amore
Iunxit, & ætherei fœderis igne, Deus.
Fœlices æuo uitam traducite longo,
Et glomerent ueſtros ſtamina multa dies.
Et uos, qui tantos modò conciliaſtis amores,
Gratia & auratis Cypria pulchra comis.
Perpetuos æquis amborum curſibus annos
Dirigite, & placido lintea ferte mari.
Tempora ut æquali currant ea tota tenore,
Alterna amborum corda ligante fide.
Atq; ijdem pulchra ſpectentur prole parentes,

Et uideant natos lætus uterq; ſuos.
Donec longæuam concludat Parca ſenectam,
Rumpat & abſumpta fila ſuprema colu.

AD STIGELIVM.

AT tu Pierias iuuenis prognatus in artes,
Omnia cui doctæ dona dedere deæ.
At quàm difficiles ueniunt ad aratra iuuenci,
Cùm iuga per longum dedidicere pati.
Et ſolito Eleis decurrit ſegnior aruis,
Ille diu nullo carcere miſſus equus.
Tàm malè deſuetum reuocas ad carmina uatem,
Dum poſcis uerſus chare poeta meos.
Nam mea perpetuis,quibus obruor undiq;,curis
Corda iacent Muſis languida facta bonis.
Nec ſic ingenium,nec ſic mea tempora currunt,
Dulcibus ut poßim ritè uacare modis.
Et mea,ſi qua fuit,ſic exareſcere uena
Cœpit,ut in medijs æſtibus aret humus.
Vtq; arent herbæ, cùm fiſſos Sirius agros,
Et ſitibunda malis ignibus arua premit:
Dum prohibent ſolitos aliena negocia curſus,
Et tenet aduerſus carbaſa prona Notus.

Ac quoties ueteres animo contemplor amores,
Et ſtudia illa, quibus deditus antè fui.
Hei mihi, quanta premũt turbatã nubila mentẽ,
Quàm ferit indomitus pectora noſtra dolor.
Non magis amiſſam queritur noua bucula matrẽ
Si qua per incertos ſola uagatur agros.
Quàm miſer indignos doleóq; gemóq; labores
Ingenio qui me deſtituere meo.
Quò ueniam hãc debes noſtræ donare Camœnæ;
Si, quàm tu cupias, parcior illa uenit.
Aut minus iſta tuis reſpondent carmina uotis,
Carmina poſt longas uix modò facta moras.
Quanq̃ equidẽ ille puto, quem tu expectas hymenæũ
Sic opera aut precibus nõ eget uſq; meis.
Nec ſic difficilem ſeſe dabit ipſe uocanti
Siue tuæ nuptæ, me ſine, ſiue tibi.
Tardior ut ueniens, tot gaudia ueſtra morari,
Aut thalamis partis ſerus adeſſe uelit.
Siue illum Idalij retinent umbracula luci,
Et Veneris dulci ſecubat in gremio.
Siue illum potior ſedes ſuper æthera uectum
Vraniæ matris regna beata tenent.
Qui, niſi me fallunt animi præſagia noſtri,
Iam properat comites, iam trahit ille ſuos;
Et mox ante torum cernes aſtare iugalem,
Tollentem crocea flammea uela manu.
Et iuxta puerum pulchra cum matre uolucrem,

Qui Deus exiguus uulnera magna facit.
Quiq; ſubinde nouos in amante reſuſcitat æſtus,
Himeron, & Charitum pectora nuda trium.
Cum quibus & ſacræ cantabunt carmina Muſæ,
Cadmea quondam quæ cecinere domo.
Martis Agenorio cum nupſit filia ſponſo,
Anguigenæq; nouas obſtupuêre faces.
Namq; ferunt Thebas Cadmus cũ conderet altas,
Atq; domum ſponſam duceret Harmoniam,
Veniſſe æthereos illa ad connubia Diuos,
Et ſua coniugibus dona dediſſe nouis.
Hos inter doctas carmen ceciniſſe ſorores,
Virtuti ſummum quo tribuere decus.
Quod pulchrum eſt, carum eſt, dicẽtes, & quod honeſtũ
Diligitur, turpis gratia nulla rei.
His tum Cadmeæ ſonuerunt uocibus aulæ,
Talis cœleſti uenit ab ore ſonus.
Quô tu ſiue illo nunc oblectabere cantu,
Seu melior qui te mulceat alter erit.
Sis fœlix, fatóq; tuo, genióq; beatus,
Quæ tibi ſupremus dat pater, illa colé.
Ac quæcunq; tuas accendent gaudia mentes,
Quaſcunq; accipies corde uolente uices.
Has precor, in longum ſerues fœliciter æuum,
Et cedat uotis, quod petis, omne tuis.
Illáq; quæ paribus nunc ardet Barbara curis,
Barbara te tali docta futura uiro.

Illa

Illa uelut pulchris uitis fœcunda racemis
Exornet thalamos pulchrior ipſa tuos.
Illa tibi dulces pariat noua pignora natos,
Vultu qui referant, ingenioq́; patrem.
Quos inter reſidens, teneras uelut inter oliuas,
Aſpicias oculis gaudia parta tuis.
Atq; ita perpetua rerum bonitate fruare,
Dum currant fuſis ultima fila ſuis.
Et tibi longæuo, natorum turba ſuperſtes
Sollicita claudat lumina feſſa manu.
Sic pater ipſe uelit ſummi regnator Olympi,
Sic Deus è caſta uirgine natus homo.

D. ADAMO VVERNHERO A THEMAR.

PEtierunt à me, clariſsime uir, communes quidam tui pariter ac mei amici, ut gratulandi cauſa Epithalamium aliquod in nuptias, quas iam iterum cum puella uirgine clariſsima celebraſti, componerem, idq́; ipſum tibi dedicarem. Hoc enim & gratum tibi tuisq́; fore arbitrati ſunt, & me officio ac ſtudijs meis conſentaneum facturum eſſe dicebant. Quanquam igitur ipſe eò ætatis iam profectus ſum, ut me huiuſmodi luſus propemodum pigere incipiat: & quæ olim adoleſcens, ſummo quo-

dam amore ac ſtudio perſecutus ſum, eadem nunc ſenior, perinde ut ueteranus, atq; emeritus aliquis, deponere paulatim, atque à me dimittere cogitem: quia tamen & tua ipſius authoritas atq; exiſtimatio, & fratrum tuorum Ioannis, Petriq́; familiaritas: præterea & patrui Adami, uiri optimi atque excellentiſsimi memoria, plurimum apud me ſemper ualuerunt, facere non potui, quin hac in parte de propoſito meo aliquid remitterem, petitioniq́; ac uoluntati illorum obtemperarem. Mitto itaq́; ad te, breue hoc quaſi Poemation quoddam, quo & ſtudia uitamq́; tuam aliquo modo, ut uides, complexus ſum, & ſponſæ iam pridem, nunc etiam uxoris tuæ, patriam & genus, ſummatim ac breuiter, quo ad potui, commendaui. Quod igitur faceres, ſi Athletam aut militem aliquem iam ſeniorem, ac uiribus deſtitutum, in arenam aut campum deſcendere uideres, idem de me quoque hoc loco cogitare debes, uerſiculosq́; hos meos ita accipere, ut qui fuerint ab ingenio iam pridē effœto atq; exhauſto, uix tandē atq; ægrè expreſsi. Nam & aliâs humanitatem tuam hactenus ita agnoſco, eamq́; de te ſpem mihi ipſe confirmo, ut te nō tam ipſum hoc, quod à me profectum eſt, ſpectare, quàm animum ac uoluntatem hac in re meam, intueri confidam. Quod quidem, ut hominis uerè ingenui ac liberalis eſt, ita ut id etiam atq; etiā facere

cere pergas, & uirtus tua, & aliorum exempla commonere te debent. Quod ad me attinet, illud utique magnum atque præclarum obtigiſſe mihi putabo, ſi me ut alium quemnis clientem inter tuos recenſeri, & in parte aliqua uel ima apud te hærere patieris. Vale.

Heidelb. Cal. Octob.

Anno. 1550.

EPITHALAMION ADAMI VVERNHERI A THEmar LL. Doct. *& honeſtißimæ uirginis Mechtyldis Mynſingeræ à Frundeck.*

HVC ades alterno repetens ueſtigia greſſu,
Candida purpureis cincta Thalia roſis.
Huc ades, & lætos thalami celebremus honores,
Quos Deus, & caſtus conciliauit amor.
Quos ſociæ Charites, quos miſta pudore uoluptas
Et pia commendat pacis amica, fides.
Nam quãtus paßim conſurgit ad æthera plauſus?
Quæ uoces hominum, qualia uerba ſonant?
Dum faciem, uultusq;, & pectora uirgine digna
Laudant, & ueteris ſtemmata clara domus,

Parte alia, uitæ memorantur facta prioris,
Temporaq́; ancipiti tot uigilata foro.
Præcipuè pietas, & amoris cura paterni,
Et ſeruata toro fertur ad aſtra fides.
Singula quæ dudum ſuperûm meruêre fauorem,
Viſaq́; ſunt tanto numine digna tegi.
Nam pater omnipotens, cœli qui præſidet arci,
Qui uidet hoc oculis, quod ſumus, omne ſuis:
Et caſus hominum, & ſortem miſeratur iniquam,
Nec patitur miſeros tempus in omne premi:
Deſertos poſtquam thalamos, uiduumq́; cubile
Vidit, & in ſola pignora parua domo,
Audijt, & mœſtos gemitus, & uerba precantum,
In rebus facimus qualia multa malis.
Promiſſi ueteris memor, & bonitatis ab æuo
Complexus noſtrum qua fuit uſq; genus.
Quaq́; idem pueros orbos, orbasq́; parentes,
Præſidio ante alios protegit ipſe ſuo.
Vnam de numero compellans uoce ſororum,
Quas partu quondam protulit Eurynome:
Nata tenes, inquit, Themarenſis nomen Adami,
A puero is nobis deditus uſq; fuit.
Dum ſtudio leges, & publica iura tuetur,
Ingenio magnus, nec minor eloquio.
Illius, ecce, iacet deſertum coniuge limen,
Mœret & in uiduo triſtior ipſe toro.
Nulla uiro uitæ ſolatia, nulla laborum,

Deficiunt luctu tecta, domusq; nouo.
At tutum non eſt, ſocia ſine uiuere quenquam,
Et ueniunt uiduo noxia multa toro.
Quare age, quæ menti ſedeat ſententia noſtræ,
Accipe, & hæc opera perfice iuſſa tua.
Terra iacet uaſtos inter Mauortia ſaltus,
Hos Alpes, illos Martia ſylua facit.
In medio Nicer fœcundat flumine campos,
Et totum liquido permeat amne ſolum.
Hanc olim ueteres captam inſedêre Sueui,
Dum mutant regnis arua priora nouis.
Gens ualida, & nullis unquam laſſata pericliſ,
Et ſemper prompta fortis ad arma manu.
Extera Germanos dum tentant bella colonos,
Et uariant rerum Teutona regna uices.
Nunc quoq; certa manent tantæ ueſtigia famæ,
Et celebrant nomen ſecula noſtra uetus.
Hîc ſubnixa breui pendet de uertice muro
Arx uetus, ad ripam molle fluentis aquæ.
Mynſigerûm ſedes multos iam nota per annos,
Dum fouet hanc magni Cæſaris aula domum.
Mynſigerûm qui clara tuæ cognomina rupis
Frundecum ſtudijs emeruêre ſuis.
Agnoſcis Noxæ uillæq; è nomine factum
Nomen, & antiquæ nobilitatis opus.
Hîc igitur gentis decus & pars inclyta Ianus
Cum natis habitat, coniuge cumq; ſua.

Auſtriacæ Ianus pridem notiſſimus aulæ,
Atq; idem ueteris nomine dignus aui.
Namq; auus huius erat qui nomine dictus eodem,
Impleuit meritis proxima regna ſuis.
Qui quondam Solymas illum comitatus ad oras,
Quo Duce ſe iactat Sueuica terra nouo.
Mox & Cæſareos inter numeratus amicos,
Extulit hanc fama primus ad aſtra domum,
Cui tum ſucceſſit patrias Ioſephus in artes,
Ingenio & legum cognitione potens.
Conſilio populos dudum qui rexit, & urbes,
Sueuia dum regno paruit Auſtriaco,
Nunc ſenior poſita curarum mole quieſcit,
Cæſaris in gemina magnus & ipſe domo.
Quo ſatus hic noſter, ſed aui de nomine dictus,
Poſſidet hæc generi debita tecta ſuo.
Vir, ſeu pace uelis rebus ſeruire quietis,
Seu telis contra tendere tela, bonus.
Nubilis huic patrios ſedet inter nata Penates,
Virgo decens uultu, uirgo pudore decens.
Mechtyldim priſca dixerunt uoce parentes,
Tantam illis de ſe ſpem modò nata dedit.
Non illa totis uiuit ſolertior oris
Rerum, quas teneras mos agitare nurus.
Nam te ſeu Coæ delectant fila Mineruæ,
Nulla magis tenerum pollice uerſat opus.
Seu te picta iuuant Phrygiæ uelamina ueſtis,

Effingit docta quidlibet illa manu.
Deniq; Mæoniæ laudetur tela puellæ,
Hæc quoq; texendi non erit arte minor.
Accedunt mores, & conſona pectora formæ,
Et pura à quauis labe pudicitia.
Multi illam thalamo iuuenes petiêre iugali,
Multi illam donis muneribusq; uiri.
Aſt hos intactam genitor ſeruauit in annos,
Sic nos, ſic fati conſtituêre Deæ.
Hanc igitur talem, tantaq; à ſtirpe creatam,
Cultori noſtro iungere lege placet.
Illius hanc uirtus, hanc & doctrina meretur,
Atq; ea, qua miſeros ſubleuat arte uiros.
Quare age de ſummo præceps delabere cœlo,
Atq; hinc Sueuorum protinus arua pete.
Quoq; uales, dulci uerborum freta lepôre,
Imbue ſecurum pectus amore nouo.
Virtutesq; uiri, & geſtæ præconia uitæ
Proſequere, & ueteris nomina nota domus.
Legitimo ut coeant inter ſe fœdere iuncti,
Gaudeat & thalamo lætus uterq; nouo.
Hæc fatus genitor, cœlo demittit ab alto,
Gaudentem donis, lætitiaq; deam.
Illa patris monitus, diuinaq; iuſſa capeſſens,
Rhetica de ſummo fertur in arua polo.
Atq; hinc Danubij ſpectans, hinc flumina Rheni,
Conſtitit in ſaxis Abnoba celſa tuis.

Inde Lycaonias qua ſe uia pandit in Arctos,
Quaq; patent aruis æquora, flectit iter.
Donec piſcoſo tetigit loca conſita Nicro,
Notaq; de caſtris mœnia dicta Rubris.
Hic demum aſſurgens, modicè contendit in altū,
Condita præcipiti quà ſtat in arce domus.
Et tacitum conclaue petit, qua pulchra ſolebat
Inter lanificas uirgo ſedere nurus.
Quæ tū fortè, uagas dum cætera turba per ædes
Sparſa, uacant rebus fœmina uirq; ſuis:
Sola ſedens tenui pulſabat pectine telam,
Falleret ut longas hac ratione moras.
Ergo nacta locum, & captato tempore, uultus
Exuit ambroſios, diſsimulatq; deam.
Et nota referens facie è popularibus unam,
Ante alias ſumma, quam colit illa, fide.
Cui ſua conſilia atq; arcanos credere ſenſus,
Et quidquid tacitum fortè habet, omne ſolet:
Sic exorſa refert: Ergo tu ſola per omne
Tempus perpetuo capta labore ſedes?
Nec uitæ, aut animo quidquam largiris amico?
Nec miſces curis ocia grata tuis?
Aut etiam illa moues, patriā quo coniuge tandē
Ipſa tua ſerues poſteritate domum?
En matura ſedes, iam plenis nubilis annis,
Sola domi uacuo uirgo relicta toro.
Nec teneros natos, Veneris nec præmia curas,

Nec

Nec quidquid thalamus dulce iugalis habet?
Perpetuóne igitur carpêris flore iuuentæ,
In ſpem tam claræ filia nata domus?
Nec te chara mouent uenerandæ nomina matris?
Nec de uiſceribus pignora nata tuis?
Sed uelut in ſterili quæ naſcitur arbor arena,
Stabis inutilibus deſpicienda comis?
At non eſt iſto fas quenquam uiuere pacto,
Nec geniti hac homines conditione ſumus.
Sed pater ille Deûm, qui magnum condidit orbẽ,
Qui noſtrum toto ſparſit in orbe genus,
Ducere legitimo uoluit nos fœdere uitam,
Quamlibet & proprium iuſsit habere uirum.
Addidit & certos, qui ſic ſociantur, honores,
Præmiaq́; & læti pignora connubij.
Mundus ut hac ſerie totum duraret in æuum,
Iret & in ſummos noſtra propago dies.
Quò decet æternæ te nunc ſubmittere legi,
Quodq́; ferunt aliæ, te quoq; ferre iugum.
Hoc poſcit genitor, ſeries hoc longa parentum,
Hoc Venus, hoc Charites, hoc pater ipſe Deũ.
Ac uelut ipſa tibi iam primis uſq; ſub annis,
Et rebus ſtudui ſemper adeſſe tuis:
Sic etiam hac tecũ iam pridem in parte laboro,
Et generum ſoceris, & tibi quæro uirum.
Atq; equidem mentis niſi me præſagia fallunt,
Hunc oculis ipſum iam tibi cerno meis,

Nõ procul hinc locus eſt,medio quà flumine Rhe
Celtica Germano ſeparat arua ſolo. (nus
Hîc ueteres olim fama eſt habitaſſe Nemetes,
Vallibus egreſſos Martia ſylua tuis.
Tempore quo ripam rex Ariouiſtus utramq́;,
Proximaq́; Heluetijs regna tenebat agris.
Vrbem ipſam Graio dixerunt nomine Spiram,
Caſtrorum ſedes ſeu fuit iſta uetus.
Siue alia eſt ratio,neq; cognita uocis origo,
Ceu malè multorum nomina tecta latent.
Huc deferre ſuas ſolita eſt Germania lites,
Hæc fora ſunt terræ publica Teutonicæ.
Hîc illos uideas,quos purpura ueſtit & aurum,
Qui legum nexus & uaga iura tenent.
Ad quos ex omni uenientes orbe clientes,
Quos uis,aut hominum noxia facta premunt.
Solliciti rerum quærunt reſponſa ſuarum,
Conſiliumq́; malis auxiliumq́; petunt.
Nec magis antiq̃s celebrata eſt Delphica Pytho,
Aut Claros,aut Lycij templa uetuſta dei:
Quàm terras hodie memoratur Spira per oẽs,
Qua ſol Eous lucet,& Heſperius.
Hîc igitur primos inter celebratur Adamus
Vir grauis,& magni pars memoranda fori.
Francica quem tellus Themari demiſit ab urbe,
VVernherum ueteri ſtirpe,domoq́; ſatum.
Primus qui patriam prouexit ad æthera gẽtem,
Addidit

Addidit & generi nomen, opesq; ſuo.
Maximus idem inter fratres Ianumq;, Petrumq;,
Partu quos triplici protulit una parens.
Protulit illa quidem, ſed fama parata labore,
Atq; idem ſtudij nobilitauit honos.
Namq; tibi ut breuibus repetã hæc ab origine di-
Notaq; ſit tantæ res tibi tota domus. (ctis,
Terra procul colitur ſyluis ſubiecta Toringis,
Vltima qua Franci clauditur ora ſoli.
Hanc ditione tenet, Latiæ qui ſigna columnæ,
Et factum à pullis nobile nomen habet.
Hic paruo in populo, ſed auita ſtirpe creatos
VVernheros celebrat fama uetuſta patres.
VVernheros quos cura ſoli, ſtudiumq; paterni,
Et pietas ſummos uexit ad uſq; polos.
Hórum è progenie, taliq; ab origine fratres,
Hos, modò quos dixi, Francica terra tulit.
Quos pueros olim patria de ſede profectos
Tres patria erudijt patruus unus ope.
Mox & doctrina & uarijs uirtutibus auctos,
Omnes Cæſarei miſit in arma fori.
Vir pius, & magna dum uixit laude celebris,
Nec fama à ſera nunc quoq; morte minor.
Dictus & ipſe quidem primæui uoce parentis,
Sed notus ſtudij nobiliore ſui.
Præcipuè ſummos hos inter adeptus honores,
Eloquio quorum pulpita rauca ſonant.

Hic ubi celſa Ducum ſurgunt pallatia Rheni,
Mœniaq; Aonidum ſtant operoſa ſacris.
Aſt illi ut ludos, atq; ocia longa ſcholarum
Ornati titulis deſeruêre nouis:
Protinus Imperij leges & caſtra ſecuti,
Pars etiam magnis addita Principibus,
Et decus, & ſummæ pepererunt nomina laudis,
Armaq;, & ingenuæ nobilitatis equos.
Ac uelut Eleo quondam certamine uictor
Palladia uinctus tempora fronde redit:
Sic illi in populo, uulgiq; per ora feruntur,
Armorum inſignes ijdem & honore togæ.
Deniq; ne nomen longo premeretur ab æuo,
Hoc quoq; perpetuum his Cæſar habere dedit.
Quodq; ſoli fuerat pridem commune paterni,
Id ſibi nunc propriũ gens Themarẽſis habet.
Hoc ſtudia, hoc uirtus, hoc uitæ geſta prioris,
Hoc operæ Auguſti promeruêre fori.
Illi igitur tanto, taliq; à ſanguine creto,
Inuaſit nuper parca maligna domum.
Conſortemq; tori eripuit, ſociamq; laborum,
Et matrem certis iam quoq; pignoribus.
Vangionum in populo natam, genitore Georgo,
Præſtanti quondam, munificoq; uiro.
Conſilio ciues, opibus dum fouit egenos,
Sprencelidum ueteris parsq; decusq; domus.
Annæ nomen erat, multis inſigne puellis,

Gratia quas formæ iungit, amorq́; uiris.
Sed neq; forma feras mouit, neq; gratia, Parcas,
Quum miſera ante diem prodita morte iacet.
Et nunc ille ſedens uiduo tectoq́;, toroq́;,
Mœret ut amiſſo Daulias ales Ity.
Prætoritiq; memor, ueteris ſolatia uitæ
Poſcit, & antiquæ fata priora domus.
Quare age, ſi mecum tua ſtet coniuncta uolũtas,
Et tibi idem placeat, quod mihi, conſilium:
Haud equidem certas dubitem promittere tedas,
Et tibi coniugij fœdera læta noui.
Hanc mihi multa uiri uirtus ſpem, curaq́; firmat,
Qua nunc affectam ſuſtinet ille domum.
Idq́; etiam optârint longæui uota parentis,
Id conſanguinei cætera turba tui.
Deniq; & ætherei facilis regnator Olympi,
His aderit cœptis, conſiliumq́; dabit.
Nec te nunc moueant alieni pignora lecti,
Aut ætas (ætas ſi tamen iſta) uiri.
Cui neq; adhuc ſparſis albeſcunt tempora canis,
Nec uitiat teneras prima ſenecta genas.
Hoc etenim maior uentura eſt gloria nuptæ,
Si uideâre minus commoda ſola ſequi.
Si miſeros natos alia de matre relictos
Suſcipias, curis erudiasq́; tuis.
Nam neq; ciuilis donantur præmia quercus,
Solum qui dextra ſe tegit ipſe ſua.

Sed qui uicini gladium à ceruice repellit,
Conciuemq́; ſua ſeruat ab hoſte manu.
Ac pater omnipotens generi benedicit eorum,
Pupillos opibus qui uiduasq́; iuuant.
Præcipites animi iuuenum, & mutabile pectus,
Et facile huc illuc, quo rapiuntur, eunt.
Ac ueluti medias nullo rectore per undas
Pellitur à quouis acta carina Noto:
Pectora ſic iuuenum partes uerſantur in omnes,
Dum ratio nondum, quæ regat illa, ſubeſt.
At ſtabilit mentes ætas, & pectora firmat,
Tunc quoq; iudicio conciliatur amor.
Deniq; non ſola eſt thalami ſpectanda uoluptas,
Atq; etiam curas res habet iſta ſuas.
A quibus immunis ſi uiuere ſola laboras,
Viuere communi conditione negas.
Et tamen ô quanto fato meliore laborat,
Alterius quiſquis parta labore capit?
Nā quibus hæc opibus quàm diuite ſorte fruetur,
In tantam ueniet quæ noua nupta domum?
Non illic gemmæ deſunt, non ueſtis & aurum,
Non quidquid pulchrum fœmina diues amat.
Aßiduo tepet igne focus, ſerieq́; perenni
Annua ſuppeditat uina, dapesq́;, penus.
Vix illam uincat (faueat Rhamnuſia dicto)
Semper quæ cornu ſtat dea plena nouo.
Huc adde ingenium placidū, moresq́; benignos,

Et

Et qualem fingat nupta pudica uirum.
Quæ ſi nulla mouent animũ tibi commoda tanta,
Nulla mouẽt animum commoda (crede) tuum.
Sed durũ eſt patriam, notaſq; relinquere terras,
Inquis, & hæc multas tangere cura ſolet.
At patria eſt, ubicũq; benè eſt: necq; uiuere dicas,
Vno qui tempus uiuit in omne loco.
Ac patria quoties aliæ quoq; iêre relicta,
Dum ſequitur thalamos fœmina quæq; ſuos.
Aſpice fraternas, totidem ſolatia, nuptas,
Quas eadem à patria ſors tenet iſta procul.
Quarum hæc deſeruit Tubaris cũ flumine ripas,
Vrſula Schantiadum progenerata domo.
Altera Furdericos inter nutrita penates,
Vrbs uetus à Mœno quã ſita nomen habet.
Ante uirum Salicas comitata eſt Anna per oras,
Vidit & in ſummo Francica caſtra iugo.
Hic ubi dux idem populi, templiq; ſacerdos
Suſtinet officio munus utrumq; pari.
Nunc eadem placido uiuit ſociata marito,
Cæſaris in magno, quã ſedet ille foro.
Nec tamen aut terras dolet hæc, aut illa relictas,
Nec queritur patria ſe procul eſſe domo.
Sed pariter gratæ, pariter cum coniuge iunctæ,
Sorte uiri gaudent utraq; læta ſui.
Deniq; ſi tanta eſt, cognatos cernere uultus,
Atq; aliqua patrios parte uidere lares.

Ecce tibi patruum, qui gente profectus eadem,
Iiſdem tecta locis nunc Ioachimus habet.
Quem modò tractantem doctarum ſacra ſororũ,
Dum canit Auſtriacum fortia facta Ducum.
Mox etiam pœnas memorãtem & præmia Diuæ,
Proxima quæ magno cum Ioue iuncta ſedet;
Briſiacis nuper reuocatum Cæſar ab oris,
Auguſto uoluit dicere iura foro.
Cuius tu faciem quoties atq; ora uidebis,
Et patriam uideas & patris ora licet.
Hæc effata, procul tenues euadit in auras,
Seq; Deam haud dubijs arguit eſſe notis.
Aſt illi ſubita preſſum formidine pectus,
Et tacita obſedit pallidus ora timor.
Et tela, & radij digitis cecidêre remiſsis,
Neſciaq; (attonitæ par) ſedet ipſa ſui.
Mox calidus poſtq̃ redit in ſua uiſcera ſanguis,
Atq; animum ſenſus pellit, ut antè, ſuus.
Ipſa Deæ ſecum dicta atq; audita reuoluens,
(Namq; deam certis iam tenet eſſe notis.)
Hactenus inſolito paulatim ardeſcit amore,
Et nondum uiſi carpitur igne uiri.
Ac uelut in clauſo luctatur fornice flamma,
Quam cinis iniectus, paruaq; teſta tegit:
Sic teneros animos intra nouus æſtuat ardor,
Quôq; magis premitur hôc magis ipſe furit.
Sed quid agat, prudens ne ſuos fateatur amores,

Et

Et uirgo, & tali filia nata domo?
Nempè uetat ratio, & generoſi cura pudoris,
Famaq́; non ullo crimine læſa prior.
Ergò ea dum tacitas intra ſua pectora flammas
Reprimit, atq; omni qua licet arte domat.
Ecce idem interea diuerſa in parte Deûm rex
Adiuuat, & cœptum promouet autor opus.
Namq; Dea impulſus nuper Themarēſis eadem,
(Huc quoq; enim ſumpto uenerat ore nouo)
Et genus, & mores, & uitam uirginis omnem,
Extulerat uerbis (à Ioue miſſa) ſuis.
Miſit, qui peterent ſolenni more puellam,
Præſtantes opibus, conſilioq; uiros.
Qui ſimul ac placido uultu inuenêre parentem,
Quæq́; petant, iuſsis expoſuêre modis.
Ille uolens animum charæ cognoſcere natæ,
Inſciaq́; ad curas corda parare nouas.
Huic laudes, famamq́; uiri narrauit, & artes,
Et iuxta ſocij iura, fidemq́; tori.
Quæ poſtquam accepit iam notū nomen Adami,
Atq; ea quæ præſens dixerat ante Dea,
Virgineo erubuit uultu ſuffuſa pudore,
Et lachrymis blandæ commaduêre genæ.
Mox animum reuocans, paulū formidine dēpta,
Verba facit, ſed & hæc miſta pudore tamen.
Atq; omnem prima repetens ab origine cauſam,
Sermonemq́; Deæ, uiſaq́; ſigna refert

Hinc placitum ſuperis non dedignata maritum,
Patris ſe totam tradidit arbitrio.
Ille igitur natæ poſtquam cognouit amorem,
Senſit & hæc ſuperûm numine cuncta geri,
Conuocat in medium notos, & ſanguine iunctos,
Conſilioq; horum iungit & ipſe ſuum.
Nec mora, ſolenni fiunt ſponſalia ritu,
Pactaq; dicuntur lege tenenda pari.
Atq; ita Mechtyldis Themarenſi nubit Adamo
Sanguine, iuridico, clara puella uiro.
Et nunc iſta dies tedæ ſacrata iugali,
Qua ueniat ſponſo ſponſa iuganda nouo.
Qua pueri te Hymenæe canant, ſociæq; puellæ,
Euincti teneras fronde uirente comas.
Perq; uiam longa ducentes agmina pompa,
Lætentur placido, fœmina uirq;, deo.
Quare ades, & thalami feſtos celebremus honores
Tẽpora purpureis uincta Thalia roſis.
Huc ades, & lætos imitemur uoce canentes,
Mixtaq; eant paribus carmina noſtra modis.
Dumq; alij in numerũ uiolas, & candida iactant
Lilia, tu uerſus ſparge Thalia nouos.
Omnis ut incepto præſtetur cultus amori,
Conditaq; auſpicijs lux eat iſta bonis.
At tu cui ſuperûm genitor ſic fauit, & orbam
Reſtituit fato proſperiore domum.
Cui pariter fama præſtans, atq; ore puella

Ducitur

Ducitur in thalamos, nupta futura, nouos.
Pronuba cui lætos inſtaurat Gratia lectos,
Et tenet accenſas Copia larga faces.
Diuinæ agnoſcas auram bonitatis, & illud
Quo frueris, ſummo numen honore colas.
Nec te decipiant uani ſine ſomnia mundi,
Nec te alio rerum, cura metuſue trahat.
Fœlices, thalamo quos Iuppiter æquus eodem
In ſummos uoluit conſenuiſſe dies.
Fœlices etiam, quibus idem ſorte benigna
Penſauit tædis fœdera rupta nouis.
At quibus in uiduo, ceu multos ſæpe uidemus,
Aut etiam ingrato uita trahenda toro,
Non illos ueniens lætus Sol aſpicit unquam,
Non illos, feſsis cum iuga ſoluit equis.
Quò magis amplecti decet hanc te pectore grato
Fortunam, & placidi munera noſſe Dei.
Ac uelut ille ſuo totum complectitur orbem
Numine, & hæc patrio cuncta fauore tegit.
Sic tu nunc thalami, ſic læti compos amoris,
Debes hæc animo dona fouere tuo.
Vtq; recens hominis quondam de corpore nati
Prodijt in lucem fœmina facta nouam:
Sic tibi legitimo iunctam modò fœdere lecti,
Dimidium debes eſſe putare tui.
Atq; ita perpetuo caſtæ moderamine uitæ
Muneribus Diuûm lætitiáq; frui.

Sed ſatis hæc fuerit ueſtrum monuiſſe Poetam,
Iamq; tenet portum feſſa carina ſuum.
Viuite concordes genitor quos ſummus ab alto
Fouit, & auſpicio iungit utrinq; pari.
Viuite, & hæc æuo producite tempora longo,
Veſtraq; eat multa prole beata domus.

EPITHALAMION ARNOLDI OBSOPOEI ET Euæ Reginæ.

LEgitimos iterum uerſu celebremus amores
Huc ades, & cœptis annue Muſa meis.
Annue, & alterno repetens ueſtigia greſſu,
Hæc mecum ſolitis carmina pange modis.
Nam decet, & paſsim teſtantur gaudia mentes,
Quas amor & pulchro concitat ore Venus.
Et ferit immenſas Hymenæus uocibus auras,
Dum peragunt lætos fœmina uirq; choros.
Aſpice, ut incenſis rutilant altaria flammis,
Frondibus ut uernant atria tota nouis.
Strata iacent teneris calcanda roſaria plantis,
Et pingunt nitidum gramina ſparſa ſolum.
Vndiq; læticia tellus fremit, undiq; plauſu,

Ingeminant feſtos arua, nemuſq; ſonos.
Ipſe etiam ſolito procedit clarior orbe
Phœbus, & auratis concutit ora comis.
Ergo ades, & tanti cauſas repetamus amoris,
Inq; ſuas redeant carmina noſtra uices.
Fortè celebrabant ſolennes ordine pompas
Cum pueris mixti, uirginibusq; uiri.
Et thyaſos longo ducentes agmine matres,
Pulſabant tenero compita læta pede.
Hîc ubi ſtant geminos parua inter mœnia colles,
Quos circum liquidis Nicer oberrat aquis.
Et iuxta ingenti ſurgunt ad ſidera mole
Clara Palatini tecta, domuſq; Ducis.
Ecce per immenſum delapſus ab æthere pennis
Ille ferox arcu, luminibuſq; puer.
Conſtitit in medio, qua celſo curia muro
Aſpicit aligero templa ſacrata Deo.
Et nunc uirgineos metitur lumine cœtus,
Nunc idem blando reſpicit ore uiros.
Scilicet è tanta ſi quem modò fortè caterua
Inueniat, telis quem petat ipſe ſuis.
Nec procul à primis, inq; ipſa fronte cohortis,
Cura Palatinæ cui data prima domus.
Publica quæ ſcriptis, priuataq; iura notando
Cuncta ſuo ſeruat clauſa ſub arbitrio.
Aſpicit inceſſu iuuenem, uultuq;: ſed arte
Et multa ingenij nobilitate ſenem.

Arnoldum læti quondam dixere parentes,
Nunc titulis gaudet, nominibusq; nouis.
Hunc Cuba progenuit piſcoſo conſita Rheno,
Vrbs uetus, & multis anteferenda fide.
Quæ quõdam inſultus Heßi cõtempſit, & arma,
Dum ſeruat domino debita iura ſuo.
Obſopia genitor natus de ſtirpe, ſuorum
Inferior nullo, aut conditione minor.
Præturam (Latio liceat ſi dicere uerbo)
In populo geßit tempora multa ſuo.
Ipſe puer primos poſtquam modò fecerat annos,
Artibus ingenuis deditus uſq; fuit.
E quibus & titulos, & magnos cepit honores,
Mox etiam tenero præfuit ipſe gregi.
Nec ſolum æquauit triuiales arte magiſtros,
Aut didicit tantum, qualia uulgus amat.
Sed bibit & ſacros latices Permeßidos undæ,
Senſit & Aoniæ numina, uimq; Deæ.
Hinc ubi prima nouæ uenit lanuginis ætas,
Tinxit & infectas iam noua barba genas.
Militiæ leges ſectatus, & arma togatæ,
Et Martem ambigui, iudiciumq; fori.
Hac quoq; legitimos opera quæſiuit honores,
Et texit trepidos tempora multa reos.
Donec ad Archiui curas aſſcitus & aulæ,
Mutauit ſtudijs facta priora nouis.
Hic ubi nunc magni pendens à principis ore

Sacra Palatinæ digerit acta domus.
Hunc igitur poſtq̄ conſpexit in agmine primo,
Qui facit exiguus uulnera magna puer.
Protinus hæc ſecum: Tanto ergo tempore ſolus
Nequicquam uires ſentiet ille meas?
Nec quid amor poßit, quid uincla iugalia lecti,
Nouerit, aut noſtrum perferet imperium?
Fruſtra igitur ſummos tetigêre hæc ſpicula diuos:
Fruſtra arcus metuit Iuppiter ipſe meos.
Vnus ſi iuuenis mortali matre creatus
Effugiat dextræ tela, facesq́; meæ.
Explicet hic humili leges & iura popello,
Imperet & toto qua licet uſq; foro.
Defendat trepidos cauſa uictrice clientes,
Vertat & à miſeris iudicis arma reis.
At non & noſtras uincet ferus ille ſagittas,
Aut ſolita accenſas reprimet arte faces.
Magnus erat uates, & caſus nouerat omnes
Quos ſecum ueniens ferret, Apollo, dies.
Nec tamen ille meos idem à ſe reppulit arcus,
Aemonio iacuit uictus amore Deus.
Rhetor erat toto notus Cyllenius orbe,
Et cantu, & ueteri clarus in arte lyræ:
Sed tamen hūc Chione captiuū traxit, & Herſe,
Suppoſuit noſtris colla premenda iugis.
Et nos hic ludat tantos impunè per annos,
Aut aliquid uires non putet eſſe meas?

Haud ita me ſummi genuit moderator Olympi,
Nec talem nouit me Venus alma ſuum.
Dixit, & plena promſit duo tela pharetra
Aurea, ſi memini cuſpis utriq; fuit.
Captatoq; loco, modicè qui ſurgit in altum,
Vnde oculis cœtum cernere utrunq; poteſt.
Conſtitit, & lento curuato poplite neruo,
Percuſsit ualida corda notata manu.
Aſt ille ut celeri ſenſit ſua uulnera motu,
Vidit & inſolitis ſaucia membra modis.
Attonitus primas ſtupefacto pectore flammas
Excipit, & lento, ſed tamen igne perit.
Mox ut amor tacitas penetrauit aduſq; medullas,
Et plena arſerunt interiora face.
Vertit in aduerſos flagrantia lumina cœtus,
Mixtas uirginibus quâ uidet ire nurus.
Dumq; oculis longæ circumſpicit agmina põpæ,
Carpit & obtutu proxima quæq; ſuo,
Hæſit in ingenuæ, captus uelut, ore puellæ,
Huius & in uultu lumina fixa tenet.
Et ſecum greſſus nunc contemplatur euntis,
Nigranteſq; oculos, purpureaſq; genas.
Nunc idem obſeruat niueæ ueſtigia plantæ,
Compoſitaſq; comas, multifidoſq; ſinus.
Deniq; quidquid habet quo ſe formoſa puella
Effert, hoc oculis perlegit omne ſuis.
Sed quantò ille magis perluſtrat ſingula uiſu,

Tantò

Tantò animo flammis interiore perit.
Non ſecus ac pleno ſi quando corripit arua
Flamma recens ſegetē, quā leuis aura mouet,
Illa quidem primo ſenſim trahit obuia motu,
Nec niſi quæ circum ſtant propiora metit.
Mox eadem ualido conceptis uiribus Auſtro
Vltima depaſcit lumine quæq; ſuo.
Quanquàm ſeu ratio, ſeu ſors hanc obtulit illi,
Non erat hæc ulli uirgo pudenda uiro.
Siue genus ſpectes, nomen, ſeriemq́; parentum,
Siue etiam mores, ingeniję́; decus.
Nam fuit huic genitor doctrina cultus & arte,
Atq; idem ingenuæ clarus honore togæ.
Illorum è numero qui longa ætate parentum
Dixêre Auguſto publica iura foro.
Hîc ubi Spira iacet gelido contermina Rheno,
Et minor in magnas Lutaris exit aquas.
Vir grauis & multa uirtutum laude celebris,
Et meritò regis nomina uoce gerens.
Ipſa inter reliquas ſuper una relicta ſorores,
Partu quas triplici ſuſtulit una parens.
Euæ nomē habens, hominum quo diua creatrix,
Atq; eadem coniunx prima, notata fuit.
Nicrinis uultu præſtabat & ore puellis,
Nec morum, aut animi dexteritate minor.
Quæ primo patrios inter nutrita penates,
Dum nondum matrem ſuſtulit atra dies,

Mox alia ex alia mutata ſede, ſororum
Vixit cum multa laude ſub imperio.
Donec ad hos uenit fatis properantibus annos,
Nuberet ut tanto ſponſa petita uiro.
Non magis ergò Pelops humero celebratus ebur-
Flagrauit flammis Hippodamia tuis. (no,
Nec magis Eueni, patrias dum ludit ad undas,
Filia te uultu torruit Ida ſuo:
Quàm modò conſpectæ facies, & forma puellæ,
Illius accendit lumine corda nouo.
Ardet amãs, quoq; ipſe magis moderatur amorẽ,
Hoc magis ille ferox, & ſine more furit.
At puer interea facibus ſuccinctus & arcu,
Vidit ut hæc telis uulnera facta ſuis,
Lætus ab euentu, & gaudens ſucceſſibus artis,
Virgineos tacito ſubnotat ore choros.
Quamq; tenet reliquã dextra moderante ſagittã
Dirigit, inq; ſinus conijcit Eua tuos.
Nec mora, conceptis ardeſcunt pectora flammis,
Ardet ut accenſo cum ſtat in igne rogus.
Et mox alternis agitati motibus ambo
Vt ferus ille prius, ſic furit iſta modò.
Haud aliter, uacuo cum ſurgunt nubila ponto,
Et ſpumant crebris cærula uerſa Notis.
Alterno circum pulſantur littora fluctu,
Inq; ulces rapitur mobilis unda ſuas.
Ergò cum tacitis flagrarent ignibus ambo,

Nec datur huic requies, nec datur ulla uiro,
Depoſuere metum tandem, flammasq́; fatentes
Hactenus inſolito corda dedere Deo.
Coniungiq́; pio gaudentes fœdere lecti,
Submiſere nouo colla liganda iugo.
Ac pater omnipotens teneros miſeratus amãtes,
Perpetua thalami iunxit utrumq́; fide.
Et nunc illa dies, cupido qua prima marito
Sponſa uenit tenerum compoſitura latus.
Gratantesq́; canunt, præeuntibus ordine tedis,
Mixtos cum precibus fœmina uirq́; iocos.
Quò decet & noſtras teſtari gaudia mentes,
Teq́; tibi ſolitas Muſa ſubire uices.
Dumq́; alij uiolas & amœna roſaria iactant,
In numerum uerſus te reſonare tuos.
Totus ut iſte dies, & qui naſcentur ab iſto,
Talibus auſpicijs conuenienter eant.
Inq́; nouas læto coeuntes omine tedas,
Læticia degant tempus in omne pari.
At tu cui faciles afflauit Iuppiter auras,
Cuiq́; tument placitis carbaſa plena Notis:
Principio ſuperum grato bonitate fruaris
Rectore, & hæc memori numina mente colas.
Quamq́; tibi caſto iunxit dea candida lecto,
Hanc reputes partem corporis eſſe tui.
Quò, uelut ille Pater, qui primus uixit in orbe,
Coniugis amplexus uiſcera chara ſuæ eſt:

Sic tu dilectæ potiaris amoribus Euæ,
Sitq́; eadem curæ ſumma modusq́; tuæ.
Hinc quoq; ſi qua tuas accendunt carmina mẽtes,
Et placet officio Pieris iſta ſuo.
Reſpice deſertas, quondam tua numina, Muſas,
Quaq́; potes, miſeras aſſere parte, loco.
Aſpicis ut longo uileſcant turpiter æuo,
Præſidijs orbæ, muneribusq́; ſuis.
Iamq́; Meduſæi deſerta fluminis unda,
Vaſta ſacris iaceant debita regna choris.
Atq; iterum ad ueteres inclinent omnia lemas,
Seu ſors, ſeu mouet hanc Parca maligna rotã.
Quare age nequa grauis nimiũ, aut nõ æqua po-
Has ſolita pellat de ſtatione, caue. (teſtas
Neue diu cultos nemorum, laticisq́; receſſus
Linquentes, miſeræ deuia rura petant.
Sed uelut ex alto, iactatis porrige dextram,
Et uelo feſſas, remigioq́; iuua.
Eſt tibi qui placidũ ſe præbet in omnia Princeps,
Princeps æthereo dignus honore coli.
Soſpite quo ueterum reuireſcit gloria regum,
Statq́; Palatinæ fama renata domus.
Quem ſi fata uirum ſeruant, ſi Iuppiter æquus
Prorogat in longas tempora læta dies,
Haud equidem dubitem, naſcentis ſæcula mundi,
Et primas hominum poſſe redire uices.
Incolumesq́; ſua manſuras ſede camœnas,

Præſidio

Præſidio tutas, numinibusq́; nouis.
Eſt tibi qui pendet de Principis ore ſupremus,
Vir pius, atq; animi dexteritate potens.
Cuius nec ſtudium deerit, neq; tota facultas,
Quà ualet ingenio, quà ualet eloquio:
Vindicet ut ſacras patria pietate ſorores,
Reſtituatq́; ſuo numina ſpreta loco.
Quorum præſidio, propria uirtuteq́; fretus,
Qua licet, affectas ſuſcipe parte, deas.
Nec ſine, ut inuidia peiorum ea dona premãtur,
Præſidio quorum regna Ducesq́; manent.
Sic tibi Dij faciles ſint, & tua uota ſecundent,
Acceleretq́; nouas pronuba Iuno faces.
Sic Venus & blando faueat tibi Gratia uultu,
Et lætum faciat te tua Vita patrem.

DOMINO ARNOLDO OBSOPOEO AD NVPTIAS I*terum celebrandas proficiſcenti* προπεμπτικόν.

SIC redit auricomus poſt triſtia nubila Phœbus,
Cùm pluuia terræ commaduere diu:
Sic poſtquam ſeuæ requierant frigora brumæ,

Affectum reparat mitior aura ſolum:
Nec fera perpetuo furit inclementia cœli,
Nec pelagi ſemper uerberat Eurus aquas.
Paſſus es infeſtas iam tempora longa procellas,
Paſſus es indignis triſtia multa modis.
Dum gemis ereptam properato funere natam,
Pignora quæ thalami prima fuêre tui.
Dum gemis amiſſum longæua ætate parentem,
Et procul hinc alio condita buſta ſolo.
Mox ſimili tenera ſpoliaris coniuge fato,
Inuida quam iuſtum mors tulit ante diem.
Tandem etiam patriæ ſortem miſeratus acerbã,
Principe dum tellus orba ſtat iſto ſuo.
Omnia quæ modico Lacheſis fera temporis æuo,
Obiecit domui damna ferenda tuæ.
At nunc in melius uertit Dea lubrica uultus,
Et rediit rebus lætior aura tuis.
Quosq; tibi uacuos non æqua ſorte penates
Deſtituit coniunx morte perempta prior:
Hos tibi nunc Dominus fatis melioribus augens,
Et thalamo, & nupta te beat, ecce, noua.
Ipſa quoq; amiſſo doluit quæ Principe tellus,
Succeſſore iterum ſubleuat ora nouo.
Succeſſore, diu quo uix, puto, amantior æqui,
Aut pietate pari notior alter erit.
Cuius opes ſacri non ultima fama Palati,
Tu quoq; parte tua, conſilioq; iuuas.

Perge

Perge igitur fœlix, tua quò fortuna uocat te,
Perge age, & oblatis utere, ſorte, bonis.
Quæq; Deus primo rerum fundauit ab ortu,
Et rata præcepit legibus eſſe ſuis,
Hæc ſequere, & Domini confiſus numine dextro,
Muneribus releua damna priora nouis.
Grata tibi pietas ſit, grata modeſtia uitæ,
Quiq; decet caſtos multus in ore pudor.
Inuitent anni, primoq; in flore iuuenta,
Inuitent animum cætera dona tuum.
Et genus & uirtus parte ex utraq; parentum,
Et patria amborum non ita iuncta procul.
Ipſum etiam puri ductum de nomine nomen
Candoris certum pondus habere puta.
Sic bonitas Agathæ, ſic gratia amabilis Annæ,
Et bona cenſetur nomine quæq; ſuo.
Hoc quoq; enim uerum eſt, imitātur noĩa mores,
Quodq; bonus dici gaudet, id eſſe uolet.
Quo fretus, reliquæ ſummam ſpe concipe uitæ,
Atq; animo ſubeant optima quæq; tuo.
Nec tu quæ ſtulti mirantur pectora uulgi,
Neúe ea quæ præſens aſpice mundus amat.
Nec te diuitiæ, nec auitæ ſtemmata gentis,
Nec formæ moueant nomina, neúe decus.
Forma bonũ fragile eſt, nec lõgos durat in annos
Vtq; roſæ ſpacio ſic perit illa breui.
Nec ſors hæredem, nec auorum fata ſequuntur,

Fortunæ expoſitū eſt quidquid auarus habet.
Optima dos uitæ probitas, moreſq́; pudici,
Et ſpecies meritò quæ ualet, illa ualet.
Cætera ſunt uani ludibria plæraq; mundi,
Ac ſubito quouis impete uicta ruunt.
Quare alij captent & opes, & inania regna,
Et ſpecioſa putent anteferenda bonis.
Attonitiſq; oculis uultus mirentur, & ora,
Et quidquid tenerum mollia corda rapit.
Tu Domino ſeruire para: tu munera uitæ,
Et thalami quæ ſunt commoda uera pete:
Præcipuè genus hoc uitæ placuiſſe tonanti,
Inde uſq; à primi temporis orbe puta.
Idq́; tibi caſus adhibe ſolamen in omnes,
Fortiter ut quidquid ſors feret, omne feras.
Nam pater omnipotens nuper tellure creata,
Cùm mortale noua conderet arte genus.
Aſpicit è gleba quem pridem fecerat uda,
Errantem tacito ſola per arua pede.
Et ſecum humanæ uerſans incommoda uitæ,
Eſſe hominem ſolum, durius, inquit, erit.
Quin ſociam uitæ facimus, ſociamq́; laborum,
Huius quæ curas, triſticiamq́; leuet.
Et ſeu læta ferat curſus fortuna ſecundos,
Seu triſtes, eadem ſit comes uſq; uiro.
Sic ait, & dulci ſparſo per membra ſopore,
Fuſus in herboſo dum iacet ille ſolo,

Ipſe

Ipſe nouo demptam tollit de corpore coſtam,
Vtq; hominis faciem ſumat, & ora iubet.
Nec mora, diuina producitur arte puella,
Tota decens uultu, corpore tota decens.
Qualis nec priſco laudata Semiramis æuo,
Nec fuit Argiuis tot repetita procis.
Hanc homini certo coniungit fœdere lecti,
Et uitæ ſociam totius eſſe iubet.
Et tolerare unà nullo diſcrimine rerum,
Seu bona fulgerent tempora, ſiue mala.
Atq; ita cœperunt ueteris connubia mundi
A ſummo quondam condita prima Deo.
A quibus inde genus noſtrum proceßit & ortus,
Quàm latè paßim terra fretumq; patent.
Adq; toros tanto ueniunt autore iugales,
Nunc quoq; ſolenni fœmina uirq; fide.
Quamuis non ſolum fuit hæc ſententia Patris,
Quo duce iuncta uiro fœmina prima fuit.
Quinetiam ipſa monent ſancti miracula Chriſti,
Quantus honos tedæ, gratia quanta tori.
Chriſti quem ueterum cecinerunt carmina uatũ
Non genito genitum de genitore Deum.
Vnus qui noſtræ deleret crimina uitæ,
Panderet & cœli primus ad aſtra uiam.
Namq; hic ter denos ubi iam cõpleuerat annos,
Nuper Iordanis flumine tinctus aquæ.
Tradere cùm populo Patris præcepta pararet,

Poſtpoſitaq; nouam lege docere fidem.
Fortè Canam uenit, Galilæia rura, uocatus
Ad tedas ſacra cum genitrice nouas.
Hic cum deficerent genialis pocula Bacchi,
Staret & epotis ſobria menſa ſcyphis.
Nate uides, inquit genitrix, ut dona Lyæi
Deſint, lætitiæ demptaq; cauſa uiris.
Reſpice quos caſti iunxit concordia lecti,
Atq; tua fretos nos bonitate iuua.
Qui prius ille ſuo fatus de tempore pauca,
Fontano impleri uaſa liquore iubet.
Sex poſitæ ſtabant undis luſtralibus urnæ,
Metretas capiens quælibet una duas.
Has ubi mananti complêrunt fonte miniſtri,
Et plenas illo conſtituêre loco.
Protinus ille ſuo, uiſu mirabile, nutu,
Vertit in optatum flumina nota merum.
Obſequitur natura Deo, uerſoq; ſapore,
Fit uinum, tenuis quæ modò fluxit aqua.
Hoc operum primum fecit tunc ille ſuorum,
Vim quibus aſſeruit numinis ipſe ſui.
Hoc idem ſacras decorauit munere tedas,
Vt uitæ è cunctis quod probet ipſe, genus.
Nec gemmas, aurumue dedit, Tyriasue lacernas,
Qualia ſecurum munera uulgus amat.
Nec ſponſo lati donauit iugera fundi,
Aut procul è niuea marmora uecta Paro.

Sed

Sed uini genitum uera de uite liquorem,
Læticiæ ante omnes qui dator eſſet opes.
Scilicet ut thalami ſociatos lege moneret,
Exigerent læta tempora pace data.
Triſticiamq; omnem uitæ, duroſq; labores
Solueret amborum iunctus amore torus.
Nam neq; ſic aurum, nec lucida gemma refulget,
Nata ſub Eois ſit licet illa plagis:
Ceu thalamo iunctos inter concordia fulget,
Mutua quam ſtabili uincit amore fides.
Præcipuè Domini ſi ſit coniuncta uoluntas,
Huius & illorum pectora tangat amor.
Tunc ô tunc facili ſuccedunt omnia curſu,
Dirigit & placidas aura ſecunda rates.
Quæq; uetus cecinit Solyma ſub rupe Propheta,
Vertice quâ ſacro ſurgit ad aſtra Sion.
Cùm uarias hominum celebraret carmine dotes,
Qui Dominum uera cum pietate colunt.
Cuncta ea proueniunt, Domino tribuēte, marito,
Cui rata concordi ſtat ſua pace domus.
Namq; uelut largos profert umbroſa racemos
Ante fores pingui conſita uitis humo:
Sic illi caſtis gaudens complexibus uxor
Ditabit multa prole beata domum.
Et uelut aſpectu gaudet naſcentis oliuæ,
Qui peragrat læti iugera culta ſoli:
Sic idem accumbens, dulces, ſua pignora, natos

Hærentes lateri cernet utrinq; ſuo.
Quos medios inter proprio quæſita labore
Carpet, & aſſueti fœnore uiuet agri.
Mox placida cum pace ſenex, feſſusq; dierum
Attollens longa lumina tarda mora.
Natorumq; uidens natos, paruosq; nepotes,
Gaudebit læta poſteritate domus.
Nec ferus hunc miles, nec abactor lædet Iberus,
Non premet hunc patriæ ſæua ruinæ ſuæ.
Nec procul horrebit uaſtantes omnia Turcas,
Nec feret ipſe ſua Martia tela manu.
Omnia ſed placida peraget ſua tempora pace,
Exiget & longos & ſine labe dies.
Dum patria incolumi, ſaluisq; penatibus illi
Admoueat ſeram Parca ſuprema manum.
Talia concordes expectant dona maritos,
Sic Dominus caſtos ſeruat, amatq; toros.
Fœlices igitur, fœlices terq; quaterq;,
Auſpice quos iunxit copula ſancta Deo.
Nec mala funeſtis ſoluit querimonia dictis,
Noxáue diuulſis ſeparat atra toris.
Antè diem ueniens q̃ claudit Parca ſupremum
Et ſuper iniecto condit utrumq; ſolo.
Quare age quæ Dominus primo ſanciuit ab æuo,
Cùm terras liquido cingeret Oceano.
Mox ſacer ipſe ſuo ſtabiliuit numine Natus,
Cùm uerſa in liquidum ſubſtitit unda merum.

Deniq; tanta quibus ſunt addita commoda uitæ,
Quanta licet uerſu nec numerare breui.
Hæc ſequere, & ſummi fretus bonitate parentis
Accipe quæ ueniens dat tibi cunq; dies.
Et tua uota ſimul, tua pectora crede uocato,
Omnis ut illius res eat auſpicijs.
Ille tuos thalamos moderetur, & omnia lecti,
Ille tuas ueniat pronubus ante faces.
Illius una manet certa atq; immota uoluntas,
Quam neq; uis uenti, nec domat ira maris.
Qua duce contēnes miſtos Aquilonibus Auſtros,
Qua duce nec metues fulmina, uimq; Iouis.
Perge modò, atq; auib. tua perfice cœpta ſecūdis,
Quiq; uocant ultro, carbaſa pande Notis.
Nec ſine diuerſum pudor aut metus abſtrahat, aut te
Vertat ab incœpto uis aliena tuo.
Sed Domino confide, bonus qui ritè uocanti
Ipſe aderit, curſus & reget ipſe tuos.
Atq; hæc alterno malè condita carmina uerſu
Mitto tibi, ô noſtræ pectus amicitiæ.
Tu precor officium ueteris ne ſperne poetæ,
Quaq; potes Muſas parte tuere bonas.
Sic pater omnipotens tua numine uota ſecundet,
Et placido accipiat te tua ſponſa ſinu.
Sic tua lanificæ producant ſtamina Parcæ,
Et glomerent fuſis tempora longa ſuis.

ELEGIA IN NVPTIAS DOMINI SEBASTIANI MEICHSneri Iuris V. Doctoris, &c.

CVltor et interpres Latij nō ultime Iuris,
Inq; Palatino pars memoranda foro.
Cuius in hoc uerſu prohibet me ponere nomen,
Inter productas ſyllaba clauſa breuis.
Quæ tibi Troglarctus miſit modò carmina uidi,
Et placet ingenui Muſa laborq; uiri.
Quem pariter ſuperi, pariter uis mentis honeſtæ
Excitat, ut caſtos laudet, ametq; toros.
Hos puto, quos ſummi commendāt iuſſa tonātis,
Mutuaq; alterno iungit amore fides.
Ergo etiam illa tui conſors dulciſſima lecti
Pieridum poſthac uoce ſuperſtes erit.
Atq; domus læti celebris cognomine fundi,
Ibit doctorum fama per ora uirûm.
Exórnata, quibus tu præſtas laudibus, & te
Vſq; ſub excelſos, auſpice, uecta polos.
Vtq; prius placitæ gauiſa eſt nomine fagi,
Sub cuius iacuit tegmine tuta diu.
Sic illi nitido poſthac precioſius auro
Deductum Auguſti nomine nomen erit.
Fœlices igitur quos copula ſancta ligauit,
Fœlices iuncti fœmina uirq; toro.

Det

Det Deus, ut ueſtrum multos ſeruetur in annos
Connubium, & toto tempore duret amor.
Det Deus, ut multa locupletem prole parentem
Te uideat longa poſteritate domus.
Vtq; ſuas inter lætatur Pampinus uuas,
Quàm latè ſparſos palmes inumbrat agros:
Sic natos inter natorum ſedula mater
Aſpiciat thalami pignora læta ſui.
Quæ tandem uobis actæ poſt tempora uitæ
Impoſita claudant lumina feſſa manu.
Et cum iam cineres poſita condentur in urna,
Et ſuper iniecta buſta tegentur humo:
Extremum gemino dicant ſaluere parenti,
Et crebra amborum nomina uoce ſonent.
Atq; hæc implicitus non æquis undiq; curis,
Dum premor, inſuetum ſuſtineoq; iugum.
Aduerſa, fateor, ſcripſi tibi pauca Minerua,
Dum capiunt animos facta aliena meos.
Dum uocor à ſolitis retro per deuia Muſis,
Et refugit cœptos ſyllaba pesq; modos.
Quò licet ignoſcas, & dum tibi plura nequimus,
Hæc capias placida carmina pauca manu.
Nam nimis hæc noſtra eſt uera excuſatio: multũ
Nos uoluiſſe quidem, ſed potuiſſe parum.
Quanq̃ ſi uetus eſt, eadem & tua nota uoluntas,
Hæc tibi pro multis pauca placere ſines.

FINIS libri Secundi.

Iacobi Micylli

SYLVARVM LIBER TERTIVS.

PHILIPPVS MELANCHTHON IVSTINIANO AB *Holtzhauſen* S. D.

CVM Micyllus, pro amicitia quæ ei mecum iam uetus eſt, Hodœporicon ſuum mihi uidendum miſiſſet, legiſſentque id unà mecum aliquot ſtudioſi amici noſtri, ſumma cum uoluptate, nemo fuit omnium, qui non ſæpius relegere ut poſſet, deſcribi atque in publicum emitti flagitaret. Nam ut oculi nũquam ſic explentur in excellentibus picturis ſpectandis, ut nõ, quoties in eas incidimus, reſiſtamus, & in earum contemplatione hæreamus: ita nunquam obrepere ſatietas boni

boni carminis legendi poteſt. Quanquàm autem ob eam cauſam Micyllus non miſerat, tamen neq; mihi tot amicorum ſententijs, qui flagitabant editionem, aduerſari integrum fuit: & carmē eiuſmodi uidebatur, quod, ut uerecundè dicam, non ſine magna uoluptate docti homines lecturi eſſent. Et cum his miſeris temporibus ſtudia Muſarum paſsim conticeſcāt, putaui etiam ad exemplum pertinere, ſi multa huius generis ſcripta ederentur, ut aliorum ſtudia languentia commouerentur, excitarenturque. Trahūtur enim animi hominum cōmoniti aliorum exemplis, ad ſimilia ſtudia colēda, ut ſignificat Heſiodus cū ait, Ζηλοῖ δέ τε γείτονα γείτων. Proinde libēter tradidi chalcographis hoc poema tranſcribendum, non modò ut amicis morem gererem, ſed etiā, quia eius lectionem profuturam ſtudioſis iuuenibus exiſtimabam, quos hoc diligētius poema legere oportet,

quia meò iudicio, nemo tolerabiliter ſolutam orationem ſcribet unquam, qui non multum operę in poëtarum lectionem collocârit. Tibi autē Iuſtiniane potiſsimum dedicare hunc libellum uolui, nō tam, ut memoriam mei & iucundiſsimæ cōſuetudinis noſtræ renouarem, quàm ut, quoniā Micylli ſtudia ad urbis ueſtræ laudē pertinēt, te hortarer, ut eum òmni genere officij colendum duceres. Nam ut hoc omittam, inprimis magnū urbis ueſtræ ornamentū eſſe talem uirum, cuius monumētis etiam ad poſteros urbs ueſtra clarior futura eſt; illud quanti fieri debet, quòd ad id genus ſtudiorum ciues ueſtros aſſuefacit, ex quo uno humanitas & uirtus nata eſt, qua in re de ciuitate ueſtra optimè mereri iudicandus eſt. Multi fortaſſe tibicinem aut præconem in urbe pluris æſtimant, quia uulgus neq; literarum utilitatem, neq; humanitatis aut uirtutis uim perſpicit. Eò magis prudentes

dentes uiri tueri literarum ſtudia ad‑
uerſum iniqua imperitorum iudicia
debent, idq́ fecit hactenus ſumma cō
ſtantia uir ſapientiſsimus pater tuus,
qui, cum ipſe ad rempub. adminiſtrā‑
dam non uulgarem ſcientiam litera‑
rum attuliſſet, uidit ad ciuitates regē‑
das tenenda iudicia, ad conſeruandas
leges ac religiones, inprimis neceſſari
am eſſe literarum cognitionem. Itaq́
ſumma fide eos, qui apud uos ſtudia
ciuium excitabant, defendendos ſuſ‑
cepit, quæ res tātum laudis meretur,
ut nullis profecto iuſtius ſeruatarum
ciuitatum tituli, nullis coronæ recti‑
us ciuicæ decerni queant, quàm qui
efficiunt ut in urbibus literæ floreant
& propagētur. Habes igitur Iuſtinia‑
ne domeſticum & paternum exem
plum, cuius non licet tibi iam diſsimi
lem eſſe. Quanquàm cum ipſe lite‑
ras non ignores, exiſtimo te non du‑
bitare, quin ad boni ciuis officium
pertineat, ſumma illas ope iuuare ac

defendere. Eſt autem Micylli nõ tan-
tum eruditio digna fauore, ſed mo-
res etiam ſic ſunt amabiles, ut ornare
eruditionẽ queãt. Quorũdam mores
officiũt exiſtimationi literarũ: at Mi-
cylli modeſtia & diligentia in omni
genere multo cariores reddere lite-
ras omnibus bonis uiris poteſt. Præ-
claré igitur facies, ſi quàm familiariſ-
ſimè doctiſsimum hominem com-
plexus fueris. Nec erit inhoneſtum ti-
bi uti poetarum amicitia, cum in Sci-
pionis & Catonis, & multorum alio-
rum ſummorum uirorum laudibus
hæc quoque connumeretur, quòd
doctorum & poetarum con-
ſuetudine uſi ſint.
Vale.

HODOE-

HODOEPORICON
IACOBI MICYLLI.

FORtunamq; uiæ quæris, tempusq; Philippe,
Qualibus & uentis noſtra ſit uſa ratis.
Non ego ſum tanti, nec tali dignus honore,
Vt referat nugas Pieris ulla meas.
Nec mihi tam demens innata ſuperbia, nolit
Quæ mea perpetua nomina nocte premi.
Attamen iſta uiris ſoluenda eſt gratia doctis,
Qui pars incepti magna fuêre mei.
Nec merito quiſquam fraudari nomine debet,
Si qua uenit meritis gloria, digna uenit.
Ipſe pater ſtolidi Phæacum prandia regis
Hortorumq; leues laudat, Homerus, opes.
Et nos ſi doctos uerſu celebremus amicos,
Inueniat nullam noſtra Thalia fidem?
Quare, age, principium noſtri, finemq; laboris
Accipe, ut arbitrio ſtent mea facta tuo.
Abs te cùm gelidum digreſſi liquimus Albim,
Et pars inceptæ quanta peracta uiæ eſt.
Mutauit liquidas ferus illicò Iuppiter auras,
Et cœlum fuſcis nubibus omne tegit.

Structa ſolo, tenuis ſtant urbis tecta, paluſtri,
Parua quidem, ueſtris ſed tamen apta iocis.
Quò ſe ferre ſolet ſtudijs defeſſa iuuentus,
Si qua cupit curas exonerare graues.
Aut cum, qui patrios repetit, deducitur agros,
Quo capiat primæ ſigna ſecunda uiæ.
Ceu quoq; tūc noſtros comitata eſt ſedula greſſus
Illa cohors ueteris teſtis amicitiæ.
Vlterius ſylua eſt, cui uulgo nomen Ericæ,
Saxonas à Myſo diuidit illa ſolo.
Huc ſimul ac uētum eſt, nos ingens obruit imber
Aduerſo madidi pulſus ab orbe Noti.
Fit ſonitus ſyluis, crepitantq́; cadentibus undis:
Et grauibus tellus ima fatiſcit aquis.
Nec modus apparet, ſed nubila plura liqueſcūt,
Inq́; magis cœlum ſoluitur inq́; magis.
Aeolus inſanos antris emiſerat Auſtros,
Hi cauſam pluuiæ materiamq́; dabant.
Nuſquam diuerti, nuſquam fugiſſe licebat,
Quacunq; aſpiceres uentus & imber erant.
Ipſe etiam ſaltus decuſſus duplicat undas,
Et Iouis exhauſti ſuſcipit ille uicem.
Dixiſſes iterum periturum fluctibus orbem,
Tempora ſic, credo, Deucalionis erant.
Nos humiles animæ pluuiaq́; geluq́; rigentes
Nequicquam obijcimus facta maligna Ioui.
Ac patimur tota contraria ſidera luce,

Donec

Donec anhelantes ſol religauit equos.
Sub noctem hoſpitio madidos Dybena recepit,
Haud equidem lauto, ſed tamen hoſpitio.
Hic primum uarijs cœpi mœroribus angi,
Hei mihi, qualis in hoc pectore torpor erat.
Cùm triſtes abitus repeto, ſociosq; relictos,
Quodq; mea uita, te, cariturus eram.
Ac ueluti tenero mœret ſpoliata iuuenco
Quæ iacet in ripis bucula Rhene tuis.
Nec, quamuis ſera, curat decedere nocte,
Pabula nec carpit, nec leuat ore ſitim.
Sic mihi tūc grauido neq; pocula ſumpta dolore,
Nec ſumptus potuit corda leuare cibus.
Sed tacitus ſedeo, tacitus mea fata reuoluo,
Quæ rebus ueniunt ſemper acerba meis.
Crebraq; per uarios duco ſuſpiria luctus,
Imaq; pertingens occupat oſſa dolor.
Donec languentes agitanti pectore curas
Humidus oppreſſit lumina feſſa ſopor.
Hoc mihi prima dies exacta eſt omine, cuius
Altera pars imbres, altera mœror erat.
Poſtera iungebat roſeos aurora iugales,
Cumq; noua rutilat purior aura die.
Surgimus, & poſito properamus cœpta ſopore,
Atq; alacres facimus lata per arua uiam.
Retrò abeunt ſyluæ, retrò Dybena, fugitq;
Conſueta immenſis creſcere Mulda uadis.

N

Oppoſita campi cernuntur parte iacentes,
Atq; arces circum, nobiliumq́; domus.
Iam medium Phœbus curſu tendebat ad axem,
Curſus cùm noſter penè peractus erat.
Ecce procul celſas oſtendit Lipſia turres,
Structaq́; ſolerti mœnia lata manu.
Hanc ego quò propius uidi, propiusq́; ſubiui,
Obſtupui miris hòc magis ipſe modis.
Hinc auro latè fulgebant omnia fuluo,
Illinc tangebant culmina ſumma polos.
Limina ſpirabant tanquam de marmore ducta
Siue Cyarſte tuo, Tænare ſiue tuo.
Pictaq́; priſcorum referebant atria luſus
Antiopæ Satyros, & Ganymedis aues.
Raptamq́; Inachidem, mētitumq́; Amphitryonæ,
Muneraq́; anguſtum fuſa per impluuium.
Et quæcunq; ſolent oculos retinere ſtupentes,
Pingebant altas ludicra mille domos.
Ventum erat in mediã qua ſemita panditur urbē,
Qua cingunt latum regia tecta forum.
Hìc uero omniiugas ſpectaſſes ordine merces,
Quas uel habet Ganges, quas uel Iberus habet.
Fortè dies aderãt, quibus undiq; multa quotãnis
Confluit, & uarias turba reportat opes.
Ordinibus ſtabant conſtructa mapalia ſeptem,
Quam patet ad fines area longa ſuos.
Hac proſtant fuſco conchylia capta Canopo,

Parte

Parte alia Tyriæ, Puniceæq́; togæ.
Hac piper & molli ſpirantia Cynnama ligno,
Vectaq́; per longum thura Sabæa fretum.
Hac caſia, et frutices Arabum, & Cinyrheia myr
Solaq́; Iudæo balſama nata ſolo. (rha,
Memnoniæq́; grues, & priſci Sylphia Batti,
Monſtraq́; ſub ſtagnis edita Niliacis.
Quò non aggreditur, quid non amor audet habẽ
Quidúe intentatum dira cupido ſinit? (di?
Perfodimus terras, manes penetramus ad imos,
Penè etiam Stygijs bella mouemus aquis.
Non nos undoſi mouet inclementia Ponti,
Nullaq́; Symplegas, nullaq́; Scylla tenet.
Non iras Boreæ, ſæuumq́; timeſcimus Auſtrum,
Inſani ferimur qua uia cunq; patet.
Quinetiam, niſi fata negent, nec ſidera tuta,
Tutaq́; nec coniunx regia Iuno foret.
Omnia tentamus, contendimus ultima quæq;,
Tanta fames cæcos, tanta cupido trahit.
At non Saturni fiebant talia ſæclo,
Hæc mala creuerunt cum Iouis imperio.
Ille etiam morbos genuit, triſtemq́; ſenectam,
Et longas hyemes, horrificumq́; gelu.
Ille truces gladios reperit, tormentaq́; dira,
Commiſitq́; auidas primus ad arma manus.
Ille ſecurigeros inuenit primus honores,
Et latos clauos, patriciasq́; togas.

Idem diuitias imæ tellure refoſſas,
Cauſam bellorum materiamq́; dedit.
Sed nos dum poſitis ſpectamus ſingula curis,
Defunctus curſu claudit Apollo diem.
Flectimus hinc greſſus, & ad hoſpita tecta redi-
Soluitur hic dulci nox animusq́; mero. (mus,
Proxima lux iterum roſeo proceſſerat ortu,
Aureus immenſum ſol relegebat iter.
At nō noſter equus, nō debita plauſtra regūtur,
Nec facimus cœptæ munera cœpta uiæ.
Vecturæ ſiquidem dum ſpes deludit hiantes,
Lipſia tres totos nos tenet una dies.
Quanq̃ ea tū curſus pulchrè eſt iactura reſarta,
Et rediit magno fœnore parua mora.
Nam poſt Octobres quæ lux erat altera Nonas,
Quartaq́; quàm ueſtri liquimus arua ſoli.
Hac nos accepit lautis epulisq́;, iocisq́;,
Huguicus priſcis clarus imaginibus.
Ille tibi ſtudiis per multos cognitus annos,
Et quondam ueſtræ pars quota amicitiæ.
Hic tibi quid memorē luxus, & ſplendida regna?
Omnia mundicies, omnia cultus erat.
Sublimi ſtabat quoddam conclaue receſſu,
Qua domus obiectas aſpicit alta uias.
Hic poſtq̃ decimam properās ſol fecerat umbrā,
Axeq́; ſub medio iam peragebat iter,
Conueniunt, quotquot ſeruârat Lipſia doctos,
Quiſquis

Quiſquis ut à ueteri clade ſuperſtes erat.
Hîc aderat proles clariſſima Carolouici:
Fata ſinant, gentis fama futura ſuæ.
Hîc alij quorum non ſunt mihi nomina nota,
Sed dicta & mores tunc placuere boni.
Quos inter medius tanquam formoſus Apollo
Ducebas doctum Comitiane chorum.
Iamq́; ſalutatos exceperat hoſpes amicos,
Collocat & pictis ordine quenq; toris.
Depromunt famuli, ſculptis ſplendentia gemmis,
Atq; implent ueteris pocula magna meri.
Expediunt alij Cererem, repetitaq́; longo
Ponitur omniiugis ordine menſa cibis.
Hîc primum Aeſopi patinas agnoſcere cœpi,
Et quales petulans dux Cleopatra dedit.
Credere ſi libeat, uel ſi componere dignum eſt,
Aeſopi menſis non minor iſta fuit.
Sic epulis lectis, uario ſic omnia cultu
Splendebant, luxus regius omnis erat.
Vt citius, cunctas quàm poſſim dicere formas,
Deficiant noſtros uerba diesq́; modos.
Sedimus, & fixo mirantibus omnia uultu,
E multis, dubium, quid peteremus erat.
Ipſe ego nec menſæ tendebam brachia, nec me
Carpentem quiſquam uina, dapesúe uidet.
Sed mihi neſcio quò rapit admiratio mentem,
Quæ mihi pro noſtro nomine ſæpe uenit.

Donec ab extrema quidam mihi parte coortus,
Hoſpes an ille fuit neſcio, credo fuit.
Immenſum tollens gemmis auroq; reuinctum,
Salue ait, & pleno præbibit ore, ſcyphum.
Siue quòd is noſtrum perſpexerat antè pudorē,
Seu quia tum præſens fortè ſubibat opus.
Ille etiam dictis ibi nos hortatur amicis,
Atq; hilares animo præcipit eſſe bono,
Et iubet à reliquis alienos ducere curis
Tempora, & admoto corda leuare mero.
Sic inuitati placidis ſermonibus illam
Lipſiacas lucem degimus inter opes.
Quæ ſimul atq; abijt, poſitiſq; aurora tenebris
Altera purpureas ſuſtulit orta comas:
Heu malè fruſtrati, dum nos auriga ſedentes
Deluſit, pedibus cœpimus ire uiam.
Ille dies parui cuiuſdam ad mœnia caſtri
Nos tulit, huic lucrum nomina parua dedit.
Hic etiam præter quàm quòd cœnauimus ægrè,
Iurgia potorum nos cubuiſſe uetant.
Sexta inde Octobres quæ lux numeratur ad Idus
Prodit, & incœptas pergimus ire uias.
Atq; hinc digreſſis, niuea cui nomen ab arce eſt,
Cernitur urbs, digno Principe, digna domus.
Quam propè tum media defeſſi luce ſubimus,
Et ſumpto colimus languida membra cibo.
Iamq; iterum occiduas cū ſol remearet ad undas,

Nos

Neupyrgi ambuſtas ſcandimus inde domus.
Fama eſt hanc quondam tectis fulſiſſe ſuperbis,
Atq; urbem ueterum cuiq; fuiſſe parem.
Dum fortuna fuit, nec dum Deus ætheris altus
Iratus ſæuas intulit ipſe faces.
At nunc relliquias ueteris ſpectare ruinæ,
Et flammis etiam nunc nigra tecta licet.
Huc igitur poſtquam ſub noctis uenimus umbras,
Accepit lauta nos bonus hoſpes ope.
Non deêrat uinum Rhenano colle profectum,
Non Francũ, aut patriæ quod dedit uua Salæ.
Præterea paucis ſpectata cibaria menſis,
Et quidquid feſſos exhilarare ſolet.
Fors etiam numero conuiuas obtulit æquo,
Atq; animi grata dexteritate pares.
Sic poſiti noctis multas exegimus horas,
Penſamusq; mero tædia longa uiæ.
Proxima purpureos iungens aurora iugales
Exit, & è ſummis lux uenit orta iugis.
Linquimus excuſſo plumata cubilia ſomno,
Carpimus & cœptum quà uia ducit iter.
Nõ procul hinc ueteris remanẽt ueſtigia Portæ,
Templo nomen id eſt: terra propinqua Salæ.
Has olim ſedes Muſæ, pietasq; colebant,
Præmia dum ſtudijs iuſta fuere bonis.
Nunc malè, neſcio quæ, fratres ignauia tentat,
Ingenuas artes quos dediciſſe pudet.

Ocia qui caſtis præponunt turpia Muſis,
Et miſcent quæſtu ſacra, profana, nouo.
Heu quò prouehimur, quãtum mutamur ab illis,
Hæc loca qui ſtudijs conſtituere pijs?
Qui uoluere rudes animos, & corda iuuentæ
Excoli, & à ſtrepitu plebis abeſſe procul.
Hîc ubi nunc equitũ turmæ ſtabulantur, & inter
Quæſitas Domino luxuriantur opes.
At non hac Paulus, non hac Antonius arte
Quærebant uitæ tempora tuta ſuæ.
Corpore qui duros ſoliti tolerare labores,
Sæpè tulere ſitim, ſæpè tulere famem.
Illi etiam Stygijs conſtanti robore monſtris
Tuti corda Deo, conſeruere manus.
At nos quid facimus? qui longum ducimus æuum
Nequicquam, ingrati pondus inane ſoli.
Ergò etiam meriti luimus mala noſtra, Deoq́;
Has tali pœnas pro pietate damus.
Forſan & illa dies ueniet, cum funditus omnis
Religio, & ſuperûm concidet iſte metus.
Atq; aliquis ſpectans deſerti culmina tecti
Ridebit ueterum uana miniſteria.
Has igitur greſſu poſtquam ſuperauimus oras,
Iamq́; tenet medio Phœbus in axe uiam,
Rara ſub anguſta ſpectamus mœnia ualle,
Vrbs à præfracto nomina monte tenet.
Hîc poſitis feſſi captamus prandia rebus,

Quaq́;

Quaq́; licet, ſolita membra leuamus ope.
Hic etiam acceßit Leuca prognatus ab urbe,
Ille meæ factus parsq́; comesq́; uiæ.
Idem qui caſus mecum mox pertulit omnes,
Dum iuga ſyluoſi ſcandimus Herciniȷ.
Ergò ubi ad occiduos Sol iã properabat Iberos,
Oceani liquidas mox obiturus aquas.
Inde Budelſtadium, paruam deuenimus urbem,
Sed gratam feßis hoſpitis officio.
Namq; erat hoc totis nemo ſtudioſior oris
Rerum, quas uulgus pro pietate facit.
Acriter inſurgens ſi propugnare Lutherum,
Aut ſolam, uelles, omnia poſſe fidem.
Aut ſi poſthabita monachorum cœlibe uita,
Connubio iungi non paterêre greges.
Non ſecus ac ſi quod parum honeſtũ eſt, utile dicas,
Zenonis pueri protinus arma mouent.
Præcipuè tunc nullus erat clamore ſecundus,
Cùm uanas hominum tenderet eſſe uias.
Aut precium ueteris rideret pingue cuculli,
Factaq; nodoſo cingula funiculo.
Si ſineres uiciſſe uirum, largißimus unus
Non ceſſante dabat uina dapesq́; manu.
Atq; id nos longa iam conſuetudine docti
Hoſpitis hac uſi commoditate ſumus.
Tempora ſed rediens poſtq̃ radiantia Phœbus
Protulit, & planos umbra reliquit agros.

Et iam quarta dies Octobres tendit ad Idus,
Octaua à cœpta denumerata uia:
Hîc tandem celſas Erphurdia nobilis arces
Spectandas lætis, hoſpitiumq́; dedit.
Salue non ullis urbs poſtponenda uetuſtis,
Muneribus ſortis, muneribusq́; loci.
Saluete ô dulces, quondam mea tecta, penates,
Muſarum & ſtudij conſcia tecta mei.
Vnde ego nũc laudum perſoluam præmia uobis,
Quoúe modo gratus munera ueſtra canam?
Nam tibi, ſeu fluuijs gaudes Erphurdia uiuis,
Non aret ſiccis flauus Hiera uadis.
Siue placent uirides cliui, nemorumq́; receſſus;
Et nemora & colles, & tibi prata uirent.
Non ſeges in ſterili moriens decumbit arena,
Sed plena flauent horrea meſſe tua.
Non deſunt uites, non dulcis conſitor uuæ,
Et tua plebs Francis proxima uina bibit.
Hæc tibi ſors, Geniusq́; loci, & natura dedêre,
At quanta à ſuperis, quot meliora refers?
Nam quò ſtat reliquis Muſarum gloria maior,
Et quantò eſt ſtudij gloria maior opum,
Tantò plus alijs famæ, laudumq́; mereris,
Quæ culta es ſtudijs tempora tanta bonis.
Quæq́; frequentata es per tot iam ſæcula doctis,
Nunc etiam caſtis relligione uiris.
Vt taceam priſcos mores, cultumq́; uirilem,
Pectora

Pectoraq; eneruis neſcia luxuriæ.
Fœlix ante alias, ſi dent pia numina, rerum
Poßis ut ſtabili proſperitate frui.
Atq; huc ut uentum eſt, mox conuenêre ſodales,
Relliquiæ ueteris, nomina nota, ſcholæ.
Vrbanus, Noſſenus, Aperbachus, Megobachus,
Cumq; Gerungeno pars mea magna Procus.
Et quondam princeps Heſſus ſtudijq; ſcholæq;,
Heſſus qui uatum dona tot unus habet.
Qui ſolet Ionio dignum cantare poetæ,
Atq; eadem ueſtris Coe Phyleta modis.
Interdum & citharas plectro reſonare iocoſas,
Atq; Venuſina ludere digna chely.
Libera cui ſurgit tantis quoq; proſa figuris,
Dicendo ut poßit Craße placere tibi.
Et poßit dignus priſcis orator haberi
Iudicijs, ſi non eſſe poeta uelit.
Adde ſub antiquis ducibus quæ geſta leguntur,
Seu Romane tuis, Græcia ſiue tuis.
Et rerum motus, curſus, cauſaſq; uiceſq;,
Omnia ceu digitos quæ tenet ille ſuos.
Vt quaſcunq; tenet ſtudiorum circulus artes,
Huic merito cunctas dixeris eſſe uiro.
Accedunt animi candor, uultuſq; benigni,
Et grauitas nullo iuncta ſupercilio.
His igitur tantis ornatus dotibus ultrò
Venit, & alloquio nos petit ipſe ſuo.

Ac primum ueteres, inquit, ſaluete ſodales,
Partim ignota cohors, ſed mihi grata tamen.
(Nam neq; Leucaten prius, aut te Micale nôrat:
Nec uos ante iſtos uiderat ille dies.)
Hortatusq; ſuis placidè ſuccedere tectis,
Et ſecum menſis hoſpitioq; frui.
Deinde rogans cauſas ueniendi, Sydera, dixit,
Sic ſuperi uobis omnia fauſta regant.
Sic quando incolumes noſtras uenistis ad oras,
Fortunent reliquam numina grata uiam.
Dicite, quis curſus, quæ ſtat fortuna Philippo?
An ualet, & ſeruant hoc mihi fata caput?
Hei mihi quàm cuperē multo prius ipſe perire,
Et prior extremum poſſe ſubire diem.
Si redimenda foret pacto uita illius iſto,
Aut necis auerti uis truculenta queat.
Nam neq; deinde dabunt, nec fata dedêre priora
Teutonico maius lumen habere ſolo.
Omnia qui miro diuorum munera pacto
Addita naturæ dotibus unus habet.
Hæc ait, atq; alia his etiam maiora, ſed iſta
Ne quid in os coràm, prætereunda puto.
Nos quoq; rettulimus, quæ res tempusq; ferebāt,
Aſpectu læti colloquioq; uirûm.
Sicq; illum exigimus ſolem, geminosq; ſequentes:
Grata fuit tota plus mora nulla uia.
Vnà aderant Chriſti qui tum mandata docebant,
Qui

Qui formant hominum pectora, facta, fidem.
Langius Aonidum comes, & Coliſamius acer,
Et tu fortunæ debite Muſa iocis.
Accipimur paßim factis uerbisq́; benignè,
Et nobis hoſpes quilibet eſſe cupit.
Nullus erat faſtus, nec erat laſciuia menſæ,
Qui cuperet reliquos temnere nullus erat.
Sed quæcunq; decet doctos feciſſe, bonosq́;,
Talia facta dabant, talia dicta dabant.
At quarta ut roſeos coniunx Titonia currus
Conſcendens almum præuolat orta diem:
Ecce iterum ueteri renouantur corda dolore,
Nec dum deſierat mæror, & alter adeſt.
Diuerſi in uarias curſus hinc tendimus oras,
Et modò coniunctum diſſociamus iter.
Micalus, & patriæ Ioachimus gloria gentis,
Aduertunt Franco uela, ratemq́; ſolo.
Me fera Turingæ, quæ ſylua eſt ultima terræ
Expectat tenero non adeunda pede.
Hei mihi quàm grauibus ſoluũtur pectora curis?
Vtq́; animi robur concidit omne mei?
Cùm uideor dulces iterum miſſurus amicos,
Hoſpes & ignotos inter iturus agros.
Perſtat adhuc, animo, uulnusq́; immobile feruet,
Digreſſu aceptum chare Philippe tuo.
Nec uetus ille dolor medicinam ſuſtinet ullam,
Sed uelut immoto ſtatq́; manetq́; loco.

Cùm ſubitò accedit mœrori mœror, & alter
Arſurus priſcis ignibus, addit opes.
Diſtrahimur ſocij, uario diſtantia cœlo
In loca fortuna quenq; trahente ſua.
Et iam quos animi iungunt, eademq; uoluntas,
Diſſociat cœlum, diſſociatq; ſolum.
Quàm nō perpetua eſt mortalibus ulla uoluptas
Et citò prætereunt, quæ cupis eſſe diu.
Nec, niſi quæ noſtros in caſus, inq; dolores
Fata manere ſinunt, fata manere ſinunt.
Sic prima uiolæ pereunt æſtate cadentes,
Sic perit à tenero mox bona flore roſa.
At lolium infœlix, ſteriliſq; obdurat auena,
Nec niſi uomeribus diruta cedit agris.
Dulcius haud toto quidq̄ mihi contigit æuo,
Nec melius ſtudijs, utiliusúe meis,
Quàm mihi q̧ pateat tua conſuetudo Philippe,
Hîc ubi Leucoreos irrigat Albis agros.
Hinc mihi digreſſo, fuit hæc propè ſola uoluptas,
Atq; eadem curis una medela meis.
Nos ſocios habuiſſe uiæ, ſociosq; laborum,
Addideras lateri quos bonus ipſe meo.
Sed neq; me uitam tecum ſors paſſa Philippe eſt,
Nec me cum ſocijs claudere poſſe uiam.
Sic Deus immenſo qui temperat omnia mundo
Nil proprium cuiquam, quod iuuet, eſſe ſinit.
Ergò ubi tēpus adeſt, abitumq; utriq; paramus,

Hæc Camerariades ultima dicta dedit.
Quæ fuit à puero tibi conſuetudo Micylle
Nobiſcum, uerbis non eget illa meis.
Nam tua quòd rectis iungebas pectora Muſis,
Principio es nobis iunctus amicitia.
Quòd ſtudio ſequeris, non uanus cultor, eaſdem,
Perpetuo noſtri creſcis amore gregis.
Nec tibi amicitiæ ſubeat dubitatio noſtræ,
Quæ, niſi cum ſummo funere uicta, cadet.
Conſilijs ſed tu noſtris parere memento,
Muſas ut primo ſemper amore colas.
Muſarum nulla eſt quæ uincat gloria laudem,
Et muſas homines, & coluere Dei.
Quis foret hoc æuo tantum laudatus Achilles?
Amphilochiq́; pater, Telemachiq́; pater,
An quiſquam noſſet ueteris monumenta Latini,
Et ualida Turni prælia geſta manu?
Quis Fabios, quis Scipiadas, fortemq́; Camillum,
Quis noſſet Libyci triſtia bella ducis?
Si non Pierides ſeruaſſent omnia Muſæ,
Aut longa ſinerent iſta perire mora.
Muſas ſemper ama, Muſæ laudemq́; decusq́;,
Et famam, letho quæ caret una, ferunt.
Nec tibi ſi quando gemmas, aurumq́; probari
Ante illas, cernes, corda leuare uelint.
Diuitiæ pereunt, pereunt ingentia tecta,
Et pereunt aurum, purpura, ueſtis, ebur.

Adde quòd & multo ſunt hæc ſequanda labore,
Plenáq; curarum, plenáq; triſticiæ.
Sola immortalis Muſarum gloria uiuit,
Nullæ illam uires, nulla ſenecta domat.
Quæ tu ſi memori ſeruabis corde Micylle,
Non uanum dices conſuluiſſe tibi.
Nũc id quod præſens præſtet fortuna precamur,
I bonus, & fauſto ſydere carpe uiam.
Atq; ita digreßi Francas petit altera terras,
Altera pars Heſſos, Herciniumq; iugum.
Arx ſtat in excelſo, Melburgum nomine dicunt,
Inter finitimas eminet illa duas.
Quondam bellorum uarijs agitata procellis,
Nunc ducis Herminij tuta quieſcit ope.
Subiacet huic uicus numero non magnus, at agro
Fertilis, & mitis dexteritate loci.
Hic populum Chriſti non irrita iuſſa docebat
Menius, & ſummi fœdera certa patris.
Quò ſimul ac uẽtum eſt ſub prima crepuſcula no (ctis,
Hoſpitio placidus me, comitemq́; fouet.
Et mihi ob amiſſos ſocioſ nox longa futura,
Hoſpitis optata fit bonitate breuis.
Iamq́; iterum liquidos Phœbus conſcẽderat axes,
Nos tamen in medium protrahit hora diem.
Forſitan & tota facta hic mora luce fuiſſet,
Ni ſtarent ueteris proxima tecta Gothæ.
Quæ quia non longis diſtabant paßibus inde,
Sub

Sub noctem ſero ſcandimus illa pede.
Hic tandem fortuna dedit mihi cernere Rufum,
Rufum quo non uir dignior alter erat.
Vnus qui ſtudio per longos contulit annos,
Quidquid habet Latiũ, Græcia quidqd habet.
Nõ erat huic lingua quiſquam, nec uoce ſecũdus,
Dictaque ceu magnis imbribus acta dabat.
Præcipuè quoties Muſas, laudemq́; ſororum,
Et reparatarum dona canebat opum.
Auguſto quondam ſpirabant numine uultus,
Ipſaq́; conſuêrant ora referre Deum.
Ex alto quoties ſe demiſiſſet Olympo
Latona, aut Maia natus uterq́; Ioue.
Ireq́; in humano uoluiſſent corpore Diui,
Corporibus diuos talibus iſſe puto.
Sic erat effigiesq́; uiri, corpusq́; decorum,
Cùm nondum abſtulerat Parca maligna diem.
Nũc leuis umbra uolat, defunctũ Muſa Venusq́;,
Et poſitis luget Gratia pulchra comis.
Ac tegitur modico pectus uenerabile ſaxo,
Quod quõdam ut caperet uix ſatis orbis erat.
Heu noſter ſic te ſuperi uoluere peremptum,
Et tutum à noſtri temporis ire malis.
Nec tua fœlicis quæ ſunt poſt fata ſecuta
Cernere fraterna prælia ſerta manu.
Illa tamen reſtant, multos quæſita per annos,
Gloria & è ſtudijs fama parata bonis.

O

Fama ea, quæ Scythici contemnat frigora ponti,
Nec metuat ſæui flammea tela Iouis.
Cumq́; ruant urbes, pereant immania regna,
Longaq́; conſumat mœnia celſa dies:
Illa tamen uiuit, quæ ſola atq; una ſuperſtes
Durat in æternos non moritura dies.
Proximus Hiſpanas Titan quoq; uergit ad undas,
Noſq́; ſub incurua ualle tenemus iter.
Cùm tandem raris cernuntur mœnia tectis,
Qua primos ſaltus ultima uallis habet.
Iſnacum dicunt, urbs geſtis clara uetuſtis,
Heſſorum quondam regia celſa ducum.
Hæc aperit ſyluas, aditusq; ad plana recludit,
Hæc eadem ingreſſus claudit utroſque uiæ.
Imminet huic celſis arx conſita rupibus, unde
Proſpicere hinc cãpos, hinc nemus omne licet.
Quas olim, ut fama eſt, ſedes habitauit Eliſſa,
Fœmina non ullos poſt memoranda uiros.
Quæ uirtute potens, & alendis mater egenis,
Heſſorum ad cœlos extulit uſq; Duces.
Ergo ubi contigimus longè apparentia tecta,
Ad reliqua ingratos nos fouet una quies.
Orta dies iterum cœlo crebreſcit ab alto,
Culminaq́; Herciniĳ ſcandimus alta iugi.
Eſt uia in excelſum quæ ducit dextera montem,
Hinc media Heſſorum tramite regna ſecat.
Hãc petimus, monteſq́; ægrè ſuperamus acutos,

Vndiq;

Vndiq; nos ſaltus, undiq; ſaxa premunt.
Non hæc incolitur, nec aratur uomere tellus,
Non ea paſtores, nec pecora arua tenent.
Sed ſteriles quercus, & quercu durior ilex,
Nataq; ſulcandis ardua pinus aquis.
Sub quibus immanes habitant urſæq;, lupiq;,
Et quidquid ſæuum ſylua nemusq; ferunt.
Si licet huc ueterum conferre exempla ferarum,
Talia Centauris antra fuiſſe putem.
Quattuor & totidem properādo uadimus horas
Cùm quædam ex modicis tecta uidentur agris.
Perga loco nomen, circum piſcoſa Vierra
Non latos iugi flumine paſcit agros.
Huc ubi deſcenſum eſt, reparamus languida mē-
Et nimium dura debilitata uia. (bra,
Interea ex alijs eadem ſub limina ſyluis
Venerat, antiqua notus amicitia.
Nomine Neidardus, noſtras Erphordia Muſas
Dum fouet, in noſtro quantus & ipſe choro.
Hic ubi tum ueteres mecum repetebat amores,
Et ueteris ſtudium dulce ſodalicij.
Et quoniam ſermo longè proceſſerat, & iam
Oceano lotum ſol properabat equos.
Detineor, noctemq; unà permanſimus illam,
Et fruimur ſubiti commoditate loci.
Hinc ubi poſterior proceſſit ab æquore Titan,
Heſſorum facimus regna per alta uiam.

Sylua ſtat, à porcis, credo hanc, Sylinga uocarũt,
Vix uſquàm plures altera nutrit apros.
Cuius ut in dorſum tandem conſcendimus altum,
Dorſum quo tangi ſidera ſumma putes.
Horrida uis nimbi glacie commiſta niuali
Incubat, atq; nemus concitat omne gelu.
Omnia nix operit, ſyluarum ſtrataq́;, nosq́;,
Proſpectumq́; adimit, notaq́; ſigna uiæ.
Fit fragor, hinc ualidis iactantur robora uentis,
Hinc furit ingenti ſylua profunda ſono.
Vt cùm poſt longos eructat Veſuius annos
Ignes, & ſummis it uaga flamma iugis.
Exundant nigro Phlegræi puluere campi,
Et paßim cineres uſtaque ſaxa uolant.
Territa uicinos agitat Campania colles,
Et mare ſub cæcis murmurat omne uadis.
Vadimus, & uario ſyluis errore uagamur,
Nec nobis cœlum, nec uia certa patet.
Dumq́; ita fallacis ſequimur ueſtigia greſſus,
Ignotam in uallem nos uia rara tulit.
Hîc domus in cæcis ſtabat non magna latebris,
Exiguas inter ruſtica tecta caſas.
Non ager, aut longi circum ſunt iugera prati,
Sed latè informis circuit ima, palus.
Talis erat, credo, ſpecus & tam deuia Caci,
Quà pecus Alcides abdidit, ille tuum.
Obſtupui, fateor, quis enim non horreat? aut quis
Securus

Securus poſsit talibus ire locis?
Iſtis ergo, comes, quæ ſpes regionibus, inquam,
Atq; aliquem hinc ſaluum poſſe redire putem.
Aſpice nos ingens à tergo ſylua coercet,
Excipiunt noſtras hæc noua monſtra uias.
Iamq́; aliquis tetro ueniet progreſſus ab antro
Sublatum prædæ cui caput iſtud erit.
Sic miſeri ignotis igitur moriemur in oris,
Et carpent diræ uiſcera noſtra feræ?
Sic inquam & mentem uideor mutatus, & ora,
Cùm placidè fidus rettulit iſta comes.
Deme metum, quondam fuit hæc iniuria regni,
Deme metum, atq; animos ad meliora refer.
Cùm domino tellus proprio ſpoliata iaceret,
Remq́; ſuo gereret quilibet arbitrio.
Tunc fuit iſta feri metuenda licentia uulgi,
Armârant rigidas prælia longa manus.
Tunc ſæpè in media ſtratus regione iacebat,
Aut graue pendebat fronde uiator onus.
Nunc loca manſueti, tuta hæc, cuſtodia fecit
Principis, optata pace regentis opes.
Principis, ingenio quo non clementior alter,
Aut animo quiſquam candidiore fuit.
Qui ſimul ac patrias moderari cœpit habenas,
Et gerere imperij tradita ſceptra noui.
Ius, æquum, pietas, leges, concordia, Muſæ,
Cum priſca in lucem mox rediêre fide.

Vt neq; Saturni uincant hanc ſæcula gentem,
Aequior aut cœlum Iuppiter ipſe regat.
His dictis animum paulatim & pectora mulcet,
Liberat & uano territa corda metu.
Quoq; magis curas animo mihi demeret omnes,
Ducit ad anguſtæ limina parua domus.
Depromiq; merum poſcit, corpusq; leuare
Me iubet, & mentem ſpe reparare bona.
Hinc iterum liquidas donec ſol duceret horas,
Per iuga ſyluarum longa tenemus iter.
Plana iacet uallis, campo ſpectanda uirenti,
Quam gelido mediam flumine Fulda ſecat,
Huius ab ingreſſu non longè mœnia iactat,
Viribus urbs quondam, diuitijsq; potens.
Hersfeldum priſci nomen poſuere coloni:
Terra potens gleba, & religione patrum.
Hic noctem ueteres producimus inter amicos,
Quos ibi tum patrij fructus alebat agri.
Mutuaq; alternis releuantes pectora dictis,
Ducimus in longas tempora grata moras.
Hinc nos Elsfeldum lucis uia longa ſequentis
Per crebros ſaltus, & iuga celſa tulit.
Nec tua ſunt, altas quæ tangis uertice nubes,
Verſibus Hirsburgæ tecta ſilenda meis.
Nam tibi nec turres, ualidi neq; robora muri,
Nec uiui deſunt ardua ſaxa iugi.
Vnaque finitimos inter uaſtiſſima colles

Proxima

Proxima conſpicuum tollis in aſtra caput.
Vt neq; et Phariæ uideantur uincere moles,
Nec quæ Tarpeia condita rupe ſtetit.
Præcipuè domino fœlix, quo iuſtior alter
Non fuit, aut iſto fortis in orbe magis.
Hãc prius ad dictam quàm greſſu uenimus urbẽ,
Carpentes, ima parte uidemus, iter.
Inde Gerunbergi ſubeunti luce uenimus,
Vrbem cui uiridis nomina fecit ager.
Forſitan hinc etiam progreſſum longius eſſet,
Ni pluuia incœptum detinuiſſet iter.
Poſtera ſed cœlo poſtquam lux fulſit aperto,
Flectimus ad comitis patria rura uiam.
Vrbs tenuis ſurgit ueteri circundata muro,
Inter depreſſi iugera pauca ſoli.
Imminet arx ualidis poſtremæ turribus urbi,
Ardua non nimium, ſed tamen alta ſatis.
Hanc heros habitat maior Sulmonius annis,
Ille quidem reliquis, ſed grauitate prior.
Quo comes ut uentũ eſt lucem me detinet illam,
Et quæ poſt illam mox ſubiere duas.
Quarta iterum ſolitas Titonia flectit habenas,
Nos quoq; maturum iam reparamus iter.
Linquitur à tergo longè colliſque nemuſque,
Et latos circum uiſus oberrat agros.
Iamque per aduerſi gradientibus æquora campi,
Aſpirat placidi mollior aura ſoli.

Tendimus hinc greſſum, non uno principe tuta
Qua ſua Fridburgum tecta uidenda dabat.
Mœnibus hæc urbis diſtat tria millia noſtræ,
Vrbs quondam noſtra non minus ipſa potens.
Cum nondum patrio melior Frācphurdia Mœno
Vndiq; collatas excipiebat opes.
Hinc demū egreßis medias Frācphurdia turres,
Et domuum oſtentat culmina ſumma procul.
Ac propius uiſam, propiusq́; accedimus urbem,
Et peragi totum poſſe uidetur iter.
Cum nix præueniens adimit terramq́; diemq́;,
Et prohibet notas cernere poſſe uias.
Flectimus omißis iterum ueſtigia cœptis,
Paruaq́; uicini tecta ſubimus agri.
Hic cupidos retinent ingratæ tempora noctis,
Tardaq́; cum modico iuncta ſopore mora.
Purpureos donec religauit Apollo iugales,
Atq; iterum cœlo conſtitit orta dies.
Tunc malè depoſitos heſterna luce labores,
Iamq́; abſoluendum rurſus obimus iter.
Sexta Calēdarum, quæ lux eſt dicta Nouembris,
Illa dedit finem uerſibus, illa uiæ.

CONFLAGRATIO ARCIS VETERIS HEIDELBERGENſis ad Ioachim. Camerari.

At

AT tu dum medicas deſcribis carmine thermas,
Et cauſam demptis qua calet unda focis:
Hic ubi ad Hercinias fumant tibi balnea cellas,
Et ſcaturit tepidis Martia uallis aquis.
Nos miſeri interea magnis terroribus acti
Vix regimus pauido languida corda metu.
Nam quæ dira nimis noſtras modò terruit oras
Tempeſtas? quibus aut ſæuijt illa modis?
Quæ totam ex imis deiecit ſedibus arcem,
Et mala crudeli plurima ſtrage dedit.
Fulmine dum quaſſat muros, & tecta domorum,
Et uitam multis eripit, atq; diem.
Hei mihi nunc etiam tantæ formidine cladis,
Mens pauet, atq; metu contremit ipſa ſui.
Tempus erat fuluo cum Solis lumina dorſo
Vectat, qui prædam uexit Agenoream.
Cum medio ueris labuntur tempora curſu,
Et mutata nouas concipit aura uices.
Iamq; iterum uarios tellus reparata colores
Induit, & lætas ſylua renata comas.
Et repetit ueterem uiridi de fronde querelam,
Quæ dolet extinctum Daulias ales Itym.
Ipſa dies Maij præcedit ſexta calendas,
Si retro à menſis fine prioris eas.

Vinitor hinc colles, hinc deſerit arua colonus,
Et quæ tuta putat proxima, quiſq; petit.
Non ſecus ac Geticis quoties uenit hoſtis ab oris,
Ille pharetrata qui mouet arma manu.
Cum paßim flammis uillæ uaſtantur, & agri,
Et iuga uictorum corpora capta trahunt.
Diffugiunt omnes quæ cuiq; oſtenſa facultas,
Aut ſpem præſidij ſors ſua forte dedit.
Nec mora, fit toto fragor ingens undiq; cœlo,
Et magno reboat concita terra ſono.
Fulguraq; aduerſis ſplendeſcunt reddita ſyluis,
Vndiq; quæ rupta plurima nube micant.
Et pariter denſus multa cum grandine nimbus
Voluitur, & crebris arua natantur aquis.
Eſt locus anguſtos intrò curuatus in arcus,
Hinc atq; hinc altis cingitur ille iugis.
Per mediam Nicri labuntur flumina uallem,
Ex ſyluis longè Sueuia ducta tuis.
Cuius in ingreſſu celſi ſuper ardua montis
Stat uetus & certis cella dicata ſacris.
Quondã ampla & monachis multis habitata, pri
Ceſſerunt lucris ocia ſancta nouis. (usq̃
Nũc quoq; ſparſa iacent tantæ monumẽta ruinæ,
Et ueteris paßim rudera multa domus.
At parte ex alia, uetus arx, habitacula regum,
Dum fuit, immodico condita colle fuit.
Quam Princeps olim fertur coluiſſe Rupertus,

Romani

Romani faſces dum gerit imperij.
Dumq́ue idem celſi fundat noua limina templi,
Et ueſtras Muſæ munera ſacra ſcholas.
Inferius noua ſtant medio pallatia monte,
Murorum ingenti condita mole domus.
Quam cœptam à proauis, cœlis educere certat
Munitam ſumma dux Ludouicus ope.
Hanc infra in plano uiridantis margine Nicri,
Porrecta in longum mœnia noſtra iacent.
Mœnia parua quidē, ſed noſtris apta Camœnis,
Tempora ſi paulò candidiora fluant.
Quæ, quòd tunc alijs deſcripſi uerſibus, iſta
Cùm poſui ſedes in regione nouas.
Non eſt cur ijſdem repetito carmine rebus
Immorer, & fruſtra tempus inane teram.
Hac igitur poſtquam moles in ualle coactæ
Clauduntur ſummis parte ab utraq; iugis.
Et patet ulterius cedendi nulla poteſtas,
Dum grauis hinc Boreas urget, & inde Notus.
Ceu quondā proprio ſæuit dep̄rehēſa ſub antro,
Et fremit arrectis fulua Leæna iubis.
Quam cane Venator, ferroq́; accinctus agebat,
Quâ Numida infrenes per iuga flectit equos.
Sic quoq; triſtis hyems dū montibus undiq; clauſis
Cogitur, infandis ſæuit & ipſa modis.
Fulgura collucent, uelut atræ incendia noctis,
Cùm malè ſopito conflagrat igne domus.

Cùm ſubitò accedit mœrori mœror, & alter
Arſurus priſcis ignibus, addit opes.
Diſtrahimur ſocij, uario diſtantia cœlo
In loca fortuna quenq; trahente ſua.
Et iam quos animi iungunt, eademq́; uoluntas,
Diſſociat cœlum, diſſociatq́; ſolum.
Quàm nõ perpetua eſt mortalibus ulla uoluptas
Et citò prætereunt, quæ cupis eſſe diu.
Nec, niſi quæ noſtros in caſus, inq́; dolores
Fata manere ſinunt, fata manere ſinunt.
Sic prima uiolæ pereunt æſtate cadentes,
Sic perit à tenero mox bona flore roſa.
At lolium infœlix, ſterilisq́; obdurat auena,
Nec niſi uomeribus diruta cedit agris.
Dulcius haud toto quidq̃ mihi contigit æuo,
Nec melius ſtudijs, utiliusúe meis,
Quàm mihi q̀ pateat tua conſuetudo Philippe,
Hîc ubi Leucoreos irrigat Albis agros.
Hinc mihi digreſſo, fuit hæc propè ſola uoluptas,
Atq; eadem curis una medela meis.
Nos ſocios habuiſſe uiæ, ſociosq́; laborum,
Addideras lateri quos bonus ipſe meo.
Sed neq; me uitam tecum ſors paſſa Philippe eſt,
Nec me cum ſocijs claudere poſſe uiam.
Sic Deus immenſo qui temperat omnia mundo
Nil proprium cuiquam, quod iuuet, eſſe ſinit.
Ergò ubi tẽpus adeſt, abitumq́; utriq; paramus,

Hæc

Hæc Camerariades ultima dicta dedit.
Quæ fuit à puero tibi conſuetudo Micylle
Nobiſcum, uerbis non eget illa meis.
Nam tua quòd rectis iungebas pectora Muſis,
Principio es nobis iunctus amicitia.
Quòd ſtudio ſequeris, non uanus cultor, eaſdem,
Perpetuo noſtri creſcis amore gregis.
Nec tibi amicitiæ ſubeat dubitatio noſtræ,
Quæ, niſi cum ſummo funere uicta, cadet.
Conſilijs ſed tu noſtris parere memento,
Muſas ut primo ſemper amore colas.
Muſarum nulla eſt quæ uincat gloria laudem,
Et muſas homines, & coluere Dei.
Quis foret hoc æuo tantum laudatus Achilles?
Amphilochiq́; pater, Telemachiq́; pater,
An quiſquam noſſet ueteris monumenta Latini,
Et ualida Turni prælia geſta manu?
Quis Fabios, quis Scipiadas, fortemq́; Camillum,
Quis noſſet Libyci triſtia bella ducis?
Si non Pierides ſeruaſſent omnia Muſæ,
Aut longa ſinerent iſta perire mora.
Muſas ſemper ama, Muſæ laudemq́; decuſq́;,
Et famam, letho quæ caret una, ferunt.
Nec tibi ſi quando gemmas, aurumq́; probari
Ante illas, cernes, corda leuare uelint.
Diuitiæ pereunt, pereunt ingentia tecta,
Et pereunt aurum, purpura, ueſtis, ebur.

Adde quòd & multo ſunt hæc ſeruanda labore,
Plenaq; curarum, plenaq; triſticiæ.
Sola immortalis Muſarum gloria uiuit,
Nullæ illam uires, nulla ſenecta domat.
Quæ tu ſi memori ſeruabis corde Micylle,
Non uanum dices conſuluiſſe tibi.
Nũc id quod præſens præſtet fortuna precamur,
I bonus, & fauſto ſydere carpe uiam.
Atq; ita digreſsi Francas petit altera terras,
Altera pars Heſſos, Herciniumq; iugum.
Arx ſtat in excelſo, Melburgum nomine dicunt,
Inter finitimas eminet illa duas.
Quondam bellorum uarijs agitata procellis,
Nunc ducis Herminij tuta quieſcit ope.
Subiacet huic uicus numero non magnus, at agro
Fertilis, & mitis dexteritate loci.
Hic populum Chriſti non irrita iuſſa docebat
Menius, & ſummi fœdera certa patris.
Quò ſimul ac uẽtum eſt ſub prima crepuſcula no(ctis,
Hoſpitio placidus me, comitemq; fouet.
Et mihi ob amiſſos ſocios nox longa futura,
Hoſpitis optata fit bonitate breuis.
Iamq; iterum liquidos Phœbus conſcẽderat axes,
Nos tamen in medium protrahit hora diem.
Forſitan & tota facta hic mora luce fuiſſet,
Ni ſtarent ueteris proxima tecta Gothæ.
Quæ quia non longis diſtabant paſsibus inde,

Sub

Sub noctem ſero ſcandimus illa pede.
Hic tandem fortuna dedit mihi cernere Rufum,
Rufum quo non uir dignior alter erat.
Vnus qui ſtudio per longos contulit annos,
Quidquid habet Latiũ, Græcia quidq; habet.
Nõ erat huic lingua quiſquam, nec uoce ſecũdus,
Dictaque ceu magnis imbribus acta dabat.
Præcipuè quoties Muſas, laudemq; ſororum,
Et reparatarum dona canebat opum.
Auguſto quondam ſpirabant numine uultus,
Ipſaq; conſuêrant ora referre Deum.
Ex alto quoties ſe demiſiſſet Olympo
Latona, aut Maia natus uterq; Ioue.
Ireq; in humano uoluiſſent corpore Diui,
Corporibus diuos talibus iſſe puto.
Sic erat effigiesq; uiri, corpusq; decorum,
Cum nondum abſtulerat Parca maligna diem.
Nũc leuis umbra uolat, defunctũ Muſa Venusq;,
Et poſitis luget Gratia pulchra comis.
Ac tegitur modico pectus uenerabile ſaxo,
Quod quõdam ut caperet uix ſatis orbis erat.
Heu noſter ſic te ſuperi uoluere peremptum,
Et tutum à noſtri temporis ire malis.
Nec tua fœlicis quæ ſunt poſt fata ſecuta
Cernere fraterna prælia ſerta manu.
Illa tamen reſtant, multos quæſita per annos,
Gloria & è ſtudijs fama parata bonis.

Fama ea, quæ Scythici contemnat frigora ponti,
Nec metuat ſæui flammea tela Iouis.
Cumq́; ruant urbes, pereant immania regna,
Longaq́; conſumat mœnia celſa dies:
Illa tamen uiuit, quæ ſola atq; una ſuperſtes
Durat in æternos non moritura dies.
Proximus Hiſpanas Titan quoq; uergit ad undas,
Nosq́; ſub incurua ualle tenemus iter.
Cùm tandem raris cernuntur mœnia tectis,
Qua primos ſaltus ultima uallis habet.
Iſnacum dicunt, urbs geſtis clara uetuſtis,
Heſſorum quondam regia celſa ducum.
Hæc aperit ſyluas, aditusq́; ad plana recludit,
Hæc eadem ingreſſus claudit utroſque uiæ.
Imminet huic celſis arx conſita rupibus, unde
Proſpicere hinc cāpos, hinc nemus omne licet.
Quas olim, ut fama eſt, ſedes habitauit Eliſſa,
Fœmina non allos poſt memoranda uiros.
Quæ uirtute potens, & alendis mater egenis,
Heſſorum ad cœlos extulit uſq; Duces.
Ergo ubi contigimus longè apparentia tecta,
Ad reliqua ingratos nos fouet una quies.
Orta dies iterum cœlo crebreſcit ab alto,
Culminaq́; Herciniꝫ ſcandimus alta iugi.
Eſt uia in excelſum quæ ducit dextera montem,
Hinc media Heſſorum tramite regna ſecat.
Hāc petimus, monteſq́; ægrè ſuperamus acutos,
Vndiq;

Vndiq; nos ſaltus, undiq; ſaxa premunt.
Non hæc incolitur, nec aratur uomere tellus,
Non ea paſtores, nec pecora arua tenent.
Sed ſteriles quercus, & quercu durior ilex,
Nataq; ſulcandis ardua pinus aquis.
Sub quibus immanes habitant urſæq;, lupiq;,
Et quidquid ſæuum ſylua nemusq; ferunt.
Si licet huc ueterum conferre exempla ferarum,
Talia Centauris antra fuiſſe putem.
Quattuor & totidem properãdo uadimus horas
Cùm quædam ex modicis tecta uidentur agris.
Perga loco nomen, circum piſcoſa Vierra
Non latos iugi flumine paſcit agros.
Huc ubi deſcenſum eſt, reparamus languida mẽbra,
Et nimium dura debilitata uia.
Interea ex alijs eadem ſub limina ſyluis
Venerat, antiqua notus amicitia.
Nomine Neidardus, noſtras Erphordia Muſas
Dum fouet, in noſtro quantus & ipſe choro.
Hic ubi tum ueteres mecum repetebat amores,
Et ueteris ſtudium dulce ſodalicij.
Et quoniam ſermo longè proceſſerat, & iam
Oceano lotum ſol properabat equos.
Detineor, noctemq; unà permanſimus illam,
Et fruimur ſubiti commoditate loci.
Hinc ubi poſterior proceſſit ab æquore Titan,
Heſſorum facimus regna per alta uiam.

Sylua ſtat, à porcis, credo hanc, Sylinga uocarūt,
Vix uſquàm plures altera nutrit apros.
Cuius ut in dorſum tandem conſcendimus altum,
Dorſum quo tangi ſidera ſumma putes.
Horrida uis nimbi glacie commiſta niuali
Incubat, atq; nemus concitat omne gelu.
Omnia nix operit, ſyluarum ſtrataq́;, noſq́;,
Proſpectumq́; adimit, notaq́; ſigna uiæ.
Fit fragor, hinc ualidis iactantur robora uentis,
Hinc furit ingenti ſylua profunda ſono.
Vt cùm poſt longos eructat Veſuius annos
Ignes, & ſummis it uaga flamma iugis.
Exundant nigro Phlegræi puluere campi,
Et paſsim cineres uſtaque ſaxa uolant.
Territa uicinos agitat Campania colles,
Et mare ſub cæcis murmurat omne uadis.
Vadimus, & uario ſyluis errore uagamur,
Nec nobis cœlum, nec uia certa patet.
Dumq́; ita fallacis ſequimur ueſtigia greſſus,
Ignotam in uallem nos uia rara tulit.
Hic domus in cæcis ſtabat non magna latebris,
Exiguas inter ruſtica tecta caſas.
Non ager, aut longi circum ſunt iugera prati,
Sed latè informis circuit ima, palus.
Talis erat, credo, ſpecus & tam deuia Caci,
Quà pecus Alcides abdidit, ille tuum.
Obſtupui, fateor, quis enim non horreat? aut quis

Securus poſſit talibus ire locis?
Iſtis ergo, comes, quæ ſpes regionibus, inquam,
Atq; aliquem hinc ſaluum poſſe redire putem.
Aſpice nos ingens à tergo ſylua coercet,
Excipiunt noſtras hæc noua monſtra uias.
Iamq; aliquis tetro ueniet progreſſus ab antro
Sublatum prædæ cui caput iſtud erit.
Sic miſeri ignotis igitur moriemur in oris,
Et carpent diræ uiſcera noſtra feræ?
Sic inquam & mentem uideor mutatus, & ora,
Cùm placidè fidus rettulit iſta comes.
Deme metum, quondam fuit hæc iniuria regni,
Deme metum, atq; animos ad meliora refer.
Cùm domino tellus proprio ſpoliata iaceret,
Remq; ſuo gereret quilibet arbitrio.
Tunc fuit iſta feri metuenda licentia uulgi,
Armârant rigidas prælia longa manus.
Tunc ſæpè in media ſtratus regione iacebat,
Aut graue pendebat fronde uiator onus.
Nunc loca manſueti, tuta hæc, cuſtodia fecit
Principis, optata pace regentis opes.
Principis, ingenio quo non clementior alter,
Aut animo quiſquam candidiore fuit.
Qui ſimul ac patrias moderari cœpit habenas,
Et gerere imperij tradita ſceptra noui.
Ius, æquum, pietas, leges, concordia, Muſæ,
Cum priſca in lucem mox rediêre fide.

Vt neq; Saturni uincant hanc ſæcula gentem,
Aequior aut cœlum Iuppiter ipſe regat.
His dictis animum paulatim & pectora mulcet,
Liberat & uano territa corda metu.
Quoq; magis curas animo mihi demeret omnes,
Ducit ad anguſtæ limina parua domus.
Depromiq; merum poſcit, corpusq; leuare
Me iubet, & mentem ſpe reparare bona.
Hinc iterum liquidas donec ſol duceret horas,
Per iuga ſyluarum longa tenemus iter.
Plana iacet uallis, campo ſpectanda uirenti,
Quam gelido mediam flumine Fulda ſecat,
Huius ab ingreſſu non longè mœnia iactat,
Viribus urbs quondam, diuitijsq; potens.
Hersfeldum priſci nomen poſuere coloni;
Terra potens gleba, & relligione patrum.
Hic noctem ueteres producimus inter amicos,
Quos ibi tum patrij fructus alebat agri.
Mutuaq; alternis releuantes pectora dictis,
Ducimus in longas tempora grata moras.
Hinc nos Elsfeldum lucis uia longa ſequentis
Per crebros ſaltus, & iuga celſa tulit.
Nec tua ſunt, altas quæ tangis uertice nubes,
Verſibus Hirsburgæ tecta ſilenda meis.
Nam tibi nec turres, ualidi neq; robora muri,
Nec uiui deſunt ardua ſaxa iugi.
Vndique finitimos inter uaſtiſſima colles

Proxima

Proximi conſpicuum tollis in aſtra caput.
Vt neq; et Phariæ uideantur uincere moles,
Nec quæ Tarpeia condita rupe ſtetit.
Præcipuè domino fœlix, quo iuſtior alter
Non fuit, aut iſto fortis in orbe magis.
Hāc prius ad dictam quàm greſſu uenimus urbē,
Carpentes, ima parte uidemus, iter.
Inde Gerunbergi ſubeunti luce uenimus,
Vrbem cui uiridis nomina fecit ager.
Forſitan hinc etiam progreſſum longius eſſet,
Ni pluuia incœptum detinuiſſet iter.
Poſtera ſed cœlo poſtquam lux fulſit aperto,
Flectimus ad comitis patria rura uiam.
Vrbs tenuis ſurgit ueteri circundata muro,
Inter depreſſi iugera pauca ſoli.
Imminet arx ualidis poſtremæ turribus urbi,
Ardua non nimium, ſed tamen alta ſatis.
Hanc heros habitat maior Sulmonius annis,
Ille quidem reliquis, ſed grauitate prior.
Quo comes ut uentū eſt lucem me detinet illam,
Et quæ poſt illam mox ſubiere duas.
Quarta iterum ſolitas Titonia flectit habenas,
Nos quoq; maturum iam reparamus iter.
Linquitur à tergo longè colliſq́ue nemuſq́ue,
Et latos circum uiſus oberrat agros.
Iamq́ue per aduerſi gradientibus æquora campi,
Aſpirat placidi mollior aura ſoli.

Tendimus hinc greſſum, non uno principe tuta
Qua ſua Fridburgum tecta uidenda dabat.
Mœnibus hæc urbis diſtat tria millia noſtræ,
Vrbs quondam noſtra non minus ipſa potens.
Cum nondum patrio melior Frācphurdia Mœno
Vndiq; collatas excipiebat opes.
Hinc demū egreßis medias Frācphurdia turres,
Et domuum oſtentat culmina ſumma procul.
Ac propius uiſam, propiusq; accedimus urbem,
Et peragi totum poſſe uidetur iter.
Cum nix præueniens adimit terramq; diemq;,
Et prohibet notas cernere poſſe uias.
Flectimus omißis iterum ueſtigia cœptis,
Paruaq; uicini tecta ſubimus agri.
Hic cupidos retinent ingratæ tempora noctis,
Tardaq; cum modico iuncta ſopore mora.
Purpureos donec religauit Apollo iugales,
Atq; iterum cœlo conſtitit orta dies.
Tunc malè depoſitos heſterna luce labores,
Iamq; abſoluendum rurſus obimus iter.
Sexta Calēdarum, quæ lux eſt dicta Nouembris,
Illa dedit finem uerſibus, illa uiæ.

CONFLAGRATIO ARCIS VETERIS HEIDELBERGENſis ad Ioachim. Camerari.

AT tu dum medicas deſcribis carmine thermas,
Et cauſam demptis qua calet unda focis:
Hic ubi ad Hercinias fumant tibi balnea cellas,
Et ſcaturit tepidis Martia uallis aquis.
Nos miſeri interea magnis terroribus acti
Vix regimus pauido languida corda metu.
Nam quæ dira nimis noſtras modò terruit oras
Tempeſtas? quibus aut ſæuijt illa modis?
Quæ totam ex imis deiecit ſedibus arcem,
Et mala crudeli plurima ſtrage dedit.
Fulmine dum quaſſat muros, & tecta domorum,
Et uitam multis eripit, atq; diem.
Hei mihi nunc etiam tantæ formidine cladis,
Mens pauet, atq; metu contremit ipſa ſui.
Tempus erat fuluo cum Solis lumina dorſo
Vectat, qui prædam uexit Agenoream.
Cum medio ueris labuntur tempora curſu,
Et mutata nouas concipit aura uices.
Iamq; iterum uarios tellus reparata colores
Induit, & lætas ſylua renata comas.
Et repetit ueterem uiridi de fronde querelam,
Quæ dolet extinctum Daulias ales Itym.
Ipſa dies Maij præcedit ſexta calendas,
Si retro à menſis fine prioris eas.

Relligione Patrum multos celebrata per annos,
Atq; eadem ſacris Marce dicata tuis.
Formidata dies, atq; omine prodita læuo,
Et ueterum nigris more trahenda notis.
Quam nunquam, aut raro timidi ſenſere coloni
Curſus, innocuam cladis, obiſſe ſuos.
Nam uel dira, famem, gelidis exuſta pruinis,
Vel peſtem immodicis imbribus aucta tulit.
Vel bellum aßiduis cumulando ardoribus æſtus,
Aut aliud ſolita eſt triſte monere malum.
Seu ciet iſta ſuo damnoſa canicula motu,
Quæ ueniens ſecum noxia multa trahit:
Siue latens cauſa eſt, & læſi numinis ira,
Atq; iſto luimus crimina noſtra modo.
Vnde & ſolenni ſanciuit lege uetuſtas,
Eſſet ut hæc certis lux operoſa ſacris.
Et populus paßim tota collectus ab urbe,
Vota Deo ſupplex ſolueret, atq; preces.
Atq; hinc per ſacras ſignis præeuntibus ædes
Portantur pictis corpora ſancta toris.
Et chorus à tergo niueo uelatus amictu
Diuorum magna numina uoce canit.
Qualia credibile eſt ueteres feciſſe Quirites,
(Si tamen hæc noſtris æquiparare decet.)
Bellorum quoties augebat fama timorem,
Aut parerent curas edita monſtra nouas.
Quæ ceu ritè quidem, atq; aïo reuerētē peractā,
Quædam

Quædam placandi pondera forſan habent.
Sic ubi non aliud, q̃ uentris fœda uoluptas
Quæritur, aut certi commoda parua lucri.
Heu uereor tanti ne ſit ſpes uana laboris,
Et maneat noſtrum non leuis ira ſcelus.
Quæ mox inſontes pariter premet atq; nocẽtes,
Dum commune luent uirq́ue puerq́ue nefas.
Ergò ubi tunc ritu ſimili quoq; cuncta geruntur,
Et fiunt templis debita quæq́ue ſuis.
Iamq́ue peragrato medio plus axe, redibat
Phœbus ad Oceani, mox obiturus, aquas.
Tempore quo uenti uires atq; ocia nacti,
Præcipuè inſano cuncta furore replent.
Paulatim magis atq; magis nigreſcere cœlum
Incipit, atq; atris nubibus omne tegi.
Et procul ex imis produntur murmura ſyluis,
Et caua commotis ripa tumeſcit aquis.
Mox ſonitu grauiore ruũt Eurusq́ue Notusq́ue,
Caurus, & à gelido quem uidet Vrſa polo.
Qui tum præcipites impellunt undiq; nubes,
Hinc, illinc, partes quoq; tuente ſuas.
Et latè campos ingenti turbine uerſant,
Quaq́ue meant, ſecũ proxima quæq́ue ferunt.
Eripitur ſubitò ex oculis proſpectus, & atris
Grandeſcit tenebris aura, premitq́ue diem.
Diffugiunt trepidi, coguntq́ue armẽta magiſtri,
Et paßim totis turba mouetur agris.

Vinitor hinc colles, hinc deſerit arua colonus,
Et quæ tuta putat proxima, quiſq; petit.
Non ſecus ac Geticis quoties uenit hoſtis ab oris,
Illé pharetrata qui mouet arma manu.
Cùm paſsim flammis uillæ uaſtantur, & agri,
Et iuga uictorum corpora capta trahunt.
Diffugiunt omnes quæ cuiq; oſtenſa facultas,
Aut ſpem præſidij ſors ſua forte dedit.
Nec mora, fit toto fragor ingens undiq; cælo,
Et magno reboat concita terra ſono.
Fulguráq; aduerſis ſplendeſcunt reddita ſyluis,
Vndiq; quæ rupta plurima nube micant.
Et pariter denſus multa cum grandine nimbus
Voluitur, & crebris arua natantur aquis.
Eſt locus anguſtos intrò curuatus in arcus,
Hinc atq; hinc altis cingitur ille iugis.
Per mediam Nicri labuntur flumina uallem,
Ex ſyluis longè Sueuia ducta tuis.
Cuius in ingreſſu celſi ſuper ardua montis
Stat uetus & certis cella dicata ſacris.
Quondã ampla & monachis multis habitata, pri
Ceſſerunt lucris ocia ſancta nouis. (usq̃
Nũc quoq; ſparſa iacent tantæ monumẽta ruinæ,
Et ueteris paſsim rudera multa domus.
At parte ex alia, uetus arx, habitacula regum,
Dum fuit, immodico condita colle fuit.
Quam Princeps olim fertur coluiſſe Rupertus,

Romani

Romani faſces dum gerit imperij.
Dumq́ue idem celſi fundat noua limina templi,
Et ueſtras Muſæ munera ſacra ſcholas.
Inferius noua ſtant medio pallatia monte,
Murorum ingenti condita mole domus.
Quam cœptam à proauis, cœlis educere certat
Munitam ſumma dux Ludouicus ope.
Hanc infra in plano uiridantis margine Nicri,
Porrecta in longum mœnia noſtra iacent.
Mœnia parua quidē, ſed noſtris apta Camœnis,
Tempora ſi paulò candidiora fluant.
Quæ, quòd tunc alijs deſcripſi uerſibus, iſta
Cùm poſui ſedes in regione nouas.
Non eſt cur ijſdem repetito carmine rebus
Immorer, & fruſtra tempus inane teram.
Hac igitur poſtquam moles in ualle coactæ
Clauduntur ſummis parte ab utraq; iugis.
Et patet ulterius cedendi nulla poteſtas,
Dum grauis hinc Boreas urget, et inde Notus.
Ceu quondā proprio ſæuit deprehēſa ſub antro,
Et fremit arrectis fulua Leæna iubis.
Quam cane Venator, ferroq́; accinctus agebat,
Quâ Numida infrenes per iuga flectit equos.
Sic quoq; triſtis hyems dū montibus undiq; clauſis
Cogitur, infandis ſæuit & ipſa modis.
Fulgura collucent, uelut atræ incendia noctis,
Cùm malè ſopito conflagrat igne domus.

Et crebra erumpunt horrôre tonitrua tantò,
Quanto uix cœli machina tota ruat.
Et breuiter ſummo miſcentur cuncta tumultu,
Dum mouet ad tantas ſe quoq; terra minas.
Fluminaqúe ex imo uertuntur gurgite Nicri,
Atq; impulſa ſuis ripa tremiſcit aquis.
Ecce autem medios inter, miſerabile, motus
Exoritur magna non ſine clade malum.
Triſte malum, & totis penè exitiabile terrís,
Quàm latè Nicrum mœnia noſtra uident.
Ardua in antiqua turris, quam diximus, arce
Murorum extrema condita parte fuit.
Hinc longè obiectas patuit proſpectus in oras,
Quatenus hoc montes, & nemora alta ſinunt:
Qua ueluti ſpecula, ſæclo fuit uſa priore
Cura patrum, & tutas inde tegebat opes.
Huc pridem immẽſam uim pulueris abdidit atri,
Ille ſenex, regni qui modo ſceptra gerit.
Sulphure quo mixto, & malè uiuacis ſale nitri,
Ardua murorum uertere tecta ſolent.
Siue ea ut ad ſubitos uſus promenda iaceret,
Et certa ad quoſuis ſpes foret inde metus.
Seu quia non aliter fatorum iuſſa ferebant,
Hocqúe arx euerti debuit iſta modo.
Nam ſimul ac denſo uariantur cuncta fragore,
Et pariter cœlum contremit, atq; ſolum.
Ter pater omnipotens perrupit fulmine nubes,

Ter

Ter commota grauem dant iuga celſa ſonum.
Afflatu cuius turris contacta fatiſcit,
Et flammam cœli puluis ab igne capit.
Hic demum horribili crudeſcunt omnia motu,
Et nouus accumulat damna priora labor.
Hei mihi tũ pauidã quantus timor occupat urbẽ,
Aut qualis tremor, & quàm grauis iſte fuit?
Cùm furit & cœlum, & ſuccenſi pulueris ardor,
Vi pariter iuncta fulminis, atq; nitri.
Arxq́ue ea quanta fuit momento concidit uno,
Hora nec tota, tota ſtat atq; iacet.
Dixiſſes totum ruiturum à cardine mundum,
Cumq́ue ſuis cœli culmen utrunq; polis.
Namq́ue ut in anguſta turri uis tanta iacebat,
Obice murorum, & uertice clauſa graui.
Sic ubi ab impreſſo contraxit fulmine flammam,
Et cœpit uires ignibus aucta ſuas.
Fit ſonitus tantus, quanto non mille boardæ
Torquent emotos ære tonante globos.
Et ſimul erumpit diſiectis undiq; clauſtris,
Viq́ue uia facta, puluis in alta uolat.
Quaq́ue ruit ſecum rapidè fert ſaxa, trabeſq́ue,
Et totam ſumma ſternit ab arce domum.
Non ſecus ac prono cùm fertur flumine torrens,
Quem mouet effuſis concitus imber aquis.
Ille caſas, ac tecta rapit uicina domorum,
Cumq́ue ſuis latè proterit arua ſatis.

Ipſa ut erat quadra turris conſtructa figura,
Obuertens mundi quatuor ora plagis.
Sic quoq; ſaxa cadens totidem iaculatur in oras,
Et uelut in quandam diſsilit acta crucem.
Alta uolant paſsim labentis fragmina muri,
Perq́; imos magna ſtrage feruntur agros.
Sternitur hinc uitis, hinc plurima ſternitur ar-(bor,
Et latè complent rudera ſparſa ſolum.
Talis erat rerum facies, puto, tanta ruina,
Terrigenum uictæ cum cecidere manus.
Cùm celſæ impoſitum deiecit Pelion Oſſæ
Iuppiter, & tantas fulmine ſtrauit opes.
At uehemens ſuperas poſtq̃ uis pulueris auras
Contigit, & celeri uenit ad aſtra uia,
Turbatum ſubitò ſic concitat aera motu,
Vt balliſta graues concitat acta pylas.
Qui mox ima petens fumanti mole uaporum,
Atq; atra impulſus nubeq́;, uiq́; nitri.
Incubuit terris, nec fulmine ſegnior ipſo,
Impete perrupit templa domoſq́; ſuo.
Hinc metus & ſtrages, crepitãtibus undiq; tectis,
Et caſum tota ſæpè minante domo.
Panduntur paſsim deiectis atria ualuis,
Ianuaq́; emoto cardine crebra iacet.
Nuda patent intus foribus penetralia ruptis,
Nec cohibent, quamuis limina firma, feræ.
Peruiaq́ue apparent fractis delubra feneſtris,

Et

Et laceris cellis numina mœſta ſedent.
Quale diu uiſum eſt, cum duris concita fatis
Sæuit in innocuos ruſtica turba Deos.
Diuorumq; aras, & celſas deijcit arces,
Et miſcet telis, ſacra, profana, ſuis.
Præcipuè clauſtris qua denſus ſpiritus arctis
Cogitur, immenſum hic & ſine more furit.
Inter quæ crebro uolitant quoq; ſaxa fragore,
Impetus è ſumma quæ grauis arce tulit.
Quæ dum mole ſua tectis impulſa feruntur,
Et cadit in ſtratas tegula multa uias.
Et ſimul ardentis mixta fuligine nitri,
Ater conſequitur pondera iacta uapor.
Haud dictu facilè eſt, quantos res iſta tumultus
Edidit, aut quantos auxit ubiq; metus.
Nam dum quiſq; ſuas percuſſas fulmine credit
Aedes, & tactas quâ putat, inde timet.
Dilapſi paßim uarijs erroribus omnes,
Et trepidi, curſu, quô fuga dictat, eunt.
Hic ſe fornicibus ſub terra condit opacis,
Quamq; optat lucem, territus ipſe fugit.
Ille foras, tectis fertur per aperta relictis,
Atq; amens cœlum quæritat, atq; diem.
At timidæ matres cum paruis atria natis
Percurrunt, miſeris exululantq; modis.
Nec ſe ſolari nôrunt, gemitusúe tenere,
Aut ullo certa ſede manere loco.

Sed uelut obſeſſam miles cum diripit urbem,
Et latè ferro mœnia capta ruunt:
Perculſæ trepidant paßim matresq́; nurusq́;,
Et celeri uerſant atria tota fuga.
Sic quoq; tum pauidæ, & ueluti ſine mente ferun
Et cœlũ mœſtis uocibus omne replent. (tur,
Pars etiam lucem putat aduentare ſupremam,
Seraq́; iudicij tempora Chriſte tui.
Quæ ſubitò, ut perhibent ueterũ præſagia uatũ,
Ipſa quoq; immenſo cuncta fragore ferent.
Et latè totum flammis uaſtantia mundum,
Momento inuertent, arua, polosq́; breui.
Sunt quoq; quos ingens, ſi fas eſt dicere, terror
Deſtituit ſenſu, & reddidit attonitos.
Qui tum lymphatis ſimiles, obſcura canebant
Prodigia, & uerbis noxia multa nouis.
Ceu quondam correpta deo, reſponſa per antrũ
Edidit ambiguis Delphica uirgo ſonis.
Et pater ipſe Nicer, motu tremefactus aquarum,
(Nam plagas lapidum ſenſit & ille ſuas.)
Creditur ex imo, pendentem uligine barbam,
Oraq́; cæruleis ſparſa tuliſſe comis.
Et cladem terræ tantam aſpexiſſe propinquæ
Cum gemitu, & curſus uix tenuiſſe ſuos.
Atq; ea dum uarijs agitantur partibus urbis,
Plenaq́; multiplici cuncta pauore ſtrepunt.
Interea tanti noteſcit cauſa laboris,

Deiectæq;

Deiectæq; arcis culmina fracta patent.
Conueniunt turbæ per compita lata uiarum,
Vnde licet ueterem cuiq; uidere locum.
Notaq; mirantur muri fragmenta relicti,
Tamq; breui tantæ mœnia uerſa domus.
Mœnia Romani quondam penetralia regni,
Et tot clarorum regia tecta ducum.
Ac licet hæc oculis ſpectent, & mentibus ægris,
Nam cui non animum tangeret iſte dolor?
Plus tamen illa mouet priuati cura pericli,
Quo idm defunctos ſeq; ſuosq; putant.
Atq; hinc ad proprios conuerſi quiſq; penates,
Quæ diſperſa iacent, arma, foresq; legunt.
Et trepidas matres, & paruos pignora natos
Solando tandem, uoce, manuq; leuant.
Nec tamẽ hæc hoĩm peſtis ſine clade peracta eſt,
Et ſunt quos miſera ſuſtulit illa nece.
Nam qui tunc ueteris tenuerunt atria ſedis,
Septem cum natis fœmina uirq; ſuis.
Ex his deprehenſi tam ſæuo quinq; periclo,
Læſi omnes, cæſi ſed iacuere duo.
Et procul inde alius, noua qua pallatia ſurgunt,
Oppreſſus ſaxo ſternitur inter opus.
Cui prope qui ſteterat plaga percuſſus eadem,
Amiſit dextrum, clade minore, pedem.
Atq; ita tempeſtas iſto tum fine quieuit,
Quam uis mixta dedit fulminis atq; nitri.

Quæ ſeu fortè ſua noſtras ita perculit oras,
 Siue aliquod tacitum præmonet illa malum.
Ceu multa horrificis prædicunt numina ſignis,
 Cùm reuocant animos ad meliora leues.
Venturas prohibe, diuûm pater optime, clades,
 Et tege præſidijs tempora noſtra tuis.

DISTICHON NVMERALE CON tinens annum eius tempeſtatis.

Fulminis afflatu iacet, & ui pulueris atri
 Illa Palatini regia priſca ſenis.

ASTROLOGIAE DEFENſio in Promotione Magiſtrorum prònunciata Heidelbergæ Anno 1533.

ERgò aliquis ſtellas, quæ corpora noſtra gubernent,
 Tàm uarios caſus qui uidet, eſſe negat?
Signaq; ſecuro ſpectat cæleſtia uultu,
 Quæq; micant noctu plurima, quæq; die?
Nec timet, ardentes cum tot uidet ætheris ignes,
 Quæ mala uenturi temporis hora ferat.
Fruſtra igitur curſu uertentis machina mundi
 Perpetuo ſecum corpora tanta rapit?

Fruſtra

Fruſtra eſt quòd ſeros repetit Saturnius ortus
Orbis, & occiduos ſemper anhelat equos?
Nec iuuat in ſumma te Iuppiter arce morari,
Nec proſunt radij dexter Apollo tui?
Sed temerè humanos accendit peſtifer artus
Sirius, & caſu quod uenit, omne uenit?
Secordes hominum mentes, nimiumq́; futuri
Immemores, adeò quas mala nulla domant,
Sed uelut in præſens uiuunt, rationis egentes:
Idq́; pedes ſolum quod iacet ante, uident.
Sic temerè absq; ulla uitæ ratione prioris
Iudicio pecudis more carentis eunt.
Scilicet hæc olim malè contempſiſſe pigebit,
Atq; animus pœnas tunc dabit ipſe ſibi.
Cùm ſero cupiet cœlorum diſcere leges,
Et præſagitos ante cauere metus.
Nam pater omnipotens cùm celſi mœnia mundi
Conderet, & geminis clauderet aſtra polis.
Et partes uarias diſperſa elementa per omnes
Firmaret certis ſidere cuncta locis.
Cùm medio terræ ſuſpendit in aere molem,
Ponderis immotam præ grauitate ſui:
Addidit & iugi manantes flumine riuos:
Vt noua per certas floreat illa uices.
Mox quoq; diſtinxit fulgentibus æthera ſtellis,
Et iuſsit ſuperas igne micare domus.
His dedit & uires, & certi temporis ortus,

Motibus ut regerent inferiora ſuis.
Et metirentur uertentis tempora mundi, &
Diuiderent noctes, diuiderentq; dies.
Hinc noua cum ſurgunt creſcentis cornua Lunæ,
Et paribus frater tendit Apollo uijs.
Accipiunt uires totis animantia terris,
Alituumq; genus, æquoreumq; genus.
Lætaq; grandeſcunt uiridantis gramina campi.
Lætius & ſyluæ, lætius arua uirent.
Hinc quoq; Pleiadum cùm ſe chorus extulit alto,
Et pelago Orion conditur Heſperio.
Tempora mutantur gelidis ceſſantibus Euris,
Et renouat lætum mollior aura diem.
Arua iterũ ſegetes, frondes iterũ accipit arbor,
Floribus & uarijs picta ſuperbit humus.
Ipſa nouas Abnoba comas, noua culta Bacenis
Aſpicit, & meſſes Martia ſylua nouas.
Clarior & montes ſerpit Nicer inter opacos,
Et redit ad fontes purior unda ſuos.
Adde quod alma Venus faciles quoq; ſpirat amores,
Et paſsim pecudum parturit omne genus.
Et ciet umbroſa dulces ſub fronde querelas,
Dum dolet amiſſum Daulias ales Itym.
Vt taceam pluuias, & iniqui frigora Ponti,
Et toties gelida rura ſepulta niue.
Omnia quæ proprio cauſantur frigora motu,
Tantas his uires conditor ipſe dedit.

Quin

Quin & uenturæ dedit his præſagia cladis,
Vt premerent diro pectora noſtra metu.
Vt cum Pharſalici maduerunt ſanguine campi,
Et ſubmiſit opes territa Roma ſuas.
Aut modo terribili cum ſtabat pallida crine,
Illa pharetrati nuncia ſtella Getæ.
Sæcula quam fruſtra nunquam uidere priorum,
Aut ſine funeſti clade ſequente mali.
Ergò has qui ſtellis uires conceſſit, ut ortu
Atq; obitu poſſent cuncta monere ſuo.
Et poſſent alias rebus ſuperaddere formas,
Et generare imbres, & generare niues.
Atq; ipſa in certas diducere tempora partes
Et uentura nouis bella docere comis.
Illum credibile eſt rerum ex tot millibus, unum
Has ſentire hominem non uoluiſſe uices?
Et ſolum immunem per totas uiuere terras,
Cætera cum ſtellæ corpora cuncta regant?
Haud puto: nã morbi tot ſunt quibus angimur ul (tro,
Temporibus certis quiq; redire ſolent.
Qui ſua cum Luna capiunt augmenta renata,
Atq; leuant uires, cum leuat illa ſuas.
Idem igitur ſtellis hominum qui membra ſubegit,
Et dedit his noſtri corporis arbitrium:
Fata quoq; & uitas hominum ſuſpendit ab aſtris,
Imperio ut regerent hæc quoq; nata ſuo.
Vt ſi fulſiſſent fœlicia ſidera nato,

Fœlix in multos uiueret ille dies.
Sin mala concurſu coïjſſent lumina triſti,
Poſtera principijs par quoq; uita foret.
Non quòd ſic hominum precio commiſſa luatur,
Aut quiſquam merito ſit miſer ipſe ſuo.
Aut contrà pulchris præſtet uirtutibus ille,
Proſpera cui facilis tempora Parca dedit.
Nam melior quanquam prauis fortuna refulget,
Et uenit indignis gloria multa uiris.
Et rurſum uarijs iactatur ſæpe procellis,
Summa qui meruit proſperitate frui.
Ac ne multa nimis priſcorũ exempla reuoluam,
Nam licet ex uno cætera cuncta probes.
Aſpice qui Stygias quondam deſcẽdit ad umbras,
Tergeminumq; nigro traxit ab orbe canem.
Monſtraq; per totum latè tot contudit orbem,
Totus quot menſes integer annus habet.
Quid meruit tandem? aut quæ uirtus defuit illi,
Cur non par ſummis eſſet & ipſe deis.
Et tamen hic toties diſcrimina tanta ſubiuit,
Vt iures nullum plura tuliſſe uirum.
Nam licet æetherei natus foret ille Tonantis,
Et claris Danaum regibus ortus auis.
Illa tamen miſerum caſus pertraxit in omnes,
Quæ malè naſcenti Delia quarta fuit.
Tanta in nos ſuperis conceſſa potentia rebus,
Hac nos cœleſtes ſub ditione premunt.

At

At contrà Samij ſi ſpectes facta Tyranni,
Cui tulit abiectas in mare piſcis opes.
Aut quem, Lydorum dum paſcit ouilia regis
Euexit thalamis gemma reperta nouis.
Quid fuit his aliqua dignum quod laude feratur,
Aut quare celebret gloria tanta uiros:
Et tamen ambobus per longos contigit annos
Perpetua rerum proſperitate frui.
Quid? qui Mygdonijs quõdam regnauit in agris,
Iudicio cuius uictus Apollo fuit.
Quàm ſtupidus fuit, et meritus caua tẽpora cingi
Auriculis, quantas turpis aſellus habet?
Et tamẽ hic quidquid tangebat uertit in aurum,
Et tinxit micis flumina tota nouis.
Haud etenim ſtellæ prauũ moderantur & æquũ,
Aut ſi quid dignum commeruere uident.
Sed quòd non aliter poſſunt, neq; languida ceſſat
Vis ea, quæ motu perpete cuncta rapit.
Aßiduo circum uoluuntur tempora lapſu,
Et raptos ſecum quò rapiuntur agunt.
Quæ quòd non ullo ſeries mutabitur æuo,
Atq; idem curſus ſemper & unus erit.
(Nam pater omnipotens hoc fœdere cuncta liga(uit,
Starent ut nullo diſſoluẽnda die.
Atq; animam partes mundi inſpi. auit in omnes,
Quæ tamen æterna lege moueret opus)
Ac uelut humanos collectum corpus in artus

Vitalis totum ſpiritus intus alit.
Sic mens hæc mundi, ſiue eſt natura uocanda,
Perpetuò, quidquid cernimus, omne mouet.
Hinc igitur toto quæcunq; geruntur in orbe,
Et quorum multos abdita cauſa latet.
Mentibus his ſuperis ſunt aſſcribenda, nec ulla
Credenda eſt caſu res, neq; ſorte, geri.
Sũma etenim uis eſt aſtrorũ, & ſumma poteſtas,
Quæ regit impulſu corpora cuncta ſuo.
Quam qui non rerum cauſas ab origine ſpectat,
Aut nihil, aut fumi pondus inane putat.
Et quoties aliquid non euitabile cernit,
Iratos memorat ſic uoluiſſe deos.
At qui de nihilo credunt nil poſſe creari,
Et facto cauſas cuilibet eſſe ſuo.
Hi ſeriem agnoſcunt rerum, qua cuncta trahũtur
Atq; hanc communi nomine fata uocant.
Quæ ſi mutari prece, uel uirtute reflecti
Aut ulla uinci fraude liceret opum.
Non Paris Hectoreo tumulo affleuiſſet adulter,
Aut ducis aſpiceret funera miles iners.
Nec uetus in campo Tragicus periſſet aperto,
Dum timet è tecto tegula nequa cadat.
Staret adhuc Troia, & memorabile Pergama nomen,
Et Priami Imperio tot regerentur opes.
Starent Argolicæ Perſeia tecta Mycenæ,

Et

Et regni populus rex Menelae tui.
Nec ſic Palladiæ quondam decus orbis Athenæ
Exciſæ Getico turpiter enſe forent.
Nec ſola Iſinemæ reſtarent nomina Thebæ,
Cætera Pellei uerteret ira ducis.
Omnia quæ rapuit non eluctabile fatum,
Claraq́; deleuit tot monumenta uirûm.
Ergò uti nec flecti, aut prohiberi ſidera poſſunt,
Quo minus in noſtris omnia rebus agant.
Sic ſciri tamen & multo certa antè uideri,
Seu mala portendant, ſiue ſecunda, licet.
Et licet in longum rerum prædicere cauſas,
Certaq́; uenturi noſcere ſigna mali.
Ac uelut ex alto cum ſurgunt nubila ponto,
Et placida ex imo dorſa mouentur aqua.
Arma legũt nautæ, atq; obuertũt littora proræ,
Et tutos repetunt puppe uolante ſinus.
Sic quoq; ſtellarum caſus, qui cernit, & ortus,
Et quid quoq; ualent ſidera quæq; loco.
Excipit hic tuto uenientes pectore clades,
Quâq; poteſt notum mitigat arte malum.
Fœlices igitur quibus hæc cognoſcere ſigna,
Inq; domos ſuperas ſcandere mente uacat.
Non illos terrent metuendi nomina fati,
Non illis ſubito corda timore pauent.
Sed tantas rerum cauſas dum corde uolutant,
Et memori quæ ſunt, mente, futura uident.

Nec nimium gaudẽt, animo neq; turpiter hærẽt.
Seu bona proueniunt tempora, ſiue mala.

DE OFFICIO VXORIS AD PAMPHILAM.

QVID *propriè uxorem deceat, quæſita* Theano,
Si ſtudeat, dixit, ritè placere uiro.
Hoc tibi, chara, putes etiam mea Pamphila *dictum,*
Et facies cultu plurima digna tuo.
Sed puto, iam dices, quid nos facit ergo placere?
Hoc, ſi, quidquid ages, ipſa decenter agas.
Non lædas prudens dicto, factoúe maritum,
Siue domi fueris, ſiue ſecuta foras.
Nec temere obſiſtas illius garrula dictis,
Sed quæcunq; idem iuſſerit, ipſa probes.
Ac ſi quando ira, uel uino præcipitatus
Facta dabit meritis non ita digna tuis:
Hoc quoq; diſsimules, aut ſi tolerare moleſtũ eſt,
Blanditijs uincas aſpera corda tuis.
Si fuerit lætus, lætos cape ſedula uultus,
Mutuaq; amborum gaudia corda leuent.
Si fuerit triſtis, uoces imitare dolentis,
Et faciem obducta tu quoq; ueſte tege.
Deniq; quidqd erit, quod uel iuuet, aut premat ægrũ,

Ipſa

Ipſa uiri uotis obſequere uſq; tuis.
Nec leuis ornatus ſubeat te cura gerendi,
Et quibus exhibeas corpora culta modis.
Hac quoq; non ſegnes capiuntur peſte mariti,
Auertitq́; alios forma neglecta uiros.
Siue foris igitur uerſabere, ſiue per ædes,
Ipſa tuo uenies aſpicienda uiro.
Ne tunicæ pingues, neu ſit tibi ſordida palla,
Et lacera extremam limite ſignet humum.
Non ungues ſcabri, non pleni aſpergine uultus,
Nec tibi ſint turpi crura notata luto.
Qualis erat Baucis pendenti flaccida mamma,
Aut Hecabe nimio ſole peruſta cutem.
Vitta premat comptos, & tænia pura capillos,
Aſtringat tumidos faſcia rara ſinus.
Pura tegant humeros uelamina, pura lacertos,
" *Pura ſit & medias qua tegit ora nurus.*
Ipſa etiam pellis quæ plantam ueſtiet imam,
Munda ſit, & niueum colligat apta pedem.
Non lacera, aut gemini denſata crepidine tergi,
Aut etiam longo puluerulenta ſitu.
Qualibus incedit foſſoris filia Cimbri,
Nuptaq́; aratori rubra marita uiro.
Namq́; etiam iſta mouent non ſtultũ ſæpe maritũ
Plurimaq́; in paruis gratia rebus ineſt.
Dixerat uxori quidam, Lucretia tota
Sis licet uſq; die, Thaida nocte uolo.

Aſt ego non tãtum cupiam mea Pamphila nocte,
Obſita cum tenebris omnia pulchra latent.
Verum etiam media te cernere Thaida luce.
Blandior aut ipſa Thaide ſi qua fuit.
Non quòd tanta meos capiat laſciuia ſenſus,
Aut pecudum turpi uiuere more uelim:
Sed me quæ ueſtra eſt, dulcis facundia linguæ,
Et decor è molli qui uenit ore, iuuat.
Me iuuat & ficti prudens ſollertia greſſus,
Et malè, ſed caſto uita proterua modo.
Quæq; alia eſt generi conceſſa licentia ueſtro,
Miſcendi licitis tempora tarda iocis.
Præcipuè longo cum mens iacet ægra labore,
Atq; animus cœptum deficit inter opus.
Præſentes uultus, & lumina nota tueri,
Aſpectuq; frui, colloquioq; iuuat.
Nã neq; ſic liquida, quæ manat ab æthere, gutta
Accipiunt uires gramina feſſa ſuas,
Fœmina ceu longos mulcetq; leuatq; labores,
Quos uir laſſato ſuſtinet ingenio.
Quò tu nec uerbis, nec rebus differ honeſtis,
Quà licet uſq; uiri corda leuare tui.
Vtq; foris populo, placeas per tecta marito,
Penelopen alijs, Thaida uiue domi.
Sed tamen ut ſoli res ſeruiat iſta marito,
Sitq; idem cultus cauſa, modusq; tui.
Et procul externæ maneat ſuſpitio curæ,

Sollicitam ſtimulis quæ premat ipſa ſuis.
Nam res impatiens amor eſt, & plena timoris,
Et facilè à quouis læditur ille Noto.
Ergò ut hac cupido placeas in parte marito,
Aſpice quid damnet, ſedula, quidq́; probet:
Nec te ſuſpectam faciant riſusq́;, iociq́;,
Miſtaq́; non apto tempore colloquia.
Aut taciti gemitus, occulti ſigna doloris:
Aut de non grato ſparſa querela uiro.
Præcipuè ueſtri fugias conſortia uulgi,
Namq; malos inter diſcimus eſſe mali.
Nec facile in magna ſic degit fœmina turba,
Expers ut prorſus criminis omnis eat.
Hæc elata tumet melioris ſorte mariti,
Auroq́; & gemmis ſplendida tota micat:
Vtq; ſuas pandit uolucris Iunonia pennas,
Sic gaudet forma futilis illa ſua.
Contra hæc alterius rebus marceſcit opimis,
Et ſecum tacita carpitur inuidia.
Nunc ægram ſtimulant alienæ ſerica pallæ,
Et uariè alternis inſtita picta modis.
Nunc animum accendit flauentis tænia uittæ,
Ipſaq́; in extremo mollis aluta pede.
Eſt etiam infauſta quæ perſtrepit omnia lingua,
Et miſcet nugis arua domosq́; ſuis.
Eſt & quæ thalamos labefactat uoce iugales,
Sollicitatq; leues exitioſa nurus.

Quæ mox incautam rapiunt contagia mentem,
Degenerantq; animi, degenerantq; domus.
Quare etiã hæc aliquo præſtãda eſt cura labore,
Ne noceant rebus damna aliena tuis.
Deniq; perpetuò ſerues ut nomen Amatæ,
Et referas iuſti præmia coniugij:
Sic age, ſic animum fortunam confer ad omnem,
Omnis ut arbitrio ſtet tua uita uiri.
Sic tandem uxori facies, quod par ſit honeſtæ,
Quodq; ipſam deceat te, placeatq; uiro.

ELEGIA DE DVOBVS FALCONIBVS AD EOBANUM *Heſſum.*

HESSE *Poetarum non ultima fama piorum,*
Atq; idem gentis gloria magna tuæ.
Qui celebras Latijs Dauidica carmina Muſis,
Et tribuis rebus conſona uerba ſacris.
Accipe quod paucis hîc contigit antè diebus,
Certi, ut credibile eſt, ominis inſtar, opus.
Dum coeunt iterum Germanæ in fœdera gentes,
Et noua Teutonicis pax reparatur agris.
Eſt locus huic noſtræ non longè diſſitus urbi,

Planus, & occiduo totus ab axe patens.
Hinc crebri aſſurgunt longo curuamine montes,
Aduerſum Mœni cingitur amne latus.
Huc fortè egreßi, procerū pars, Heſſe, tuorum,
Et comitum iuxta, nobiliumq́; manus.
Aucupio curas, animumq́; leuare parabant,
Et miſcere ſimul cum grauitate iocos.
Portantur uolucres, uelatæ pellibus ora,
Et ſuetæ ad domini ſigna redire ſui.
Portantur laquei, capiendis uincula prædis,
Et quaſſanda nigris pertica longa uadis.
Iamq́; ſolutæ ibant, dempto uelamine, in altum,
Ac ſolito in gyrum more feruntur aues.
Ecce leuis uacuo ſublimis in aere pica
Fertur, & informes perſtrepit ore ſonos.
Hanc duo falcones dextra læuaq́; uolantes,
Vt fuit in paſtum miſſus uterq́;, uident.
Nec mora, uentoſas acuunt ſtridoribus alas,
Et prædam rapidis unguibus ambo petunt.
Fit ſonitus, crebriſq́; gemit clangoribus æther,
Et percuſſa leues concitat aura Notos.
Ceu quando acta graui Balearis uerbere fundæ,
Cum ſonitu ex alto plumbea maſſa cadit.
Illi autem nimio dum cædis amore feruntur,
Et grauis extimulat cædis utrumq́; furor.
Dumq́; timent ambo, ne prædam uendicet alter,
Aut fugiens uncas euolet illa manus.

Heu malè præcipites in mutua funera tendunt,
Alter & alterius pondere preſſus, obit.
Namq; ut ui ſumma nituntur, & impete uaſto
Concutiunt pennas ſæuus uterq; ſuas.
Iamq; fugax hoſtis parte ex utraq; tenetur,
Stringit & hic morſus, ſtringit & ille ſuos.
Ecce graui inter ſe colliſi corpora motu,
Diſſecat alterius pectus uterq; ſuo.
Labentesq; ſolo proni, languentibus alis,
Inter quos medios tertia pica cadit.
Hoſte ſuper uiua, morientia lumina ſoluunt,
Et uicti fato, uictor uterq; iacent.
Sic puto Patrocles quondam, ſic fortis Achilles,
Te leuis, inuicto ſuccubuêre, Pari.
Illa igitur uiuens, magnis ſtridoribus implet
Aethera, & ignotis obſtrepit ore polis.
Subſequitur clamorq; uirũ, gemitusq; frementũ,
Quos dolor indigni funeris iſte mouet.
Mœſtaq; cuſtodum pars corpora nota uidentes,
Attoniti ſubito membra pauore rigent.
Sed nec longa manent ſaltantis gaudia picæ,
Moxq; eadem fato deteriore perit.
Nã dum ſe euoluit, dum roſtris ſe explicat uncis,
Iamq; adeo elapſam ſe leuis illa putat.
Accurrêre canes, ſiue hos ita caſus agebat,
Seu fuit indigni funeris iſte dolor.
Et miſeram uix dum caudamq;, alasq; trahẽtem,
Dentibus

Dentibus arripiunt, dilaniantq́; ſuis.
Hunc habuit uitæ finem, finemq́; laborum,
Quæ modò falcones ſpreuerat una duos.
Hoc ſiue augurium, ſeu factum ita fortè putamus,
Non leue, ſi ſpectes, ominis inſtar habet.
Nam quòd pica loquax falconibus una duobus
E pugna, & certa morte ſuperſtes abit:
Quodq́; canis ceruos ſolitus terrere fugaces
Accipitrum ritu, dente laceßit auem:
Neſcio quid monſtri ſecum trahit, atq; pericli,
Et uentura notat tempora plena metu.
Quæ precor, in melius referat, ſeruetq́; relata,
Cuius uertuntur regna, ducesq́; manu.
Quanquam etiã, quicũq; manet nos exitus, & tu
Siue redis iterum pax bona, ſiue fugis.
Illa tamen reſtant, fractis ſolatia rebus,
Pica quòd ultores cernet & ipſa ſuos.
Nec longè tanta meliorum clade fruetur,
Quæcunq; hæc tandem dira uolucris erit.
Sed mox peiori lacerabitur impia fato,
Dentibus atrorum præda relicta canum.
Et quam non potuit deuincere Martius ales,
Diſcerpta à canibus uile iacebit onus.
Quæ tibi nunc ideo uatum doctißime ſcribo,
Eſſes ut tantæ gnarus & ipſe rei.
Et mecũ hanc uolucrũ celebrares tu quoq; cladẽ,
Quæ notat haud dubio tempora noſtra metu.

Quare age ſi quid habes, quod rebus conſonet iſtis,
Siue putas alio hæc accipienda modo,
Profer, & incerto ſuper omine certa remitte,
Hæc ut iudicio ſtent mea ſcripta tuo.

DE IISDEM FALCONIBVS *aliud Epigramma.*

Falcones inter, ſublimis in aere pica,
Dum uolat, & cantu prouocat una duos:
Illi ira accenſi, quatiunt clangoribus alas,
Atq; hoſtem curuis unguibus ambo petunt.
Sed ſpe dum nimia, nimiaq́; cupidine cædis
Ardent, & neuter præcauet ipſe ſibi.
Mutua collidunt alterno pectora niſu,
Atq; alter moritur uulnere in alterius.
Pica ſuperſtes abit, ſed mox dum colligit alas,
Et uelut ex certo funere rapta fugit.
Ecce eadem à canibus miſerãda rapina uoratur,
Et fato, occumbens, deteriore perit.

CONTENTIO POPVLI ET BVXI.

POPV-

Populus & Buxus quondam certamen agebant,
Dum genus extollunt utraq; laude ſuum.
Populus Herculei capitis referebat honores,
Atq;, ait, illius frondibus orno comas.
Nec ſua plus Pinus, iactat neq; nomina Laurus,
Sit licet hæc Phœbo ſacra, ſit illa Rheæ.
Aſt ego, Buxus ait, doctæ ſum fama Mineruæ,
Illius inflatu tibia facta recens.
Nec Myrti folijs, hederæ neq; cedo corymbis,
Grata licet Baccho hæc, ſit Venus illa tibi.
Verùm, inquit, liquidis prætexor Populus undis,
Et gaudent ripis flumina multa meis.
Cùm tu funereis naſcaris plurima buſtis,
Et fugiant ſemen cuncta animata tuum.
Cui ſic illa refert, & ſacris conſita buſtis
(Nec pudet,) & ſummis conſpicor orta iugis.
Inde Citoriaco comuntur pectine crines,
Sarcina nec regum dedecet iſta manus.
At ſuperas, inquit, deſpecto, Populus auras,
Et longè conis tollor in alta meis.
Tu tantum modicis attollens brachia ramis,
Vix tenuem ſuprà uertice ſurgis humum.
Sim breuis ipſa licet, tamē hoc, ait altera, uinco,
Perpetuò uirides quòd gero læta comas.

Nec mihi tum metuo, cum certant flatibus Euri,
Tuq́; iaces capitis mole grauata tui.
At melior domibus ſum, Populus, ædificandis,
Inquit, & è ligno ſtant quoq; templa meo.
Multi etiam tacitō me tum uenerantur honore,
Atq; aliquod nobis numen ineſſe putant.
At mea, Buxus ait, mirantur dona puellæ,
Agglomerant fuſis dum ſua fila meis.
Quæ dum purpureis carpūt data penſa labellis,
Hei mihi quàm tenero pollice ſæpe teror.
Rurſus, ait, ſcutis ſum, Populus, apta gerendis,
Et mecum tutus miles in arma uenit.
Horrida cum ſæuas accendit buccina pugnas,
Et fremit indomita Martia turba manu.
Aſt ego ſum, Buxus, lætis, ait, apta choreis,
Ac ſonat è ligno tibia multa meo.
Candida laſciuæ cùm iactant crura puellæ,
Accenduntq́; ſuis languida corda procis.
At ſi tanta putas, reſpondet Populus, iſta,
Atq; etiam paruis gloria rebus ineſt,
En mecum aſſurgit lento cum palmite uitis,
Et florent ramis Bacchica dona meis.
At de me fiunt, ait altera, pocula Bacchi,
Spumant & muſto uaſcula noſtra nouo.
Quin & ſculpuntur flauo cochlearia buxo,
Nec leue multorum ponor in orbe decus.
Cui rurſum in puppi, poterā quoq;, Populus, alta
Stare,

Stare, ait, & placidis pandere uela Notis.
Et poteram longis circundare ſepibus agros,
Gloria ſi tali quæritur ulla modo.
Aſt ego, Buxus ait, poteram dare parua puellis
Ludicra, uel ſpeculis tegmina flaua nouis.
Et poteram nummos noſtris includere ciſtis,
Nec foret hæc operæ gratia nulla meæ.
Ergò, ait hæc, poſitis ſpectemus ſeria nugis,
Quæ uenit ex merito gloria digna uenit.
Ac mihi, ſi neſcis, medica eſt, neq; parua poteſtas,
Fertur et ex reſina molle malagma mea.
Populeum dicunt, incenſos mitigat artus,
Nec leuis huic uis eſt, uſus ubiq; patet.
At mihi, Buxus ait, quædã eſt agnata uoluptas,
Nec leuis hortenſes computor inter opes.
Vtq; tibi morbos pellendi certa poteſtas,
Sic ego plantandis ſeruio delicijs.
Noſtri quæ Graia, dicunt Topiaria, uoce,
Nota diu Auſonijs res fuit iſta uiris.
Poſtremò & ueterum, concludit Populus, ætas
De rebus ſolita eſt tradere mira meis.
Meq; ferunt Græci, luctu mutante figuram,
Stare uirens lignum, quæ modò uirgo fui.
Atq; apud Eridani celebres lapideſcere ripas
Ex lachrymis quondam ſuccina facta meis.
Vnde nec ingrato gaudent geſtamine matres,
Hocq; ſolent ſacras annumerare preces.

Ad quæ tum Buxus, neq; de me parua feruntur,
Et celebrant uires ſcripta uetuſta meas.
Duritiemq́; ferunt inuicti aſſumere ferri,
Cùm ſuper ardentes ponor in igne focos.
Certè non ullis Buxi uiciantur ab annis,
Nec uinci carie uiuida ligna ſolent.
Quæq́; uolunt homines longũ durare per æuum,
Materia faciunt quælibet illa mea.
Talibus inter ſe uerbis certamen habebant,
Buxus, & Herculeis Populus apta comis.
Vtraq; dum propria contendit uincere laude,
Et negat alterius cedere uicta bonis.
Forſitan & ſtudio progreſſæ longius eſſent,
Hæc ſibi dum palmam poſcit, & illa ſibi.
Ni Deus audito per longam murmure ſyluam
Verteret huc celerem Faunus amator opem.
Qui ſimul amborum cauſas cognouit, & iram,
Compreſſit monitu prælia tanta ſuo.
Et quamuis uiridem atq; inuictã frigore Buxum,
Maiori ueniam iuſſit habere deo.
Sic palmam uictrix, ueteremq́; recepit honorem
Populus Alcidæ numine freta ſui.

TOXEV,

TOXEVTICON SIVE LVDVS SAGITTARIVS.

CLARISSIMO VIRO PHIILIPPO HALESIO IVR. V. *Doctori. Illuſtriß. Princip. Palatin. Elector. conſiliario.*

SVperioribus diebus, Philippe claríſs. cum autoritate & munificentia Illuſtríſs. Princi. Palatini Electoris, certamen ac ludus ſagittarius hic apud nos inſtitutus eſſet, ad eumque multi paſsim, non ſolum ex uicinia, ſed & locis aliquantò longius diſtantibus cōueniſſent, noua ac ſingulari quadam animi affectione commotus fui. Nam & lux quaſi quędam ſerenior inter tot bellorum ac motuum acerbitates interuenire mihi uidebatur; & ſuccurrebat antiquitatis imago ac ſpecies illa, qua & uetuſtiſsimorum temporum duces atq; heroes, uiros ampliſsimos ſimili aliquando ſtu

dio ſeſe oblectaſſe, memoria animoque repetebã. Itaq; in tanta omnium lætitia & hilaritate tẽperare mihi non potui, quo minus & ipſe aliquid temporibus conſentaneum in me ſuſciperem, & quod manibus aut opera non poſſem, ingenio ac uerſibus meis conſequi laborarem. Totam igitur certaminis eius hiſtoriam breui poëmatio quodã complexus ſum, eamque operã nomini tuo dedicaui. Ineptias has, inquis? equidem fateor me as: ſed tamen quas neq; me ſuſcepiſſe, neq; te oculis ac lectione percurriſſe magnoperè adeò pœniteat. Nã ſi neque ſummos in Repub. Romana uiros Scipionem ac Lælium in littore Lucrino conchas & calculos lectitare puduit: neq; Socratem, cum qui etiam oraculo ſapientiſsimus hominũ iudicatus fuerat, interpoſita cruribus arundine cum paruulis, puerorum more equitare: quid ſit, cur uel ego ab his ſtudijs, ad quæ natura factus uideri

ri queam, uel tu ab eiũs rei, cuius ipſe non expers, ſed conſors, non ſpectator, ſed actor pro parte tua tum fuiſti, commemoratione abhorreres? Quare ut in magno conuiuio, non Chio tãtum, aut Cretico, ſed interim populari quoq; ac tenuiore aliquo uino delectareris: ita inter tot Scæuolarum, Pōponiorumq; uolumina, quorum lectione quotidie occuparis, etiam graciles hos Elegos per ocium aſpicere, & ſi quid forte auribus aut lectione tua non indignum uidebitur, id contra imperitorum calumniam & obtrectationes, quatenus æquum eſt ac potes, defendere ne graueris. Quod te ita facturum eſſe, cum ipſe mihi perſuadeo, tum uirtus bonitaſq; tua pollicentur. Vale Heidelb. poſtridie Id. Nouembr.

Anno 1554.

CERTAMEN SAGITTARIORVM.

INcipe deſuetas mecum mea Muſa Camœnas,
Dum facio alternis carmina pauca modis.
Incipe:dicemus uolucris certamina ludi,
Gnoſiaq; artifici ſpicula miſſa manu.
Dicemus nitidum,uictoris præmia,taurum,
Cumq; ſuo populi prælia geſta duce.
Prelia per uarios miſcentur qualia ludos,
Fallitur admiſsis cum mora longa iocis.
Tempus erat medio cùm Sol digreſſus ab orbe.
Venerat ad gelidæ proxima terga nepæ.
Humida cum pelagi liquidis emergit ab undis,
De grege nutricum Fæſula, Bacche, tuo.
Et ferus auerſas ſequitur qui ponè ſorores,
Nocte micat prima fulgidus Oarion.
Et iam poſtremos claudebat uinitor antes,
Dulcia ſub nudo cum pede muſta fluunt.
Cum placidæ Princeps pacis Fridericus amator,
Fama Palatinæ,progenieſq; domus,
Aſpiciens patriam longo iam tempore mæſtam,
Bella tot indignis dum gemit acta modis.
Solariq; uolens animos formidine preſſos,

Et

Et mulcere graui pectora ſciſſa metu:
Propoſuit celeris certamina nota ſagittæ,
Et ſua uictrici dona ferenda manu.
Inprimis nitidum ſpacioſa fronte iuuencum,
Cornua cui, naſcens qualia luna gerit.
Cui grauia à ſummo pendent palearia mento,
Luxuriantq; ſuis pectora læta toris.
Ictu qui uentos petit, & pede ſpargit arenam,
Fronte minax torua, nec ferus ore tamen.
Qualis Agenoreæ quondam ſua terga puellæ
Præbuit, & placitum per mare uexit onus.
Qualis & Aeolia pelagi cum uirgine rector,
Aonios inter traditur iſſe boues.
Hunc Scythicæ genitū procul ad præſepia gētis,
Sarmata quâ crudo ſanguine uiuit equi,
Et paſtum Princeps tales ſeruârat in uſus,
Eſſet ut hinc teli ritè uolantis honos.
Ergò ubi uicinas fama eſt uulgata per oras,
Et ſpacium pugnæ, propoſitusq; dies:
Conueniunt paßim Rheni quos corniger amnis
Finitimos ripa claudit utrinq; ſua.
Vangionū populi, & ueterum gens priſca Neme
Et quos uicina Lutris oberrat aqua. (tum,
Gurgite quos Nauas nebuloſo, quos iuga Tauni,
Et iuxta paſcit terra Moguntiaca.
Et procul hinc Sarnus, Matræq; ignobile flumen,
Quæq; alijs adimit nomina Pryſca ſuo.

Hic ubi Iapygias æquauit Gallia cannas,
Victus & Auſonio Teutonus hoſte iacet.
Parte alia Sueui, uaſtæ gens accola ſyluæ,
Martia quæ Latiæ nomina uocis habet.
Quâ fluit aduerſo ueniens è monte Nagolla,
Et circum medicis terra caleſcit aquis.
Quâ Cocer, & gelidus ſinuoſo flumine Nicer
Irrigat, & longo tramite ſulcat humum.
Quiq; colunt Mœni ripas, & Quintia prata,
Et uada creſcentis non ſine fraude Nedæ.
Quiq; tenẽt colles, madidos ubi uerſus in Auſtros
Heßiacus pingues uertit arator agros.
Venit & Heluetijs procul hinc excitus ab oris,
Qua uetus exercet plebs Tigurina ſolum.
Atq; alius, rapido, quâ flumine diluit Iſter,
Norica Pannonijs proxima rura iugis.
Præcipuè patrios inter, quos iſta, penates
Terra tulit, gremio ſuſtinuitq; ſuo,
Approperant, arcuſq; parãt, tereteſq; ſagittas,
Et poſitis tentant bella futura ſcopis.
Non ſecus ac Geticæ reparant cũ prælia gentes,
Et ſubitus populi concitat arma pauor.
Noricus accenſa paßim fornace colonus,
Spiculaq;, & gladios expedit arte nouos.
Quos pater ut tumido ſenſit ſub gurgite Nicer,
Suſtulit ex imis cærula colla uadis.
Et ſtudium populi miratus, & orſa ſuorum,
Creditus

Creditus eſt tales ore dediſſe ſonos:
O ſuperis dilecte ſenex, qui dulcia pacis
Ipſe tuis meritis nomina facta geris.
Triſtia qui belli mulces incommoda ludis,
Et ſpargis gratos inter acerba iocos.
Scilicet ut uideant alij tua facta, uocentq;
Depoſitis animos ad meliora malis.
Sic age, ſic æui uenturi fama paratur,
Non odio, aut ſpreta cum pietate fide.
Quæ ſimul ac dixit, ſolitas demiſſus in undas,
Impulit admota flumina prona manu.
Quem circum teneræ mulcẽtes pectora nymphæ
Inſtaurant faciles per ſua rura choros.
Et lætæ ueniſſe diem, quo munere pacis
Securas coleret tutus arator opes.
Principis extollunt feſta præconia uoce,
Et ludos celebrant, & pia uota Ducis.
Et iam tempus erat primæ certamina pugnæ
Incipere, & poſito figere tela ſcopo.
Tympana rauca ſonant, & acuto tibia cantu,
Accenduntq; auidos carmina nota uiros.
Nec mora, diuerſis coeunt ex partibus urbis,
Armati pharetris plurima turba ſuis.
Iamq; animo ſecum palmæ meditantur honorem,
Et certam in dubijs ſpem ſibi quiſq; facit.
Eſt locus extremam quà Nicer præterit urbem,
Foſſa ſub extructis mœnibus alta iacet.

Hîc domus æthereas tendit ſublimis in auras,
Solerti nuper condita tota manu,
Et reparata modis reſplendent atria miris,
Sumptibus & magni dexteritate ducis.
Porticibus fundo ſurgit tribus omnis ab imo,
Sellarum totidem plana, patensq́; locis.
Et iuxta ſolido poſita teſtudine ſaxo,
Scanditur obliquis ad caua tecta uijs.
Huic geminæ aduerſo contra ſtant aggere metæ,
Et gemini in medio molis utroq; ſcopi.
Ad quos æratæ contendunt cuſpidis ictus,
Vno qui clauſo lumine tela regunt
Quò ſimul ac uentũ eſt, poſitisq́; ſedilibus omnes,
Quem ſors cuiq; dedit corripuere locum.
Protinus immenſi dextra læuaq́; theatri
Conſedere duces, nobiliumq́; manus.
Hîc genus agnatum, proles antiqua Philippi,
Altera pars ueſtræ, Dux uenerande, domus.
Hîc dominus terræ, quam Cocri allabitur unda,
Militiæ Princeps, famaq́; Teutonicæ.
Illic progenies Naſſauæ ſtirpis auita,
Proxima quæ Catthis temperat arua iugis.
Et proles Amyci comitum de gente uetuſta,
Arcis Lunigenæ qui moderantur opes.
Atq; alij procerum, quos uel ſibi conſcia uirtus,
Vel nouus antiquæ prouocat artis amor.
Quos inter medius Princeps certaminis autor,

Auguſtus facie, & frontis honore ſedet.
Ceu quondam in medio numero cœtuq; deorum
Præſidet excelſa Iuppiter arce poli.
Inde nouem ſolito ueterum de more leguntur,
Præſtantes animis, iudicioq; uiri.
In dubijs quorum (ceu plurima ſæpè uidemus
E ſubitò naſci) cauſa ſtet arbitrio.
Ictibus hi numerum, & feriendi tempora dicunt,
Et quo res ueniat quæq; gerenda modo.
Iidem etiam longo diſponunt ordine dona,
Voti quæ compos dextera facta ferat.
Principio aurata fulgentem fronte iuuencum,
Serica cui ueſtis tergora lata tegit.
Quam uarij pictam diſtinguunt arte colores,
Teſtanturq; ſuos addita ſigna duces.
Hinc uariata locis argenti pondera, & auri,
Pro precio, aut numero quæq; putata ſuo.
Quæq; alijs paßim facto certamine ludis,
Præmia uictores parta referre ſolent.
Ergò ubi compoſitis, operum data copia, rebus;
Cymbalaq; aſſuetum pulſa dedere ſonum.
Pro ſe quisq; uiri certant animoq;, manuq;,
Spe ſimul & pauido corda regente metu.
Pars ualidum iniecta ſinuant teſtudine neruum,
Et chalybum adducunt cornua facta focis.
Pars uſu & longa lectas ætate ſagittas
Depromunt pharetris, ſpes, animosq;, ſuis.

Impreſsis alij, quas dicunt uoce columnas,
Quà tegit extremas hiſpida barba genas,
Diducto uariè labijs titubantibus ore,
Deſignant oculo dexteriore ſcopum.
Vtq; ſolet pelago noctu deprehenſus in alto,
Lumine qui fixo te Cynoſura notat.
Sic illi immotos oculos & corpora ſeruant,
Dum leuis impulſa claue ſagitta uolet.
Fit ſonitus paßim, crepitantibus undiq; neruis,
Quâ ſecat eliſos obuia penna Notos.
Et uelut inducto caligant omnia ſole,
Obſcurantq; breues ſpicula denſa ſcopos:
Non ſecus, ac multa cum pulſat grandine tecta
Iuppiter, & crebris ictibus arua ſonant:
Priuantur latè ſolitis proſpectibus agri,
Concretaq; iacet terra ſepulta niue.
Quinetiam medio ſi qua ſtetit orbe ſagitta,
Suppoſitamq; breui cuſpide fixit humum.
Inſequitur plauſusq; uirûm, fremituſque fauentũ,
Quos metus hinc, illinc ſpes animuſque ciet.
Et laterum obiectu parte ex utraq; reſultat
Clamor, & ad cœli peruenit uſq; polos.
Tantus amor palmæ, tantos uictoria motus
Excitat: & uarijs pectora rebus agit.
Atq; hic ambiguæ ſit quanta potentia ſortis,
Et quantò caſus plus ualet arte, uide.
Namq; alius paruo fretus moderamine dextræ,

Figit

Figit in oppoſito ſpicula certa ſcopo.
Contrà alius magna dum prouidet omnia cura,
Heu fruſtra in uacua ſpicula perdit humo.
Quoſdã etiam in medio dum tẽdunt cornua niſu,
Neruus, & immitis deſtituere chalybs.
Aut nimia impacta medio ui cuſpide clauo,
In partes abijt fracta ſagitta duas.
Vt taceam falſa quos ludit imagine telum,
Quodq́ue uolãs recto dum petit ære ſcopum,
Hæret in alterius penna trepidante ſagitta,
Et fruſtra ſummam ſtringit in orbe rotam.
Omnia quæ uerſu ſi quis comprehendere tentet,
Tentet aquas idem dicere Tethy tuas.
Sic igitur facto primi certaminis orſu,
Signantur poſitos, qui tetigere ſcopos.
Quos quia tunc uultu dea Præneſtina ſereno
Extulit, & ſummo uexit in orbe rotæ,
Exultant animis, cœptorumq́ue omine læti,
Vltima principijs æqua futura putant.
Aſt alij tacito demittunt lumina uultu,
Et ſua non æquo pectore fata gemunt.
Non ſecus ac notos cum ſpectat nauita portus,
Et ſubitò auerſam corripit unda ratem,
Aut ſpes ambiti quoties fruſtratur honoris,
Dum ferit accenſum mœſta repulſa uirum.
Mox cœptos ſolito repetunt certamine ludos,
Et reparant animos ſpe ſibi quiſq; nouos.

Adductisq́; iterum curuantur cornua neruis,
Verberat & crebros pulſa ſagitta Notos.
Sed ſimili quanquam moderatur cuncta labore,
Et paribus tendunt arte, manuq́; uiri:
Non tamen & ſimili procedunt omnia curſu,
Fallit & euentus ſpes, animosq́; ſuus.
Nam quibus in medio ſteterat prius orbe ſagitta,
Et dederat primis proſpera ſigna notis,
Labentem aſpiciunt mutato numine ſortem,
Et referunt uacuo ſpicula rapta ſolo.
Contrà alijs melior redit in præcordia uirtus,
Excitat & motus ſpes reparata nouos.
Fortunaq́; iterum, & dextræ moderamine freti,
Figunt in medio Gnoſia tela ſcopo.
Sic quondam iactis reparat Venus aurea talis,
Quæ modo damnoſi diminuere Canes.
Tum uerò uarijs implentur cuncta querelis,
Cùm tegitur cauſis res malè geſta ſuis.
Namq; alius læſam, trahitur dum fortè, ſagittam
Clamat, & hæc noſtri eſt, inquit, origo mali.
Aut tacito explorat currentis pollice nutus,
Facta recens teli rimula ſi qua patet.
Aſt alius tentat labefacto ſtamine neruum,
Et dolet hunc uires non habuiſſe ſuas.
Aut notat in medio turgentia tramite fila,
Quâ leuis in torto fune ſagitta ſedet.
Inſertasq́; nuci commiſſas unguine chartas
Reijcit,

Reiꝫcit, atq; omnem diluit arte moram.
Aut mouet in ſummo præfixam ſtipite ſellam,
Quâ uehitur iuſſam pulſa ſagitta uiam.
Mollius hic tereti ſubmiſerat ora columnæ,
Quæ gerit appoſita tela regenda manu.
Alter at inſolita dum raptat uincula dextra,
Torſit in obliquum ſpicula uerſa latus.
Pars etiam chalybem iuſto curuamine flexum
Dum negat, in dubium cornua lenta uocat.
Aut nuce luxata, queritur quòd largius æquo,
Euolet incertis acta ſagitta modis
Pars nebulam, aut motos accuſat in aëre uentos,
Et crebro humentes aſpicit ore polos.
Aut mutata loco ueſtigia ſortè, reponit,
Et uariè poſitos fertq́; refertq́; pedes.
Deniq; tot clara fulgent uix ſidera nocte,
Aut tot uerna nouis floribus arua micant:
In promptu quot ſunt purgandi crimina cauſæ,
Quæ ſors aut hominum propria culpa dedit.
Hoc igitur pacto ſolem hunc, geminosq́; ſequẽtes
Incerti peragunt, ſpem uariante metu.
Et nunc hos uultu uolucris Dea, nunc fouet illos,
Inq́; uicem lætos, attonitosq́; facit.
Ictus at poſtquam bis iam fecere nouenos,
Qui numerus pugnæ totius omnis erat,
Iamq́; peracta ſuum poſcunt certamina finem,
Colligit & quartum feſſus Apollo diem,

Aduolat ingenti ueniens uictoria plauſu,
Et tandem certo ſtat pede fixa loco.
Vrbs uetus in dextra Mœni ſtat condita ripa,
Mercibus, & populo nobilis omnigeno.
Tunc cum uerna nouo miteſcunt tempora ſole,
Et ſpacio redeunt umbra, dieſqúe pari.
Aut cũ Libra graues immittit frondibus Auſtros
Et folia arboribus pallida facta cadunt.
Inde ſatus, reliquos arcu ſuperauerat omnes,
Et poſitum undecies fixerat ære ſcopum.
Quæq; loco ſtabant uictori debita primo,
Lege merebatur dona referre Ducis.
Ergò illum paßim dextra, læuaqúe petentes,
Victorem magno uocis honore uocant.
Et iuxtà aurata ſplendentem fronte iuuencum,
Gratanti ſtatuunt præmia prima manu.
Applaudunt ſocij, longaq; per atria pompa
Deducunt lætum ſorte, locoq; uirum.
Poſt alij, ut fretus fortuna quiſq; ſecunda
Fixerat in medio ſpicula plura ſcopo,
Argenti aut auri donantur pondere certo:
Et ſua pro merito præmia quiſq; refert.
Nec ſolum uirtus aliquo penſatur honore,
Sed manet ignauos & ſua pœna uiros.
Namq; leues fruſtra qui tot miſere ſagittas,
Quot numero pugnæ pars fuit acta prior,
Accipiunt ſolitas auerſo corpore plagas,

Expoſi-

Expoſitiq́; iocis, uerberibusq́; iacent.
Quos bicolore gerẽs trifidã cum ueſte tabellam,
In numerum poſitos uoce manuq́; ferit.
Et circùm ſocij reſpondent uertice nudo,
Et repetunt notos, ingeminantq́; ſonos.
Atq; ita compoſito tanti certamine ludi,
Debita cum uictis præmia uictor habet.
Quos deinde alloquitur paucis pro tempore uerbis,
Et ſtudiũ Princeps laudat, & obſequiũ.
Cœptorumq́; breues exponens ordine cauſas,
Et patriæ, & pacis qualia dictat amor.
His animi triſtes, inquit, depellite curas
Rebus, & à longo ſoluite corda metu.
Quemq́; dedit fortuna locum, quæ præmia cuiq́;,
Accipite, & lætum concelebrate diem.
Et iam finis erat, reditum paßimq́; parabant
Hinc populi, hinc procerũ, nõia clara, genus:
Ecce tibi geminæ forma præſtante puellæ
Incedunt altæ per tabulata domus.
Pulchra quibus talos ueſtis deſcendit ad imos,
Oraq́; purpureo tincta pudore nitent.
Hæ maris apportant textam de rore coronam,
Atq; auri multo uimine conſpicuam.
Atq; oculis circùm luſtrantibus omnia ſeruant,
Aſpiciant ſi quã, cui ſua dona ferant.
Stabat in aduerſa medio ſub limine parte,
Vangionum è populo candidus ore ſenex:

Curia quem celebrem faciebat, & ordo Senatus,
Et res per uarias publica geſta uices.
Et ciues inter crebro certauerat arcu,
Et tulerat facili præmia ſæpè manu.
Hunc illæ impoſita quæſitum fronde coronant,
Inneƈtuntq́; comis tempora cana nouis.
Agnoſcunt ſocij factum Ducis, et noua quondam,
Expeƈtant ſimilis munera lætitiæ.
Amplexiq́; uirum, repetito laudis honore,
Ducunt per longos uoce manuq́; foros.
Quos Princeps iterum uerbis affatus euntes,
Moris, & antiqui commonet officij.
Vtq́; eadem crebris redeant ſpeƈtacula ludis,
Et releuent animos talia multa graues,
Inſpeƈtare iubet frondentis ſigna coronæ,
Et data uirginea florea ſerta manu.
Inq́; orbem ſolitis certamina nota ſagittis
Ponere, & exemplis arma mouere ſuis.
Ac ne quis leuia, aut æuo ignorata priore,
More geri demens arguat iſta nouo.
Aetatis repetens artes, & nomina priſcæ,
Commemorat pharetras pulcher Apollo tuas.
Fataleſq́; Phrygum, Tirynthia tela, ſagittas,
Priamides quarum uulnere uiƈtus obit.
Dardanioſq́; arcus, magnus quos ſenſit Achilles,
Troianoſq́; alios arma Lycaonidæ.
Et quibus altiuolans fixa eſt ſub nube columba,

Et

Et quibus uſus obît rex uetus Oechaliæ.
Addit & Alconis laudes, & ſpicula Teucri,
Et Laertiadæ cornua flexa manu.
Factaq́; Trinacrijs Troum certamina campis,
Alteraq́; Aemonio facta Menætiadæ.
Quæ ſi non ijſdem telis, arcuúe peracta,
Arcuq́ue & telis acta fuere tamen.
Hinc pacem ſocijs, & feßis ocia rebus,
Manſuraſq́ue diu fata precatus opes:
Hæc ut fœlici ſuccedant omine uota,
Cœlicolûm multa numina uoce rogat.
Atq; ita perfecto lætos ſermone remittit,
In patriam ducit quâ uia quenq́; ſuam.
Salue magne parens, diuûm genus, inclyte Prin-
Salue magnanimi uera propago Iouis (ceps,
Vtq́; facis, pacis ſtudium, parteſq́; tuere,
Et data manſuris ocia rebus ale.
Bella gerant alij, uexent terroribus urbes,
Immittiq́ue ferant arua, domoſq́ue manu:
Te tranquilla quies iuuet, & concordia rerum,
Te cultus ſuperum, & pacis amica fides.
Te pietas, te connubij ſincera uoluptas,
Ocia, & ingenuis tempora miſta iocis.
Et facilis cultura ſoli, & iuga conſita uite,
Et bona cum Bacchi numine iuncta Ceres.
Sint leges, legumq́; uetus reuerentia custos,
Sit pudor, & ſtudijs dedita cura pijs.

Præcipuè teneræ tangunt tua pectora Muſæ,
Edlta cœleſti ſemine turba Iouis.
Queîs nihil in toto reſtat præclarius orbe,
Nec quidquam tempus ſanctius omne tulit:
Quæ mores hominum fingunt, animosq; recẽtes,
Et prohibent mentes à feritate rudes.
Virtutesq; uirûm, & ſæcli monumenta prioris
Emori, & extingui tempus in omne uetant.
Nam quis Abantiaden, quis magnum noſſet Achillem,
Theſea, & Herculeæ fortia facta manus?
Quis tot Achæmenio ductos ex hoſte triumphos,
Subditaq; Emathio Perſica regna iugo?
Aut Tyrios Italo deuictos Marte colonos,
Punicaq; Auſonijs arua ſubacta uiris?
Si non Aoniæ ſeruaſſent omnia Muſæ,
Sciret & illarum hæc munere poſteritas.
Muſæ res hominum celebrant, laudesq; Deorum,
Cœleſti famam conciliantq; Ioui.
Hæ quoq; Pipinos, Latij noua nomina Regni,
Et cœlo Hainricos aſſeruere duces.
His ſenior uiuit ueſtra de ſtirpe Rupertus,
Et par antiquis laude Philippus auis.
Et nuper cœli frater ſuper additus oris,
Ille tuus, pacis dux Ludouicus amor.
Cuius ob interitum longo Germania luctu,
Demiſit uultus, occuluitq; ſuos.

Cui

Cui quia te ſimilem facilis natura creauit,
Ingenio, & multo pacis amore parem:
Has quoq; perpetuas tranquillæ pacis alumnas,
Præſidijs clemens ipſe tuere tuis.
Caſuraſq; iterum magno diſcrimine rerum
Suſcipe, & in tuta ſede repone Deas.
Succurrant animo regum tibi facta priorum,
Italides paßim, Parriſiæq; Scholæ.
Succurrant animo generis monimenta paterni,
Milliaq; in doctos tot numerata uiros.
Quodque diu dextro cœpiſti numine fretus,
Et superûm fatis, auſpicioque Deûm.
Proſequere, & tacitas cura præuerte ruinas,
Venturiſque malis, quâ potes, affer opem.
Sic cum dilecta creſcat tibi coniuge uita,
Et ſuperent Pylij *tempora ueſtra ſenis.*
Sic Dominus, *rerum penes eſt quem ſumma po-*
teſtas,
Ipſe tuas uires, ipſe gubernet opes.

ELEGIA GRATVLATORIA IN ELECTIONEM ILLVſtrißimi Principis OTTONIS HENRICI, Comitis Palatini, Ducis utriuſq; Bauariæ, Electoris, &c.

QVAE modò lugubri ſediſti flebilis ore,
Dum gemis amiſſum mœſta Thalia Ducem,
Et neq; te ſolitæ rapiunt in carmina uires,
Nec tua qui quondam pectora motus agit.
Erige demiſſos iterum in ſublimia uultus,
Floribus & molli gramine uincta comam.
Erige læta caput, poſitoq́ue dolore priorum,
Ad ſolitos reuoca plectra fideſq́ue modos.
Ecce tibi Eoo Phœbus nitet alter ab ortu,
Qui tua luminibus temperet arua nouis.
Ecce redit ſummo tibi miſſus ab æthere Princeps,
Auſpicio magni, conſilioq́ue Iouis.
Qui tua, quæ longo iacuerunt ſqualida luctu
Excitet, & nutu recreet ora ſuo.
Cui uirtute parem neq; ſæcula noſtra tulere,
Nec talem poſthac forſitan ulla ferent.
Quo duce non tantum ſtudij cultura prioris,
Et ueteris Muſæ dulce redibit opus:
Sed pietas, & priſca uiris exercita uirtus,
Quæq́ue tegit cuſtos cætera dona quies.
Iuppiter, & celſos habitantia numina cælos,
Numina perpetua concilianda prece.
Ferte uiam cœptis, & tantos Principis orſus
Dirigite, ut ueſtra res eat omnis ope.

Nãq; age, quas laudes, et quæ tua facta canamus,
Verſibus ô ſemper Dux memorande meis?
An tua quæ toto pietas celebratur in orbe,
Quàm latè Rhenus uoluit, & Iſter aquas?
An ſtudium Muſæ referam, ſociaſque ſorores,
Ante alios quarum numina primus amas?
Difficile eſt tantas inter diſtinguere laudes,
Nam uirtute refers par ab utraq; decus.
Atq; ea cura tua eſt, is ſacri pectoris ardor,
Vt repares cultus, reſtituaſque pios.
Vnus ut his fato natus uideare iuuandis,
Siue opus eſt opibus, ſiue opus ingenio.
Nec te tanta mouet ſæclorum iniuria, nec te
Rebus quòd comes eſt gratia rara bonis.
Quò minus incœptum peragas, poſitoque timore
E medio tollas, quâ licet, omne nefas.
Sed procul amota ueteris caligine mundi
Imbuis accenſa languida corda fide.
Qualia uera monet ſpes, & fiducia cœli,
Quæque ſacro mentes iungit amore fides.
Qualia & ipſe iubet ſummi regnator Olympi,
Qui firmas hominum res, animoſque facit.
Ceu quondam Ezechiæ firmauit pectora regis,
Sperneret ut uani uerba minaſque ducis.
Tunc cùm uicinis trepidarent omnia caſtris,
Et circum Solymos hoſtis haberet agros.
Aut ut Ioſiæ roborauit numine dextram,

Frangeret ut falſi templa, domosq́; Iouis.
Tolleret & fatuos uulgi ludibria Belos,
Lignaq́; pro uero, ſaxaq́ue, culta Deo.
Exemplo cuius uæſanos tu quoq; ritus
Eijcis, & ficto ſacra dicata Ioui.
Et damnata diu longo tua regna ueterno,
In lucem reuocas ſpe meliore nouam.
Hinc monitore Deo, ueram de fonte ſalutem
Quærere, & aßidua uoce rogare iubes.
Non uti Phidiacum quondam coluere Tonãtem,
Aut Ioue progenitam Dorica turba deam.
Nec uelut eductum Rhodij ſub ſidera Phœbum,
Aut Capitolinum Roma uetuſta Iouem.
Verùm animo puro, puro quoq; pectoris æſtu,
Et fretos ſolo numine Chriſte tuo.
Ceu quondam pelagi uates, qui merſus in undis
Solymus, orabat numen opemq́; Dei.
Macte animo, ſic fama uenit, ſic itur ad aſtra,
Nomina Dijs geniti ſic meruere prius.
Nõ ut Theſſalicum dorſo ferat Oſſan Olympum,
Aut ſtet Peliacis auctus uterq; iugis.
Quale putant, ætas quos profert noſtra Gigãtes,
Scandere qui proprijs uiribus aſtra uolunt.
Monſtra, ferasq́; olim ſtrauit Tirynthius heros,
Affecto pacem reſtituitq́ue ſolo.
At maius quantò, uerum cultumq́ue fidemq́ue,
Non ueros contra eſt aſſeruiſſe Deos?

Scilicet

Scilicet ut terris præſtat uirtutibus æther,
Aſtraq́ue Sol uincit lumine cuncta ſuo:
Cætera ſic pulchro ſuperat benefacta labore,
Quo duce ſtat pietas, quo duce tuta fides.
Sed uelut irriguum fruſtra plantaueris hortum,
Ni ſit qui crebra uerſet, aretq́ue manu.
Et fruſtra in lento turgeſcit palmite gemma,
Si deſit liquidum cui ferat illa merum.
Sic quoq; quæ Domini plantata eſt uinea uerbo,
Si cultu careat, terra iacebit iners.
Quós igitur cultus, aut quas adhibebimus artes?
Nempè has quas ſecum Muſa pudica refert.
Tempora quæ prudẽs componit noſtra uetuſtas,
Seruat & innumeros ante peracta dies.
Nec ſinit ut rectè ueniant obliuia factis,
Aut meritum digna ſtet ſine laude decus.
Sed mentes hominum regit, & uariabile pectus,
Soluit & abſterſo lumina cæca luto.
Virtutemq́ue ſuo laudis commendat honore,
Hancque ipſam precium concinit eſſe ſui.
Nec tantum uerbis laudat, qui pollet & ore,
Quale genus paßim tempora noſtra ferunt.
Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia uiuunt:
Sed benè qui faciunt, hos docet eſſe bonos.
Hinc quoq; ſublimes tollens ad ſidera uultus,
Admonet authoris pectora noſtra Dei.
Et patriã antiquam, & ſedem expectare beatam

Hic iubet, & Chriſto regna parata Deo.
Deniq; quæ propria eſt ueræ pietatis amica,
Et iungit ſocias, quoquò abit illa, uias.
Hoc quoq; enim conſtat, Muſæ quòd purior uſus
Incedit paſſu cum pietate pari.
Atq; hæc illius ſtudio exornata niteſcit,
Exerit & uires altius ipſa ſuas.
Et uelut Alcides fertur defendere Muſas,
Laudibus illius tollere facta Deæ:
Sic quoq; ſorte pari Pietas & Muſa feruntur,
Altera & alterius munere tuta manet.
Aſpice præteriti tot retrò ſæcula mundi,
Et ueterum numera facta priora ducum.
Cuncta ferè inuenies potiore exercita cultu,
Et minus ambigua tempora miſta fide.
Muſa quibus ſacris melior fuit addita rebus,
Atq; eadem primis tradita pura ſcholis.
At contrà ſpretis ſordent quoq; cætera Muſis,
Verbaqúe cum uerbis conuenienter eunt.
Quoq; magis premitur, iacet & ſine honore Camœna,
Hòc etiam pietas uilior eſſe ſolet.
Nam quoties ſpargi cœpit doctrina ſalutis,
Veraqúe de nato uirgine fama Deo?
Et tamen hæc eadem retrò ſine fruge relapſa eſt,
Temporis atq; hominum prodita barbarie?
At melior poſtquam, quiſquis fuit ille, uirorum
Protulit in lucem ſcripta uetuſta nouam,

Et

Et gemino linguæ fretus ſermone, priorum
Erudijt mentes, reſtituitque pias:
Vaneſcunt tenebræ, & ueteri caligine mentes
Deterſæ, uero lumine uera uident.
Et pietas, & auita Dei cultura refulget,
Sermoq; de pura clangit in orbe fide.
Hoc quõdam & ſectæ monuerunt fulgura flãmæ,
Igneaq; in ſacro uertice lingua patrum.
Cûm ſacer ætherea delapſus ſpiritus arce,
Accendit facibus pectora ſancta nouis.
Mox patuit Domini totum doctrina per orbem,
Quantum eſt Eoos inter & Heſperios.
Ergò hæc qui tanto uenerariis numina cultu,
Et teneras iungis cum pietate Deas.
Et uelut Alcides Muſarum nomine Ductor
Iſſe diu doctos creditur ante choros,
Sic omnem impendis curam, ſic ipſe laborem,
Lapſas ut releues, reſtituasq; ſcholas.
Quanta tibi Princeps debetur gratia, quantaſ
Quæue ſatis merito eſt gloria digna tuo?
Bella gerunt alij, quatiunt terroribus urbes,
Infeſtant miſeras, diripiuntq; domos.
Pars etiam cœlo pugnat, poſitoq; pudore
Turba ferox Domini prouocat arma Dei.
At tu diuinæ ſerues ut munera pacis,
Hoc agis, hoc ſtudium eſt nocte dieq; tuum.
Cumq; ſua ſocias iungis pietate Camœnas,

Mutua ut ambarum dona regantur ope.
Et quiſquam ſummo te non ueneretur honore,
Tot rectè paßim qui tua facta uidet?
Adde, quòd exemplis alios hortaris eódem,
Vtq; uelint ſimili degere laude, facis.
Quæq; diu magno rerum molimine cœpit,
Ille, in te cuius nunc rediere uices.
Hæc & perſequeris, nec tanto cœpta labore
Vt fruſtra pereant, re, monituq; facis.
Quæ niſi quis conſtans in te foret ardor honeſti,
Et ſtudij & uitæ commodioris amor,
Nunquàm ſuſciperes tanto peragenda labore,
Aut toties curis conficerere nouis.
Præcipuè iſta tui ſunt optima ſigna fauoris,
Quóq; tibi flagret pectus amore, docent.
Tãtum idẽ ſtudio quod & æuũ ſcripta per omne
Colligis, & libris pulpita tanta reples.
Ceu quõdam Aegypti fecit Philadelphus in oris,
Dum cogit toto quidquid in orbe latet.
Fecit & Auſonia Princeps Auguſtus in urbe,
Templa Palatino dum ſtruit ille Deo.
Semper enim magnis uirtus Heroibus iſta
Iuncta fuit, multos excoluitq; uiros.
Quos ſimul & uates, & uatum ſcripta iuuabũt,
Nec puduit doctos inter abire choros.
Sic Calaber tumulo ſuperadditus Ennius olim
Scipiadûm totam uexit ad aſtra domum.

Sic

Sic & Pellæum traxit tua Muſa Tyrannum
Qui datum ab Euripi nomine nomen habes.
Vt taceam reliquos, quorum tot nomina, doctos,
Quot propè ſunt claro ſidera fixa polo.
Fœlix ergò ſolum, talem cui fata dederunt,
Et tanto dignum laudis honore Ducem.
Fœlix quæ geminos inter ſita mœnia colles
Exeris, & celſum tollis in aſtra caput.
Quam iuxta gelidus ſinuoſo flumine Nicer
Labitur, & liquidis tendit in arua uadis.
Nam tibi quæ redeunt, aut qualia ſæcula rurſum
Agglomerant fuſis Parca benigna, tuis?
Quæue ſub umbroſa lux hæc tibi ualle refulget,
Illuſtret radijs quæ tua tecta nouis?
Fallor? an aſpicio primæui ſæcula mundi,
Qualia Saturno rege fuiſſe ferunt.
Cùm tutos hominum degebat turba per agros,
Non furor armorum, non metus ullus erat.
Cū neq; dama canē fugeret, neq; cerua leonem,
Paxq; fuit rabidos inter, ouemq;, lupos.
Et duræ quercus ſudarent roſcida mella,
Incultaq; rubens uua pependit humo.
Sed puto, non fallor, neq; enim ſpes uendit inanes
Iuppiter, aut cœli pondere ſigna carent.
Aſpice candentem criniti ſideris ignem,
Pronus in Arctoas qui modò uenit aquas.
Hinc ubi ſigniferum uertit uindemitor arcum,

Et iuxta Erigone quæritat ora patris.
Nempe ea quæ quondam terras Aſtrea reliquit,
Signa iterum reditus præbuit iſta ſui.
Aſpice quàm claro fulgent modò ſidera cœlo,
Et ſolito Phœbus purior orbe nitet.
Et gaudet lætis uernanti gramine campis,
Floribus & molli cinctus odore comas.
Omnia quæ ſpondent uenturi commoda ſæcli,
Et noua promittunt tempora, fata noua.
Ipſe quoq; ambitas qui cingit flumine ualles,
Lætior aſſuetas Nicer it inter aquas.
Et iuxta liquidæ ducentes agmina nymphæ,
Geſtant puniceis tempora uincta roſis.
Quas ille inſolito miſcentes gaudia uultu
Aſpiciens, quæ ſint ocia tanta rogat.
Mox cauſam edoctus, memorãtibus oĩa nymphis,
A cœpto curſus ſoluit & ipſe ſuos.
Et dextra mulcens pendentem uligine barbam,
Aut hos aut ſimiles edit ab ore ſonos:
Tãdem igitur reducis fulgent noua tẽpora lucis,
Et ſponſore fides ſtat ſua tuta Deo?
Tandem læta quies, & uitæ purior uſus,
Muſaq; ſincera cum pietate redit?
Et promiſſa diu patrum Iuſtiſsime Princeps
Sceptra tenes, regni pignora certa noui?
Teq; uident populi longè lateq; regentem,
Terras quas Rhenus, quas rigat Iſter aquis.

Salue

Salue magne parens, rerum ſanctiſſime cuſtos,
Quasq; colunt Muſæ, quasq; colit pietas.
Has olim de te uates fecere priores,
Has ſpes doctorum carmina nota uirûm.
Et rata ſigna dedit ſortis præſaga futuræ
Iuppiter, & longis ſtella comata iubis.
Scilicet è clara uenturum ſtirpe Ruperti,
Dotes qui patrias, quiq; referret aui.
Vtq; diu bello frater uexatus, & armis
Præſtitit inuictum tempus in omne Ducem.
Sic ipſum pacis ſtudio, & pietate perenni,
Laturum celſi nomen ad aſtra poli.
Ceu quondam Amphion Zetho cũ fratre ferũtur,
Deditus hic armis, ille fuiſſe lyræ.
Ergò iterum uirtus proprio ſplendeſcet honore,
Et ueniet rebus priſtina forma bonis.
Quæq; diu latuit pietas, oppreſſa tenebris,
Quam nitor & cultus deſtituere ſuus.
Exeret in lucem caputt, & rediuiua per urbes
Perq; tuos ibit Rhene bicornis agros.
Addent ſe ſociæ procul ex Helicone ſorores,
Quiq; regit teneras præſes Apollo Deas.
Addent ſe ſociæ pax, & concordia rerum,
Quæq; parit terris ocia, ſancta quies.
Nulla hîc barbaries ſubſiſtet, nulla Tyrannis,
Gaudebuntq; noua tempora Iuſticia.
Ipſa Ceres agros flaua ditabit ariſta,

Ipſa dabit pecori pabula læta Pales.
Et pater ipſe noua præcinctus uite Lyæus,
Spumanti implebit grandia præla mero.
Talia ſæcla ſuis dixerunt currite fuſis,
Verſantes hominum pollice fata Deæ.
Sic ait, & placido præter ſua mœnia curſu
Labitur, & læto tendit in arua pede.
At tu cui tanta eſt rerum conceſſa poteſtas,
Cui ſolum, & regni tradidit arma Deus.
Reſpice uota uirûm, Princeps uenerande, piorũ,
Et benè conceptam ſpem, ſine, facta probent.
Succurrant animo, ueterum præconia regum,
Quos Latium, uel quos Dorica terra tulit.
Plurima pars quorum fama ſuper æthera nota,
Nunc quoq; non uanæ præmia laudis habet.
Succurrant animo maiorum exempla tuorum,
Et Pallatinæ nomina nota domus.
Quorum alij ſanctas accenſi numine mentes
Ornârunt opibus templa, domusq́; ſuis.
Aſt alios ſacræ tenuit reuerentia Muſæ,
Quamq́; uides, iſtam conſtituere Scholam.
Deniq; ſuccurrant, quorum nunc nomina geſtas,
Parte quidem Henricus, parte uocatus Otho.
Nam quis Saxonici neſcit primordia regni,
Et toties forti prælia geſta manu?
A quibus & Bauarûm quæſita eſt gloria genti,
Vtraq; dum fratrum tuta ſtat arbitrio.

Aut quis Francorum non nouit nomina regum,
Ordine quos ternos protulit una domus?
Qui dum maiorum leges & iura tuentur,
Pontificum quas non ſuſtinuêre minas?
Quorum ut nota ſequi ueſtigia tu quoq; pergas,
Et genus, & proaui, & te tua fama mouet.
Sed nihil aut uerbis opus, aut hortamine longô eſt,
Iamq́; patent pridem carbaſa paſſa Notis.
Tu modò, quem penes eſt noſtræ cuſtodia uitæ,
Numine qui uerſas tempora cuncta tuo.
Da pater ut noſtris propria hæc ſint oĩa rebus,
Inueniantq́; ſuam uotaq́; ſpesq́; fidem.
Sic tua per totum celebrentur nomina mundum,
Et genus imperijs pareat omne tuis.
Sic patre te, genitũ quondam, ſed uirgine matre
Agnoſcant homines mente, fideq́; Deum.

FINIS *Libri tertij.*

Iacobi Micylli

SYLVARVM LIBER QVARTVS.

IOANNI MYLEO IN ITALIAM PROFICISCENTI.

AERIAS *igitur tu nunc contēdis ad Alpes,*
Pars animi pridem magna Mylee mei?
Et patria, & natis petis Itala regna relictis,
Vt titulo redeas ditior inde nouo?
O mihi ſi ueteres reddat modò Iuppiter annos,
Sitq; uigor membris, qui fuit antè, meis.
Quàm cupiam tecum longos errare per agros,
Pinguiaq; Oenotrij culta uidere ſoli.
Euganeosq; ſinus, Phrygijq; Antenoris urbem,
Inq; ipſo (mirum) condita tecta ſalo.
Quâ fumās Aponus, quáq; irrigat arua Timauus
Arua Pylæmeneis quondam habitata uiris.
Hinc Mutinam, & Parmam, & uicinæ tecta Cremonæ,

Et

Et quæ Thebanæ nomina uatis habent.
Quâ Padus irriguos fœcundat flumine campos,
Et iuxta liquido Mintius amne fluit.
Nec procul Heliades ſtillant electra ſorores,
Dum caſum fratris, duraq; fata gemunt.
Parte alia ripas iactat Ticinus ouantes,
Et modò Gallorum nobile clade ſolum.
Quæq; alia aut æui celebrauit fama prioris,
Aut ætas hominum miſit in ora recens.
Singula quæ cupido luſtrarem lumine tecum,
Paſcerem & obtutu pectora læta nouo.
Sed quia non eadem eſt uitæ data cuiq; poteſtas,
Meq; alijs curis Dij uoluere premi.
Interea hoc ueteris paruum cape munus amici,
Sitque tibi pro me noſtra Thalia comes.
Vade bonis auibus, noſter, uade Hercule dextro,
Propoſitique tenax perfice lætus iter.
Sic tibi ſit facilis diuini numinis aura,
Sic faueant ſtudijs fata, Deuſque tuis.
Quique olim medijs Solymos ſeruauit in undis,
Cum parte immotum ſtaret utrâq; fretum.
Idem te tegat, & per tanta pericla uiarum,
Te reducem nobis reddat, & incolumem.

IOANNI MYLEO SVO.

Quid quæſo facis ô Mylee noſter,
Quid tanto ſpacio facis dierum,

Verſus, an pueros, an horum utrumq;?
Oblitus ueteris quòd es ſodalis.
Nec uiſis uidua domo ſedentem
Et ſecum mala multa cogitantem.
An talem titulus facit ſuperbus,
Et nuper Latijs relata terris
Fama, & nomen, & amplitudo honoris?
Sed non es puto tam ſuperbus ipſe,
Nec te dum pudet omnium tuorum.
Quæ ſi uera puto, memorq; noſtri es,
Huc ad me uenias Mylee noſter.

IN EPISTOLAS EOBANI HESSI POETAE.

Heßi poëtæ ſi quis effigiem cupis
Veræq; uitæ cernere aliquam imaginem
Has illius licet legas epiſtolas,
Quietis, & ſecretiorum interpretes.
Nam nullius ita faciem Apelles pinxerit,
Aut ora ſpeculum obuerſa ſic certò refert,
Vt certa mentis eſt imago, oratio.

IN ILIADA EOAANI HESSI.

Mæoniden Latia memorantem prælia uoce,
Verſaq; in Auſonios Dorica uerba modos.
Caſtraq; cum caſtris Danaûm mutata Latinis,
Et cum Romanis pallia græca togis.

Rom

Rem toties cœptam, ſed nulli rite peractam,
Serior en ætas attamen iſta dedit.
Hanc laudem multi uatum petiêre priorum,
Sed propriam ſolus, quam ferat, Heſſus habet.

IN ECLOGAS VERGILII, περιοχαί.

IN PRIMAM.

Amiſſos bello patrios reparauerat agros,
Id memor, hic prima laude poeta uehit.

IN SECVNDAM.

Proxima non æquos querimonia deflet amores,
Dum paribus ſtudijs, hic amat, ille fugit.

IN TERTIAM.

Tertia paſtorum repetit certamina Muſa,
Cantatum Siculis antè poema modis.

IN QVARTAM.

Quarta, dum genitã celebrat tibi Pollio prolem,
Gratatur ſæclis ipſe Poeta ſuis.

IN QVINTAM.

Daphnidis in quinto ploratur carmine fatum,
Seu Cæſar, ſiue is Flaccus habendus erit.

IN SEXTAM.

Res Epicureas ſexta canit, & noua mundi
Semina, dum ſeruit, Vare poeta, tibi.

IN SEPTIMAM.

Septima Amœbæo certat cum Thyrſide uerſu,

Ortygias iterum Muſa ſecuta uias.

IN OCTAVAM.

Octaua, ingratum uerbis accuſat amorem
Alter, ſed magicas altera tentat opes.

IN NONAM.

Ipſe ſuas nona commendat parte Camœnas,
Militis ulciſcens arma, poeta ſuis.

IN DECIMAM.

Vltima Muſa graues Galli decantat amores,
Dum reuocat greſſus dira Lycori tuos.

IN LIBROS GEORGICῶN
Vergilij περιοχαί.

IN PRIMVM.

Quid faciat lætas ſegetes, quid molle legumen,
Quæ moueant imbrem ſidera, primus habet.

IN SECVNDVM.

Alter habet uites, & cultum lenis oliui,
Et quot miteſcant inſita poma modis.

IN TERTIVM.

Tertius armenti curam, pecoriſq; recenſet.
Quoq́ue modo morbi, quoq; leuandus amor.

IN QVARTVM.

Poſtremo celebrantur apes, & cerea regna,
Quæq́ue fides populis, quaq́ue parentur ope.

IN LIBROS AENEIDOS περιοχαί.

IN PRIMVM.

Naufragium, & toto diſiectas æquore puppes,
Hoſpitiumque canit primus Eliſſa tuum.

IN SECVNDVM.

Excidium Troiæ, raptumque ex igne parentem,
Et puerum, amiſſa matre, ſecundus habet.

IN TERTIVM.

Tertius Aeneam circum maria omnia iactat,
Dum quærit ſocijs mœnia certa ſuis.

IN QVARTVM.

Quartus uenatum, atq; inconceſſos hymenæos,
Et mortem infœlix narrat Eliſſa tuam.

IN QVINTVM.

Funebres ludi quinto memorantur, & ignes
Puppibus iniecti, & nauita merſus aquis.

IN SEXTVM.

Pallentis ſextus regnum irremeabile Ditis,
Et ſeriem Latiæ poſteritatis habet.

IN SEPTIMVM.

Septimus Italiæ ingreſſum, & primordia belli,
Et furijs Turni concita corda refert.

IN OCTAVVM.

Hoſpitis Euandri regnum, & noua prælia Caci
Octauus canit, & Mulciber arma tua.

IN NONVM.

Inuadit nonus claſſem, & trepidantia caſtra:
Deprenſi pereunt Niſus, & Euryalus.

IN DECIMVM.

Concilium decimus diuorum, & Thuſcã recenſet
Agmina, & Arcadij triſtia fata ducis.

IN VNDECIMVM.

Vndecimo Euandri luctus, & iurgia Drancis,
Fataq́; narrantur dia Camilla tua.

IN DVODECIMVM.

Fœdera poſtremus narrat, turbataq́; ſacra,
Et finem belli, funera Turne tua.

GRIPHVS Ex *Athenæi*
decimo.

Fœminei generis quædam, ceu ſedula mater,
Seruat ſub gremio pignora multa ſuo.
Quæ cum muta ſuam traducant omnia uitam,
Et quaſcunq; uias ire iubentur, eant.
Hanc tamen emittunt uocem, quæ perſonat ultra
Terrarum & pelagi millia multa uiæ.
Et quam, ſi iubeas, externo ſurdus in orbe
Audiet ac abſens quod geris ipſe, ſciet.
At ſi nolueris, quantumuis ſtet prope, nullus
Tàm longè miſſos hauriet aure ſonos.
Rem miram, pariter ſurdos audire, quod optas,
Et mutos, nunquàm quod didicere, loqui

NOX

NOX ET DIES EX
eodem.

Sunt geminæ in magno quo uiuimus orbe ſorores
Partu quas uno ſuſtulit una parens.
Hæ ſimul æquales cum ſint ætatibus ambæ,
Et paribus numeris tempus utramq; premat.
Alternis tamen hæc paritur, parit illa ſororem,
Filia ſitq; eadem, quæ modo mater erat.

VMBRA *ex eodem.*

Dic, quæ progenies per terras naſcitur omnes,
Et per cærulei regna uadoſa maris.
Quæ cum tot membris, quot habent animalia, creſcat,
Atq; eodem uitæ tempora fine trahat.
Diſsimili tamen augetur per corpora motu,
Atq; noua uires conditione parit.
Cætera nam primos animalia quæq; ſub ortus
In tenero exiguum corpore robur habent.
Sic & cum longa labuntur membra ſenecta,
Et properant tacito fata ſuprema pede.
Contra cum mediæ uertuntur tempora uitæ,
Corpora præcipuè cuncta uigore ualent.
At uerò hæc medij langueſcit uiribus æui,
Nec breuibus membris tunc uigor ullus ineſt.
Et rurſum prima ualet, atq; ætate ſuprema,
Maxima ſiue oritur, maxima ſeu moritur.

EX CALLIMACHO CONuerſum εις τὸν ἀπόλλ.

Inuidiæ quondam iactanti plurima uerbis,
Et breue, dicenti, non eſt laudabile carmen:
Calce retro pulſæ, reſpondit talia Phœbus.
Nobilis Euphrates multos perlabitur agros,
Et magno Aſſyriæ per campos flumine fertur,
Sed tamen & ſordes, & humum trahit ille lutoſum,
Nec facile è cunctis, paſſimq; fluentibus undis
Potat apis: ſed quæ ſacris de fontibus ortæ
Gurgite non magno puræ intactæque feruntur.

CONVERSVM EX PRImo Epigrammatum.

Aurea ſum Pallas, dextra effigiata fabrili,
Materiam docti contribuere uiri.
Dimidia nam parte Chariſius obtulit aurum,
Octaua Theſpis, parte Solon decima.
Bis decima Themiſon, operã & reſtãtia ſummæ
Ipſe, talenta nouem, fictor Ariſtodicus.

ALIVD ex eodem.

Aureus ipſe Leo, ſed aquam mihi lumina bina
Et uola dextra pedis, & patula ora uomunt.
Ex quibus hæc ſenas implent cratera per horas,
Dextra

Dextra acies gemina luce, ſiniſtra tribus.
At uola, bis gemina, tu dic ſimul addita, quanto
Craterem hæc eadem tempore dicta replent.

EX GRAECO CONVERSVM.

Inuideas malo, quàm compatiare, poeta
Inquit, Fortunæ nam comes inuidia eſt.
At quorum ſors eſt inimica, horum miseremur,
Quò nolim fœlix, aut nimis eſſe miſer.
Optimus ergò modus, quoniã neq; ſumma laceſſit
Liuor, nec ſequitur triſtia fata pudor.

EX GRAECO CONVERSVM.

Laie Labdacide quæris de prole creanda,
Suſcipies prolem ſocia de coniuge, uerùm
Illius manibus tibi erit fatale perire.
Hoc pater omnipotẽs Pelopi dedit antè precãti
Cuius tu charum rapuiſti ad turpia natum.

AENIGMA SPHINGIS EX Græco conuerſum.

Eſt genus in terris uno ore, bipesq́;, tripesq́;
Et quadrupes, uocem uarians ex omnibus unum
Quotquot alit tellus, quotquot mare, quotquot & æther,
Sed tunc cum pedibus contendit pluribus, artus
Inualidos habet, & minimas in corpore uires.

CONVERSVM ex primo Epigram.

Alciden ueteres quondam cecinere poetæ,
Augiæ immundas euacuaſſe domos.
Altaq; Trinacriæ turbaſſe cubilia nymphæ,
Dum replet egeſto flumina tota fimo.
Antè tamen, tantos quàm ſumeret ille labores,
Poſceret aut facto præmia certa ſuo:
Dicitur armenti numerum quæſiſſe, gregesq;,
Et quota paſtori pars data cuiq; foret.
Cui tunc, Alphæi placidum quæ degit ad amnem
Altera pars ſummæ, rex ait, iſta meæ eſt.
Mox quæ ſub gelido Saturni colle uagatur,
Totius octauam dixeris eſſe gregis.
Inde Taraxiſpi quæ circum paſcitur aram,
Bis ſtabuli ſexta eſt pars numeranda mei.
Atq; inde Eleis errat quæ proxima muris,
Bis decima ſummæ parte trahenda uenit.
At quæ Parrhaſios incedit læta per agros,
Parua quidē, ſed pars ter decima illa gregis.
Quod reliquū, ut cernis, præſenti paſcitur aruo,
Sunt decies numero quinq; putata ſuo.
Hinc igitur totum, niſi ſis rationis egenus,
Non magno poteris ſcire labore, gregem.

ALIVD ex ultimo Epigram.

Fortè merum quondam ſocia cum matre ferebat
Diſtinctis numero ruſtica mula cadis.

Sed

Sed mater longa iam pridem pigra ſenecta,
Duriciem incuſat ponderis uſq; ſui.
Cui mula, heus inquit, uarias depone querelas,
Et quanto uincam pondere, cerne, tuum.
Nam ſi de uaſis, quæ portas, omnibus iſtis
Addatur ſummæ pars ſuper una meæ.
Bis totidem noſtras onerabunt uaſa clitellas,
Quot tua nũc paruo pondere terga premũt.
At ſi de noſtro, quem nos portamus aceruo,
Vnum addas numero, quem geris, ipſa tuo,
Neutrius alterius uincetur pondere pondus,
Aequaq; erit paribus ſarcina utriq; cadis.
Hæc tu, qui numeri calles, ediſſere, leges,
Quotq; tulit dicas, illa uel illa cados.

IN APOLLONIVM HARTVNGI.

Aeſonidæ uarios caſus, uariosq; labores,
Idem quos terra pertulit atq; mari.
Auxilioq; deæ factam, tectamq; carinam,
Raptaq; fœmineis aurea terga dolis.
Omnia quæ quondam Rhodio cantata poetæ,
Traditaq; Argolicis tota fuere modis.
Si quis fortè cupis Latia cognoſcere lingua,
Verbaq; cum uerbis ponere uerſa ſuis.
Hac lege quæ graphica trãſcripſit Oporinus ar(te,
Hartungus Latios iuſsit habere ſonos.

IDEM ALITER.

Qui cupis Aeſonidæ uarios cognoſcere caſus,
Quos idem terra pertulit atq; mari.
Dum petit extremo fulgentia uellera Ponto,
Cernit & inſolitis ſaxa coire modis.
Aut dum ſollicitus ſpirantes naribus ignem
Mittit araturos ſub iuga panda boues.
Omnia quæ quondam Rhodio cantata poetæ,
Traditaq́; Argolicis tota fuere modis.
Hæc, inquã, Auſonia qui uis cognoſcere lingua,
Verbaq́; cum uerbis ponere uerſa ſuis.
Hæc lege, quæ typica trãſſcripſit Oporinus arte,
Hartungus Latios iuſsit habere modos.

IN DONATVM IOANNIS MER CVRII MORSHEMERI.

Grammatica populũ cernens ſine lege loquẽtem
Teutona ut Atlantis uenit in arua nepos.
Hoc quoq; Pierijs, inquit, donabo puellis,
Et flexit Latijs Teutona uerba modis.
Res placuit Criticis, cognomine dictus eodem
Mercurius cœpit Mercuriumq́; ſequi.
Et modò Donatum Latio ſermone docentem,
Teutonico iuſsit flectere uerba ſono.

INSCRIPTIO SCHOLAE FRAN COFORTENSIS.

Secula

Sæcula ſi numeres à Chriſto quinq; decemq́;
Luſtraq́; poſt meſſes bis quater acta duas.
Tempore quo Getico tremuit Germania bello,
Et paßim ſocias traxit in arma manus.
Porticus hæc Latijs fuit inſtaurata Camœnis,
Et ſtudijs, patrum lege, dicata bonis.
Quiſquis amas Muſas, ueræ oblectamina uitæ,
Huc licet aſcendas, cætera turba uale.

IN SVBVRBANVM IVSTI-NIANVM HOLTZ-HAVSEN.

Porticus hæc hoſpes, uicinaq́; flumina fontis
Et circum taciti, prata, nemusq́;, ſoli.
Cuncta ea ſunt Muſis, teneroq́; dicata Lyæo,
Et gaudent cantu, muneribusq́; Dei.
Quò licet hinc abeas, ſi quis neq; carmina curas,
Nec dulci gaudes ora rigare mero.
Sic domini lex eſt, & ſanctio Iuſtiniani,
Auſpice quo locus eſt conditus iſte nouo.

FRANCISCO STVBLINO.

France ſonoroſas inter nutrite Camœnas,
Muſicolæ quondam portus & aula gregis.
Ecquid adhuc læto pergunt tibi tempora curſu?

Teq; iuuant uarijs cantica miſta ſonis.
Fœlix ô nimium fœlix, quem Muſa benigna,
Et Bacchi iuxtà pocula plena beant.
Nos hîc deſerti, quos tecum Muſa reliquit,
Abſentis querimur nocte dieq; uicem.
Et tecum cupimus uel paucas uiuere in horas,
Atq; unà dulces pſallere uoce modos.
Sed labor immodicus, nec millia pauca uiarum,
Pectora quod cupiunt, corpora ferre uetant.
Ipſe tamen ueteris memor ut tibi dicar amici,
Hos ad te uolui mittere uerſiculos.
Tu memorem, ut ueteris te ipſum teſtere ſodalis,
Feſſa tabelliferi lumina redde mero.

INSCRIPTIO FONTIS FRANCOFORTENSIS.

Annus erat Chriſti poſt ſæcula quinq; decemq;,
Et poſt luſtra quater, tertius, acta duo.
Cùm nouus hic ueterem fons introductus in urbẽ,
Impleuit liquidos amne fluentẽ lacus.
Priſca licet Graias mirentur tempora lymphas,
Pegaſe ſiue tuas, Siſyphe ſiue tuas.
Hic, ut non æquet tot claros nomine fontes,
Arte tamen nullo deteriore fluit.

IN FONTEM LYCAEVM
prope Heidelbergam.

Hic

Hic ueteres olim pangebant carmina Muſæ,
Ibat & egelidos inter Apollo lacus.
Dum uada non ullo ſtabant hæc obſita uallo,
Et patuit nymphis unda Lycæa ſuis.
Nunc olidi circùm quærunt ſua paſcua capri,
Et pecus intonſum gramina carpit ouis.
Furtiuæ poſtquàm metuens contagia prædæ,
Obſtruxit uetitos cura miniſtra lacus.
Inſidiasq́; timens, raptorum uimq́; luporum,
Amnicolas modico clauſit in amne lupos.
Siue igitur ratio, ſiue eſt hæc numinis ira,
Quæ prohibet ſacras fonte, lacuq́; deas.
Dij nemorũ indigetes, Fauni, et cum Pane Lycæo,
Oreades nymphæ, turba, fauete, procax.
Ibimus & tacito luſtrabimus omnia greſſu,
Valle ſub umbroſa quâ uia cunq́; patet.
Dumq́; alios fontes, alias inquirimus undas,
Hæc malè qui ſeruas flumina ſepta uale.

IN FLORES AMANTII.

Purpureas alij uiolas, & candida carpunt
Lilia, & in teneris ſemina prima roſis.
Qualia cum Cereris proles Acheloïa nata
Trinacriæ in campis legit odoriferis,
Tunc cum nigrantes egit per prata iugales,
Tertia qui mundi cum Ioue ſceptra tenet.

Quæ ſubitò quouis uento rapiuntur, & imbre,
Inq; ortu pereunt protinus ipſa ſuo.
At tu perpetua flores qui fronde comantes
Quæris & ingenui ſemina uera boni.
Hos hortos adeas, atq; hæc uiridaria Amantij
Quæ triplici uernant flore, colore, coma.
Inuenies aliquid, quod te didiciſſe iuuabit,
Seu Latium, ſeu te Dorica caſtra tenent.

SEQVVNTVR NVMERALIA QVAEDAM.

SEDITIO RVSTICANA.

Captus erat Gallus, coëunt cum rure cohortes.

ROMA CAPTA AB HISPANIS.

Altera poſt captos Gallos, populiq; furores
Aeſtas te capta Roma cruenta fuit.

MORS ZVINGLII.

Occubuit patrijs Orator Cinglius armis,
Et fracta eſt fato gens populoſa nouo.

VIENNA OBSESSA A TVRCA.

Cæſar in Italiam quo uenit Carolus anno,
Cincta eſt Riphæis noſtra Vienna Getis.

VICTO-

VICTORIA CAESARIS,
& capt. Monaſter,

Cæſaris horrificos ſpectat Carthago triumphos.
Et nece punitur rex Anabapta noua.

TEMPVS EXPVLSI DV-
cis Henrici Brunſuicenſis.

Pannonis ut ſocias armauit terra cateruas,
Arte lupi periit ſacculus ipſe ſua.

OBSIDIO FRANCOFVRTI.

Pugnabat Ducibus nuper Francfordia ſenis,
Cæſaris auxilio & Chriſte leuata tuo.

ALIVD.

Bis tribus obſeſſa eſt ducibus Francfordia bello,
Seruauit tectos Chriſtus utrinq; ſuos.

GALLI ADVENTVS IN
GERMANIAM.

Hactenus inuictas habuit Germania uires,
Nunc pauor, ô ſuperi, Gallicus arua tenet.

ALIVD *de eodem.*

Verte tuas uictrix Germania, uerte cateruas,
Ecce tibi uaſtis Teucer oberrat agris.

ALIVD *de eodem.*

Vt ſoluat reliquas uictrix Germania uires
Signa uolant agro Celtica Rhene tuo.

ALIVD.

Cingitur ut ducibus pugnax Francfordia ſenis.
Rhene ferunt ripas Gallica gæſa tuas.

ALIVD.

Cæſareas audax ſequitur Francfordia uires,
Rhene uolant aruis Celtica ſigna tuis.

DE GALLI ADVENTV IN GERMANIAM.

Sæcula tranſierant poſt Chriſtum quinq; decemq;
Et meſſes decies quinq; ſuperq; duæ.
Ecce nouo diſcors trepidat Germania motu,
Alter & alterius frater in arma ruit.
Nec ſatis hoc, miles longinquo ex orbe petitus,
Signaq; ſtant ripis Gallica Rhene tuis.
Vlma potens, & terra dedit cui Norica nomen,
Quoq; uſa eſt olim Francica turba uado.
Obſidione Ducum, teliſq; uiriſq; premuntur,
Incluſi muris fœmina uirq; gemunt.
Puluerea crebro pulſantur mœnia glande,
Et rapit ignitus tecta domosq; globus.
Villarum crepitant iniectis culmina flammis,
Et latè lucent ignibus arua nouis.
Templorum ſæuus lacerat penetralia miles,
Attonita huc illuc, turba ſacrata fugit.
Nuſquam tuta fides, nulla eſt uia certa ſalutis,
Miſcentur fato ſacra, prophana pari.
Heu rerum facies, ô noſtri incommoda ſæcli,
Vt regit auerſus tempora noſtra Deus.

Parcite cœleſtes, uenturo parcite mundo,
Nec ſinite ut terras diſsipet iſte furor.
Neúe premat miſeros maiorum culpa nepotes,
Sit ſatis autori reddita pœna ſuo.
Quid iuuat alternis fratres cecidiſſe ſub armis,
Stringere quid ferrum in uiſcera quenq; ſua?
Nil opus eſt dira fratrum, nil cæde parentum,
Nil opus agnata tingere tela nece.
Iam uenient Turcæ, Getico iam miles ab aruo,
Quotquot & Euxinus millia Pontus habet.
Huc ſi quæ uires, huc robur uertite ueſtrum,
Abſtineat fratrum ſcíſſa cruore manus.
Non ſic Aeacides, non ſic bellator Vlyſſes,
Qui bello externas comminuere domus.
Non ſic Pipini quondam de ſanguine nati,
Progenies populi Francica terra tui.
Sed Solymos auſi gentem peragrare peruſtam
Solibus, & longam per mare ferre ſitim.
Dura Palæſtinis mouerunt bella colonis,
Et pepulere ſacris numina uana locis.
Illi etiam Chriſti tumulum, monumentaq; ſacra
Gentis Idumææ ſurripuere iugo.
Fatidicosq; uiros, diuinaq; iuſſa ferentes,
Sedibus, & templis aſſeruere ſuis.
Quæ uos maiorum par eſt exempla ſecutos,
A ſcelere & dura cæde tenere manus.
Et pacem ſocijs, pacem ſeruare propinquis,

Et quotquot charos iuſsit habere Deus.
Nam neq; pace magis gemmæ, neq; ſidera fulgēt:
Pace uiget pietas, pace coluntur agri.

INSCRIPTVM TEMPLO SPIRENSI POST GALLI IN GERMANIAM ADVENTVM.

Quinq́; ter exierant à nato ſæcula Chriſto,
Et meſſes annus quot habet hebdomadas.
En fremit inſolito Germania concita bello,
Mutuáq; & fratrem frater in arma trahit.
Nec ſatis, externo coguntur ab orbe manipli,
Signáq; ſtant ripis Gallica Rhene tuis.
Mœnia terna graui mox obſidione premuntur,
Quâ uada Pegneſus, Mœnus, & Iſter habent.
Et ferus hæc templi lacerat ſacraria miles,
Dum profugus moritur præſul in exilio.
Nil opus autorem tàm ſæui quærere motus,
Ipſa perit fato Teutonis ora ſuo.

OFFICIVM CONIVGIS.

Τί πρέπον ἔστι γυναιξὶν ἐρωτηθεῖσα θεανώ,
Ἀνδράσι τοῖς ἰδίοις εἰ ἀρέσκειν ἔφη.

IN

IN SCYPHVM SEPTIGEMINVM COMITIS A NASSAV. EXPERIENTIA.

Me ſeptemgeminum domini clementia fecit,
Qui bibis hinc, totum, uel bibe tot geminos.

ALITER.

Me ſeptemgeminum madidi poſuere ſodales,
Qui ſapis hunc numerum terq; quaterq; bibe.
Eſſe putas ſeptem, ſeptem quoniam aſpicis oras,
At tu me toties ebibe certus eris.
Vnus cur ſeptem uidear, quæris? quia ſeptem
Sunt multi. at multus cur quoq;? multa ſitis.
Vel totum bibe, uel toties, quot circulus oras
Aureus in toto fingit adeſſe ſcypho.
Me quota zona capit, noſtrum quota littera nomen,
Ipſe ſcyphum toties ebibe, doctus eris.
Aut bibat, aut abeat, legem dixere priores,
Tu totum, aut totidem, quot ſumus ora, bibe.
Septenus numeros inter perfectus habetur,
Si ſapis hunc toties ebibe, plenus eris.
Septem Danubius, ſeptem facit hoſtia Nilus,
At mihi ſepteno gurgite Bacchus eat.
Dona ſacerdotes ſeptem cecinere priores,
Tu centum, toties hunc bibe, & accipies.
Septem bis geniti memorantur dona Lyæi,
Hinc totidem nobis circulus ora facit.

Terq́; quaterq́; die colimus tua munera Bacche,
Inde ſcyphus numero cingitur iſte pari.

TETRASTICHON *de eodem.*

Cui ſcyphus haud ſatis eſt, toties quem ſubleuet unus,
Ex uno ſeptem nos bibat ille licet.
Idq́; idem toties, donec ſecurus eundi
Dicat, Io ſaturi terq́; quaterq́; ſumus.

OCTOSTICHON *de eodem.*

Septem prudentes, ſeptem miracula mundi,
Septem olim colles Roma fuere tui.
Septem errant ſtellæ, ſeptem ſunt hoſtia Nili,
Et nobis ſeptem circulus ora facit.
Omnia clauduntur numero præclara ſub iſto,
Quo magis & uini conuenit ille deo.
At tu ſi quoties fingit mihi circulus oram,
Ipſe bibas toties, omnia ſolus eris.

IN POCVLVM VVAGEMANNI EX IVNIPERI TRVNCO FACTVM.

Ne mea te moueant hirſuti corticis ora,
Neúe parum gratis frons redimita comis.

Intus

Intus dulce latet, quo gaudent pectora, nectar,
Intus uiuifici munera læta dei.
Sic quoq; præruptis celatur cautibus aurum,
Sic ſua margarides aſpera concha tegit.
Caſtaneæq; nuces duro clauduntur echino,
Clauditur & ſtrobilis pinea parua ſuis.
Nil niſi quod uile eſt, ullo patet abſq; labore,
Difficilesq; aditus optima quæq; tenent.

DE EODEM.

Iuniperi truncum cernis de ſtirpe reciſum,
At ſpumant dulci uiſcera noſtra mero.

MALLEVS POTORIVS.

Comminuet fractum tibi malleus iſte cerebrum,
Huius ſi tentes interiora nimis.

IN ARATI PRAELE-
CTIONEM.

Rhetoris Actæi tractauimus hactenus arma,
Queis Macedûm infeſto reſtitit ille duci.
At nunc ſidereos iidem ſpectabimus ignes,
Tota quibus cœli machina nocte micat.
Scilicet ætherea qua quiq; in parte morentur,
Quos habeant ortus, quos habeant obitus.
Quid pariant Hyades, & quid nimboſus Orion,
Quasq; trahat ſecum menſtrua luna uices.

Omnia quæ Graius quondam cantauit Aratus,
Antiqua Cilicum natus in urbe Solis
Quare age ſi quis amas noſtra hæc cognoſcere uoce,
Nec te operæ, aut noſtri pœnitet officij:
Huc ades, antiqui quâ ſtant monumenta ſacelli,
Quâq; docet leges Myſtica turba ſuas.
Tempore quo liquidas iterum ſol tēdet ad undas,
Fecerit & geminas hora ſecunda notas.

IN EANDEM.

Lumina cœleſtis ſi quis cognoſcere ſphæræ,
Stellarumq; ortus, interitusq; cupis,
Et quæ uenturas præcedunt ſigna procellas
Quó pluuiam Phœbe, quo ferat ore Notos.
Omnia quæ Graiâ Cilicum generatus in urbe
Muſarum docuit fretus Aratus ope.
Ad ueteris uenias ueſtigia nota ſacelli,
Cum dederit geminos hora ſecunda ſonos.

IN PRAELECTIONEM SOPHOCLIS.

Hactenus Argiuæ ceſſantia pulpita linguæ,
Et deſueta ſuo Dorica Muſa loco,
Incipient iterum ſolitis reſonare Camœnis,
Et noua uernanti pandere uela Noto.
Si quis amas igitur Graiûm monumēta uirorum,
Et iuuat hæc Latijs uerſa tenere modis.

Huc

Huc ades antiqui quâ ſtat uetus ara ſacelli,
Quâq; ſacer tractat Biblica iura chorus.
Hîc tunc quæ reſtãt Sophoclei ſcripta cothurni
Auſonijs dabimus percipienda notis.
Craſtinus à medio cum Sol deſcendet Olympo,
Et faciet curſus hora ſecunda ſuos.

IN EANDEM.

Muſa Sophoclei nuper digreſſa cothurni
Ad loca quæ Brontes, quæ Steropesq; tenent.
Conſilio procerum ueterem reuocata ſub aulam,
Ad ſolitum uerſo calle redibit opus.
Hîc ubi Idumæas quondam cecinere querelas,
Pro Chriſto Pharium qui docuere ducem.
Adſis quiſquis amas Graiûm monumẽta uirorũ,
Hora, qua ſolitum eſt Dorica ſcripta legi.

ALIVD IN EANDEM.

Intermiſſa diu uetus Camœna
Graiûm quæ referebat ora uatum,
Nunc tandem repetet uices priores,
Et plenis noua uela pandet Auſtris.
Quiſquis noſſe uoles graues cothurnos,
Et Scænæ Sophoclem Atticæ magiſtrum,
Adſis cras licet ad uetus ſacellum,
Quod quondam genus Iſaci colebat,
Nunc legum domus eſt idem ſacrarum,

Horam cum rediens ab axe ſummo
Phœbus perficiet gradu ſecundam.

AD NICOLAVM SVVM.

Quòd Nicolle tuum nomen de parte laborat,
Et quòd idem breuius ſyllaba dempta facit.
Ne mirere adeò, ſic quondam ætate priorum
Voce Perillus idem quod Perilaus erat.

NICOLAO KYPSELIDAE.

Si tibi forte libet teneras inuiſere nymphas,
Quas inter madido Lemnius ore furit.
Nec piget ad cæcas mecum deſcendere cellas,
Quâ calet undanti miſta uapore domus.
Quâ ſudant homines, & ſaucia corpora ferro
Contrahit in tumidos ſicya parua toros.
Huc ades, & uarie tecum trepidantia motu
Nicole uel ſuperûm caſtra, uel ima petam.

INSCRIPTIO TINTINNABVLI HEIDELBERGENSIS.

Dorothea dicor, cognomine Pallatina,
Hoc nomen Danis regibus orta dedit.
Imperij elector Fridricus me faciebat,
Coniugis hæc eſſent ut monumenta ſuæ.

TITINNABVLVM SPIRENSE HORARIVM.

Quinq;

Quinq; ter exierāt poſt natum ſæcula Chriſtum,
Et meſſes geminæ, & luſtra peracta decem.
Cùm dedit in præceps laceram me miles ab alto,
Mox reduces talem reſtituere patres.

IDEM *Carmen Numerale.*

Me ferus in præceps ex alto iecerat hoſtis,
Excipiunt faciles reſtituuntq; patres.

PVGNA MAVRICII ELECTORIS ET ALBERTI *Marchionis.*
Carmen Numerale.

Qui cecidit, pugnat, qui uicit, is interit, ergò
Gratia par facti, uictor ubiq; Deus.

CISIOIANVS.

Περιοχή.

Vis breuiter ſacroſq; dies ſcire, atq; prophanos,
Hic tibi per digitos Ciſioianus eat.

IANVARIVS *Dierum* XXXI.

Anni princ. Trium Reg. Antonij
Annua feſta Magos, Nabatæáq; dona report Ant.
Fab. & Sebaſt. Vincenti: Conuerſio Pauli.
Pone fabam Vincens, dat Paulus grandia farra.

FEBRVARIVS Dierum XXVIII.

Purificat. Valét.

Cũ Mariæ quarto luſtrãtur ſebrua paratV

Cath. Petr. Math. Apoſt.

Inſere biſſextam poſt Petri Matthia lucem.

Intercalaris ex ſententia colligitur.

MARTIVS Dierum XXXI.

Gregor.

Nocte dieq; pari cum dat breue Gregorius uer

Gertrud. Annunciat.

Germinat, & ſacro flatu Mariæ tumet aluus.

Æquinoctium:

APRILIS Dierum XXX.

Ambroſij.

Clara per Ambroſiam dum fulgent ſidera noctem

Georgij. Marc.

Sæpe dedere famem Gorgi, Marciq; pruinæ.

MAIVS Dierum XXXI.

Philip. & Iacob. Inuẽt. cru. Ioan. ant. port. Sophię.

Lippe crucem fers, Iane ſitim, niſi frigora Sopis

Vrabn. Petronel.

Si uincant pluuiæ, damus Vrbano mala Papæ.

IVNIVS Dierum XXX.

Bonifac. Medard. Viti.

At rutilans Bonus eſt Medardus, & inclyta Vitis

Sole

Ioã. Bap. Petr. & Paul.
Sole rubens uerſo, tunc baptiſabere Petre. Solſtitiũ.

IVLIVS *Dierum* XXXI.

Viſit. Mar. Vldarich. Chilian. Margreth.
It uiſens, Vdus mete Chilo, canina Maritis
Mar. Magd. Iacob.
Stella nocet, tua Peccatrix Iacobe reſurgit.

AVGVSTVS *Dierum* XXXI.

Vinc. Petr. Sixtus Laurent.
Petrus adeſt, da ſextantes, da Laura Coronas
Aſſumpt. Mar. Timoth Bartholo.
Aſtra petit genitrix, tibi Bartole clauditur æſtas

SEPTEMBER *Dierum* XXX.

Ægidij Nati. Mar. Exaltat cru.
Aeger amore furit, Naſcẽs dea ſurge, crucẽ dum Æquino-
Matthæi Apoſt. Michael. ctium.
Nox æquat, dum Matthæi, ſerit æquora Micol.

OCTOBER. *Dierum* XXXI.

Franciſc. Dionyſ.
Spumantes Franciſce lacus Dionyſius implet
Gall. Luc. Vrſul. under [illegible] Simon & Iu.
Gallum Luca, ſed Vrſula te ſequitur Cananites.

NOVEMBER *Dierum* XXX.

Leonard. Martini.

Omnia dura Leuat tuus ô Martine Lyæus,

Præſent. Catharin. Andre.

Dicat Io præſens, dicat Coſtea PæAn.

DECEMBER *Dierum* XXXI.

Barb. Nicola. Conc. Mar. Luciæ

Deſpice Barba Niues, Mariã tibi brVma reducit.

Thomæ Natalis Chriſti

Iam credit Didymus, iam naſcetur Deus orbis.

DE NVMERO DIERVM, NOnarum & Iduum.

Biſſenis totus completur menſibus annus.
Vno & triginta menſis ſtat quiſq; diebus,
Excepto Aprili, Septembri, cumque Nouembri,
Te Iuni, quorum numero lux deficit una.
At cui biſſextus quarto ſuperadditur anno,
Viginti ſolis decurrit febru. octo.
Menſis habet nonas à primo quiſq; quaternas.
Queîs binas addunt, October, Iulius, & Mars,
Et tibi Maia ſacer, poſt Idus octo ſequuntur,
Quod ſupereſt menſis, reliquorum quiſq; dierum
Ante uenturis numerantur retro calendis,
Atq; has digeſtus per partes uoluitur annus.

QVAE

QVAE SIGNA QVIBVS MENSIbus & quoto ferè die oriuntur.

Bruma capro gaudet, Nabata Phryge, Februa piſce,
Vellere Gregorius, Fulgens boue, Caſtore frigus.
Cãcer amat uites, Leo Margara, uirgo coronas.
Sub cruce libra calet, Gallo nepa, Marte ſagitta.

GEORGIO FOLLICIO.

Vangionum è populo doctiſsime nate Georgi,
Qui ſacra Iuſticiæ, Pieridumq́; colis.
Si potes à chara non totam coniuge noctem
Muſarum lætos inter abeſſe greges.
Veſpere, cum clauſo feſſus Sol cedet Olympo,
Et faciet quintam labilis umbra notam.
Ad me cum reliquis uenias conuiua uocatis,
Hoc te, quam cernis, miſſa Thalia rogat.
Vnà erit affinisqúe tuus, notiqúe tribules,
Quos regni ſocios ſors dedit eſſe mei.
Neúe legens noſtri metuas tibi nomina regni,
Hoc alij titulo, tu meus hoſpes eris.

HVGONI BABETO.

Ad te quando uoles ueniam perdocte Babete,
Nec magno ſumptu eſt, ut ſaturemur, opus.
Nec numeroſa tibi, propter nos, turba uocanda eſt,
Vnus pro multis tu mihi ſolus eris.

Quanq̃ & Nicoleos placet, atq; Atlãtide natus,
Cumq́; Myleo is cui nomina cura dedit.
Et quicunq; domo tecum uerſantur in una
Præterea, fidei credita turba tuæ.
Tu modo ne ſumptus facias nimis, optima cœna
Libera quæ perhibet pocula miſta iocis. (*eſt,*

IN IVDICIVM SALOMONIS.

Quo ſua quisq; ferat bona uel mala corde, uide=
Arbitrio lites qui moderare tuo. (*to,*
Namq́; ut uerba reo deſint, & teſtis agenti,
Proditur inditio mens tamen ipſa ſuo.

IN IVDICIVM CHRISTI.

Hic operum finis, rerum eſt hæc ultima meta,
Hæc fora ſtant cunctis mox obeunda reis.
Quare age uenturæ circumſpice præmia uitæ,
Seu benè quid facies, ſeu malè quid facies.

IN IMAGINEM IVDICIS, CVIVS *oculi & manus obligati, aures autem extant utrinq;.*

Iudicis hac iuſti cernis ſub imagine formam,
Quẽ neq; ſors hominũ, nec data dona mouẽt.
Aures qui parti patientes præbet uruiq;,
Atq; oculos idem continet, atq; manus.

AD HENIOCHVM.

Dum

Dum tua te fidibus mulcet teſtudo canoris,
Temperat & dulces addita Muſa ſonos.
Me mea ſollicitis uxor necat improba fuſis,
Dum trahit inuita grandia penſa colu.
Heu quàm diſparibus peraguntur tempora fatis,
Te tua Muſa leuat, me mora longa necat.
Quòd niſi nox crebris properaret ſerior horis,
Verteret & tacitos Mænalis urſa polos.
Aut tua leniret facerem mea tempora Muſa,
Aut mea turbaret cantica ueſtra colus.

DE EODEM.

Dũ ſedet, & gracili modulatur carmina plectro
Heniochus, dulces & regit ore ſonos.
Audijt, & cœlo Phœbus caput extulit alto,
Et quid, ait, noſtram pulſat & iſte Lyram?
Nec ſatis Hæmonias illi didiciſſe tot herbas,
Et quo quæq; leuet languida membra modo?
Sola igitur reſtant uenturi tempora fati,
Quæq; furore canit Pythia rapta meo.
Hæc quoq; ſi norint homines, caueantq; futuris,
Theſſalus heu uerè tunc ego paſtor ero.

TEMPORA INCVRSVS FRANCICI.

Annum ſi quæris quo Francica cœpit Erynnis,
Collige quem numerum Laodamia facit.

Collige quem numerũ facit Admirabile, mox &
Tempora cùm fuimus bellica præda, ſcies.
Dij faciant, iſto tandem res fine quieſcant,
Nec grauior ueniẽs nos quoq; Turca premat.

IDEM ALITER.

Dum ſedet et populis dictat noua iura ſacerdos,
Dum cælum arbitrio ſubijcit ipſe ſuo.
Deficit Arctoum miles collectus ad Albim,
Laxat & obſeſſæ mœnia Parthenopes.
Inq; ſolum uerſus Rhenus quod claudit & Iſter,
Implicat innumeris ſacra, prophana malis.
Tempora qui quæris, tanti numerumquę furoris,
Aſpice quem uerſus litera prima facit.

AD POLYPPHEMVM.

Quòd ſint exigui, noſtros Polypheme libellos
Carpis, meq; aliquid ſcribere grande iubes.
Non omnes Chio ſimiles licet eſſe poetæ,
Aut quantus Pataui natus in hiſtoria.
Nec minus in ſatyra laudatur Perſius una,
Quàm uetus in tota Marſus Amazonide.
Eſt aliquid proprios intra conſiſtere fines,
Atq; animi uires noſcere quenquę ſui.
Sed tu fucorum ſimilis Polypheme uideris,
Qui laceras alios, & nihil ipſe facis.

DE MENALCA.

Mum-

Mumpſimus indocto, quidam pro ſumpſimus ore
Annos orabat terque quaterque duos.
Id grauis arripuit potoris cura Menalcæ,
Vt magnum, cunctis ingeminatque locis.
Et ſeu pocla leuat ſpumãtia, Mumpſimus inquit,
Siue leuat uentris, mumpſimus inquit, onus.
Hoc idem templis, hoc cum ſpaciatur in agris,
Hoc quodcunq; facit, Mumpſimus addit, opus.
Mumpſimus hoc igitur, quibus eſt inſania laudi,
Autoris celebrant ebria turba ſui.

IN TVRRICVLAM ILLVSTRISS. PRINCIPIS PALAT. DVCIS *Ottonis Henrici, qua ille omnis generis no miſmata uetera aſſeruabat.*

Parce hoſpes, ueterũ ſunt hæc penetralia regũ,
Mundus ab antiquo quos tulit uſq; chao.
Huc Princeps deſcendit Otho, cũ paſcere uultus,
Et proceres inter pectora quærit auos.

ALIVD.

Hac incluſa iacet turri ueneranda uetuſtas,
Eſte procul, ſi quos non niſi nota, iuuant.
Hic auro expreſſos, argento, aut ære licebit
Cernere, quos æuum protulit omne Duces.

ALIVD.

Paſcere uis oculos, auidam uis paſcere mentem,

Aſpectuq́; frui, concilioq́; Ducum.
Huc ades, & ueteres cernes ex ordine reges,
Europa atq; Aſia quos tulit & Libya.

ALIVD.

Quid dubitas hoſpes? parua ſub mole theatrum
Aſpicis hîc ingens, & loca digna Duce.
Hîc digeſta iacent æui monumenta prioris,
Totáq; tranſacti temporis hiſtoria.

ALIVD.

Pyramides alij mirentur, & oſtia Nili,
Mœniáq; antiquæ uaſta Semiramidis.
Hac ſub mole, licet, uideas memorabile quidquid
Omne tulit tempus, uel tulit omne ſolum.

ALIVD.

Noſcere uis Graios, Italos uis noſcere reges,
Eooſq́; Duces, Heſperioſq́; Duces,
Huc ades, hîc omnes concluſit mole ſub una
Vnius uirtus, dexteritaſq́; Ducis.

ALIVD.

Quod genus hoc turris, quæúe hæc eſt machina, (quæris?
Diſce, uetuſtatis cella, penuq́; uocor.
Hîc Latij, Græciq́; Duces, hîc Barbara regna,
Moles hæc orbis totius inſtar habet.

ALIVD.

Hæc ſub mole latent uetuſtioris
Aeui nomina, Principumq́; uultus,
Quotquot Sol oriens, cadensq́; uidit,
Res eſt ſacra, faceßite hinc profani.

ALIVD.

Auguſtas facies, ſacrosq́; uultus
Regum, quos tulit undequaq́; tellus,
Moles iſta ſuis tegit latebris.
Abſis, quiſquis habes manus proteruas.

ALIVD.

Καίσαρες, ἡγέμονες, βασιλεῖς, καὶ φῦλα τυράννων,
Ἄρχοντές θ' ὕπατοί θ', οὓς χρόνος ὅιδεν ἅπας.
Τῶνδε φυλασσόμενοι πύργῳ ἔνι πάντες ἔχονται
ἡγεμόνος τέχνῃ καὶ ἀρετῇσιν ἑνός.

ALIVD.

Τίς φυλακή, ζητεῖς, τίνα δ' οἰκοδομήματα ταῦτα,
ἡγεμόνος, ξεῖνε, φρούρι' Ὄθωνος ὁρᾷς,
Ενθάδ' ὅγ' ἄρχοντας καὶ καίσαρας, ἐνθάδ' ἄνακτας
Εἴργει, ὅσους σύμπας πώποτ' ἔθρεψε χρόνος.

IN TVRRICVLAM D. HIERONYMI AGNINI.

Cæſareos uultus, ueterumq́; nomiſmata regum,
Hæc ſeruat loculis machina tecta ſuis.
Parce hoſpes, tactuq́; caue hæc temerare profano,
Quæ niſi ſunt caſta non adeunda manu.

AD LECTOREM DE LVDO SAGITTARIO.

Qui legis hos craſſo deductos ſtamine uerſus,
Et quereris cultus carmen habere parum.
Tempora cum ſtudijs confer præſentia noſtris,
Et dices multum nos potuiſſe nimis.
Nam tritum eſt, leges inter fera bella tacere,
Nec Mars cum Muſis rem bene iunctus habet.

ALIVD.

Cætera qui coëmis tot paſsim ſcripta libellis,
Non grande eſt preciũ, me quoq;, lector, eme.
Aſpicies ſtudium, & placidæ ueſtigia pacis,
Nec mora portanti, nec graue pondus ero.

ALIVD.

Tempus fallere qui cupis moleſtum,
Atq; horas malè collocare paucas,
Exilem licet hunc legas libellum,
Paruo qui tibi comparatus ære,
Nec ſumptus faciet, moramq́; longam,

Si non ſuauiter, attamen leuabit.

AD OLYMPIAM.

Quæ Latias nymphas, quæ uincis Olympia Gra=
Pierij ſacro ſemine nata chori. (ias,
Accipe non æquo deductos ſtamine uerſus,
Et malè Teutonicis carmina texta iugis.
Quæ tibi ſi placeant, Phœbo placuiſſe putabo,
Meq́; operæ precium grande tuliſſe meæ.
Sin autem à uero tibi deerrauiſſe uidebor,
Pluſue, minuſúe aliquid q̃, poſuiſſe, decet.
Materiæ nouitas culpam ſine uendicet iſtam,
Et ueniam, ingreſsis, hanc, iter, adde, nouum.
Namq́; etiam uolucres inter, nõ parua, ſagittas,
Longius à poſito pars uolat acta ſcopo.
Nec quæ ſtridenti iaculo petit eminus hoſtem,
Perpetuò uoti dextera compos abit.

IANO OBSIDIANO.

Vnam ſi libet, alteramqúe mecum
Horam fallere Iane fabulando
Huc ad me uenias licet, bibemus,
Ludemuſqúe ſub arbitro Lyæo.
Soles occidere & redire poſſunt,
Verona genitus poëta dixit.
Nobis cum ſemel occidit breuis lux
Nox eſt perpetua una dormienda.

Ergo donec abit, reditq́; nobis
Sol magni moderator ille mundi,
Idem qui facit & diem reducit,
Subiecti Domino, Deoq́; Chriſto.
Ludo, qua licet, & mero uacemus,
Rumoresq́; ſenum ſeueriòrum
Quantum eſt Clauigerûmq́; Memnonûmq́;
Omnes unius æſtimemus aßis,
Quos cum ſæua uenit manu potenti
Auſteros licet, & minace uultu
Terrentes hominesq́; dæmonasq́;
Nobiſcum feret una mors ſub umbras.

AD EVNDEM.

Cur toties mutet quæris ſua tecta Lyæus,
Atq; iterum ſedes poſcat habere nouas?
Vicinas Sophia nuper migrauit in ædes
Gaudens antiqua ſobrietate dea.
Hanc madidi fugiunt Fauni, Satyriq́; bicornes,
Silenusq́; pater, Therſigeræq́; nurus.
Aſt idem dicis, cur imam tendit in urbem,
Tàm procul à uatum, Pieridumq́; choro?
Iuxta habitant Paphiæ proles cognata puellæ,
Iungi cum Baccho uult ſua caſtra Venus.

IDEM ALITER.

Cur ueteres latebras mutata ſede Lyæus
Linquat,

Linquat, & extrema degat in urbe rogas?
Vicinos habitat ſapientia ſicca penates,
Hanc fugit, hanc madido non amat ore deus.
At procul hinc Veneris iuxta colit antra ſacer=
Hanc pridē ſociam quærit habere deā. (dos?

IOANNI PHILOTO.

Dum tu Chenopodis gaudes dulcedine Bacchi,
Teq́; tuos inter Muſa, Philote, beat.
Hic ubi purpureas delibat uinitor uuas,
Et redolent protropo dolia crebra mero.
Nos uario interea curarum frangimur æſtu,
Dum pars ſæua ſtudet uincere fata fuga.
Pars ſedet, & trepido perculſa ſubinde timore,
Pæonias toto pyxidas ore uorat.
O hominum infirmū genus, impatiensq́; malorū,
Et ueniens ſemper quid ferat hora, timens.
Nec Domino credens, nec quod iubet ille, recor=
Sed totum mundi ſordibus implicitum (dans,
Nam quid Theriaci proſunt alabaſtra ueneni,
Aut Mithridatēis pharmaca miſta modis?
Vel quos Armenij ſeruent medicamina boli,
Aut ſignata ducum Lemnia terra notis?
Si Dominus iuſta peccantes uindicet ira,
Vltrices nobis inijciatq́; manus?
An neſcis capitis numeratos eſſe capillos,
Nec cadere hinc minimū, quin uolet ille, pilū?

Nos Domini, qdqd ſumus, hoc ſumus, illius omnė
Quod ſtat, quodq; cadit, ſtat, cadit, arbitrio.
Illum igitur ſpectes, illum prece pronus adores,
Ille tibi Hippocrates, ille erit Andromachus.
Præcipuė genitum clauſa de uirginis aluo,
Supplicibus uotis, ſupplice poſce manu.
Hic hominum uitæ conſors, conſorsq; tonantis,
Mulcebit placidi pectora cara patris.
Et nos incolumes media inter uincula mortis
A ſæua eripiet numine peſte ſuo.
Hic etiam raptis fato, & iam lumine caſſis
Reſtituet cœlum, reſtituetq; diem.
Cuius perpetuo celebrentur carmine laudes,
Gloriaq; haud ullo ſtet moritura die.

CONFIDE ET AMA.

Confiſus Domino tua pectora crede Tonanti,
Omnis ut illius ſtet tua cura fide.
Nec metus aut rabies ab eo te ſeparet ulla,
Fracta licet toto corruat orbe ſalus.
Inde tuo ſi quis ſtudio, aut ope poſtulet uti,
Debita cui rerum ſors alimenta negat.
Eſſe uelis alijs talis, tibi qualis es ipſe,
Et mala uicini damna putare tua.
Tempora dum præſens mortalia finiat æuum,
Atq; alio ueniens nos leuet aura polo.
Maxima ſic geminis dictat lex ſcripta tabellis,
A Domino Sinai tradita in arce iugi.

IDEM

IDEM ALITER.

Viuere uis rectè? Dominum cole pectore toto,
Ingenij atq; animi cura ſit ille tui.
Lex ea præcipua eſt, & prodita ſumma Prophe
Diuina Moſi tradita prima manu. (*tis,*
Proxima cui deinceps, ut ames genus omne tuo=
Et facias alijs quod cupis ipſe pati. (*rum,*
Req; iuues miſeros, uerbis ſolêre dolentes,
Gratiaq; afflictis ſit tua prompta uiris.

IN NVPTIAS IOAN. FRIDE- *derici* Ducis *Saxoniæ*, Ioannis Fri= *derici filij.*

Pangite gratātes Domino noua carmina Muſæ,
Pangite cœleſti cantica digna Deo.
Ecce redit fœlix iterum concordia rerum,
Mitior & ſummo ſpirat ab axe Notus.
Quæq; diu grauibus [illegible]rarunt pectora curis,
Hæc Deus & melior fœdere iungit Amor.
Salue magne parens, quacunq; in parte piorum
Cœlicolûm ſpectas umbra beata choros.
Et tu magnanimi qui patris iuſſa ſecutus,
Connubio reuocas fœdera priſca nouo.
Ergò olim ueniet luſtris labentibus ætas,
Fiat ut è multis Saxonis una domus.
Quodq; parū placido iacuit ſub numine preſſū,

Floreat, & tempus uiuat in omne decus.

AD CAROLVM HV-GELIVM.

Carole magnorum qui geſtas nomina regum,
Et genus à doctis ducis utrinq; uiris.
Grata fuere mihi tua carmina, grata uoluntas,
Et placet ingenui pectoris officium.
Atq; utinam detur, quo tu me hortaris euntem,
Curſibus hunc portum prêhendere poſſe meis.
Nulli equidem ſtudio, nulli tibi deêſſe labori
Dicerer, aut partes negligere ipſe meas.
Sed me neſcio quæ traxit fortuna ruentem,
Imparibus uinxit quæ mea colla iugis.
Et malè tantarum tot ſubter pondera rerum
Deficit, & curis mens mea uicta iacet.
Atq; ut inexpertus ſuccumbit nauta procellis,
Per mare qui primum tendere cœpit iter.
Sic ego, quem uires, quem rerum deficit uſus,
Horreo, & ad fluctus ipſe ſtupeſco nouos.
At tu quo uirtus tua te uocat, arripe curſum,
Et ſequere Aonias ſpe comitante Deas.
Et capies olim quæſitæ præmia laudis,
Parsq; eris in ſacro tu quoq; certa choro.

AD ANIMVM SVVM

Breuis conſolatio.

Multa

Multa quidē infœlix, multa atq; indigna tuliſti,
O anime, & ſummis annumeranda malis.
Sed ſors hæc uitæ eſt, noſtros quæ colligit annos,
Cumq́; hominum eſt eadem conditione tua.
Perfer & obdura, quis ſcit, quæ tempora reſtēt,
Aut mala quis dexter finiet iſta Deus?
Nō ſemper pluuiæ glomerātur in æthere nubes,
Nec ſemper tumidas uerberat Eurus aquas.
Interdum & cæcis Sol interponitur umbris,
Et redit à multis clarior una dies.
Quare age te obfirma, teq́; ad meliora reſerua,
Inuenient aliquam fata, Deusq́; uiam.

AD MVSAM DE OBITV CONIVGIS SVÆ.

Concipe lugubres mea concipe Muſa querelas,
Et feriant animum triſtia noſtra tuum.
Ecce iacet thalami, quondam mea cura, iugalis,
Ante ſuum ſæuo funere merſa diem.
Quæq́; diu fuerat decus & tutela mariti,
Externo tegitur corpus inane ſolo.
Sic roſa, ſic uiolæ tenera carpuntur in herba,
Sic ſpacio intereunt optima quæq; breui.
Ergò iaces humili terræ defoſſa latebra,
Illa diu thalami cura, fidesq́; mei?
Teq́; aliena premit non æquo ceſpite tellus,

Nec patria, aut notæ te uidet ora domus?
Quas igitur lachrymas fundã, quas ore querelas,
O curæ uictrix unica cura meæ?
Quid querar, aut luctus in quos mea corda reſol
Deficit à tantis mens mea uicta malis. (uã?

EPITAPHIVM GERTRVDIS VX
oris ſuæ, quæ deceſſit 17. Calend. Septembr.
An. Domini 1548. ætatis ſuæ 40.

Conditur hac hoſpes, coniunx, tellure Micylli,
Pamphila cui Græco nomine nomen erat.
Vndecimum grauida partum geſtauerat aluo,
Vndecies annos coniuge nupta duos.
Cũ fera clauſerunt miſerã hoc ſub fata ſepulchro,
Heu procul à patria, & flumine Mœne tuo.

ALIVD SVB VMBRA
DEFVNCTÆ.

Deſinite ô miſeri ſuperos urgere querelis,
Et lachrymis tumulum ſollicitare meum.
Fruſtra eſt, quæ rebus querimonia ſumitur iſtis,
Fata Deũm nulla ſtant reuocanda prece.
Sed potius ſubeat, quanto diſcrimine rerum,
Diuiditur noſtro ueſter ab orbe locus.
Et Domino caſus tandem permittite ueſtros,
Diſcite & hæc æqua funera mente pati.
Tempora perpetuo peraguntur ueſtra labore,
Ocia nos nullo fine domanda leuant.

EPI-

EPIGRAMMA IN EPICEDION *eiuſdem ad Lectorem.*

Si quis fortè leges, ſi quis tamen hæc legis hoſpes,
Non bona, cum rebus carmina pone ſuis.
Proueniunt animo quæ ſint placitura, ſereno,
Nos dolor & curæ compoſuere graues.

EPITPHIVM CATHARINÆ *filiæ primogenitæ.*

Hic defuncta iacet noti Catharina Micylli,
Nata nouo quondam filia prima patri.
Quartũ poſt nonũ, quæ nondum impleuerat anñũ,
Cum periјt telis fixa Diana tuis.
Candida ſic primo carpuntur lilia flore,
Tempore ſic recidit, quo fuit orta, roſa.

EPIT. LVCRETIÆ FILIÆ SVÆ.

Conditur hic mœſti Lucretia parua Micylli,
Tertia nata ſuo, mortua prima patri.
Nonum quæ uitæ nondum compleuerat annum,
Iſto cùm iacuit peſte perempta ſolo.
Oßibus ergò licet, recubent ut molliter, optes,
Nam mens æthereæ uiuit in orbe plagæ.

EVSEBIO MICYLLO, FILIO, INFANTI.

Conditur hic tenero præreptus ab ubere matris,
  Euſebius paruo paruus & ipſe ſolo.
Nondum luna ſuos iterum collegerat ignes,
  Mortuus ut iacuit, qui modò natus erat.
Rara uiget terris pietas, quare hunc quoq; Chri=
  Longius à cœlo noluit eſſe ſuo. (ſtus

Obijt ſuæ æ=
tatis 53. die.
Anno Domi
ni 1541. Ma
io menſe.

CASPARI MICYLLO, FILIO, INFANTI.

Mortuus en parua iaceo tumulatus arena,
  Qui modò magna patris gaudia, Caſpar, erã.
Infantem rapuit me matris ab ubere Parca,
  Natus cùm menſes quinq; decemq; forem.
At tu ſi qua tui tangit te cura Micylli,
  Iam quartum mœſti commiſereſce patris.

HIERONYMO MICYLLO, FIlio, infanti, qui obijt Heidelbergæ Anno Domini 1547. ſexto Calend. Iulij.

Conditur, en hoſpes, tantilla Hieronymus urna,
  Hebdomadas natus ter modò quinq;, puer.
Quem neq; ſpes patris, nec praui neſcia uita,

Eripuit

Eripuit manibus Parca maligna tuis.
Et ſenibus parcat falſo dea nomine dicta,
Vbere quæ puerum matris ab uſq; rapit?

EPITA. BALTHASARIS ARTOCOPI MVSICI.

Parce hoſpes tumulo, ſacer eſt locus iſte camœnis,
Et circum tacita plangit Apollo Lyra.
Artocopi tegit hoc Balthaſaris oſſa ſepulchrum, Obijt 6. Calēd. Auguſt. Anno 34.
Artis qui melicæ totius inſtar erat.
Quo neq; uentoſis melior cantare cicutis,
Nec dare multiplici uoce canenda, fuit.
Et poterat dulci modulamine flectere Diuos,
Inuideant tantis ni fera fata bonis.

EPITA. PHILIPPI A FVRSTENBERG.

Quiſquis ad hæc caſu uenies monumenta uiator,
Molliter ut recubent oſſa precare mea.
Ciuis eram, pacis ſimul & pietatis amator,
Muſis ac ſtudijs deditus ingenuis.
Principe cognomen tenui de monte, Philippus,
Claro, ſi qua ea laus, natus & ipſe loco.
Cætera ſcit patria, & per tot modò tempora ciues,
Eloquio tecti, conſilijsque meis.

EPITA. ANNÆ, ET HEDINGIS, CONIVGVM EOBANI HESSI.

Hoc quoq;,nō longum eſt,hoſpes lege. namq; ma
Vnius uxores hæc tegit urna duas. (riti
Vtraq; cum ſenos uixiſſet nupta per annos,
Iunior Hedingis,ſed prior Anna,cadit.
Vtraq; cum terna ditaſſet prole parentem,
Soluuntur quarto,morte,puerperio.
Ergò pari fato,quibus eſt ſua uita peracta,
Et quas ſors ambas una,eademq; tulit.
Non geminæ his animæ, uerum fuit una , uiciſſim
Quæ corpus ſpacio rexit utrumq; pari.
Et cùm tàm ſimiles teda nupſere iugali,
Nempe uir unius coniugis ille fuit.

EPITA. D. HIERONYMI AGNINI.

Hic ſenior recubat clauſis Hieronymus annis,
Agninæ quondam ſtemma , decuſq; domus.
Cuius multa fuit uitæ,ſed maxima uirtus,
Conſtanti coluit quòd pietate fidem.

ALIVD EIVSDEM.

Conſilio iuuenis defendi,& lege clientes,
Mox ſenior colui fœdera Chriſte tua.
Nunc uictus iaceo fatis,Hieronymus,actus,

Hic

Hic me natorum contumulauit amor.

ALIVD EIVSDEM.

Agninos fratres noſti ſi fortè uiator,
Illorum genitor mole ſub hac recubo.
Plurima cum poſſem, delegi ex omnibus illud,
Vnica ut efferret, me tua Chriſte fides.

ALIVD EIVSDEM.

Hic iaceo tacitis Hieronymus additus umbris,
Poſt terna ætatis luſtra peracta quater.
Hæc habeo, quæ cognoui ſacra atq; profana,
Cætera mors iſto condidit atra ſolo.

ALIVD.

Tu quod es, hoſpes, erã, quod ego ſum, tu quoq;
Quæ tibi uis fieri iuſta, precare mihi. (fies:

EPITA. EIVSDEM ET VXORIS BARBARÆ.

Hic pater, hic coniũx tumulo claudũtur eodem,
A quibus Agninæ nata propago domus.
Quæ tenuit uiuos inter ſe gratia iunctos,
Hæc eadem ſumma iunxit utrumq; die.
Quod memori hic nati teſtantes carmine, triſte
Hoc fecere quidem, ſed tamen officium.

ALIVD EIVSDEM.

Quæ pietas, quæ caſta fides, quæ fama meretur,
Iſti debentur præmia cuncta loco.
Hic Agninorum requieſcunt morte parentes,
Iuſticia & ſancta præditi uterq; fide.
Quos ut perpetuæ iungebat gratia uitæ,
Sic quoque habent fato corpora iuncta pari.

ALIVD.

Parca ſub hoc geminos cluaſit tellure parentes,
Agninam ſuperis qui genuere domum.
Gratia quæ uitæ fuit, hæc quoq; fata ſecuta eſt,
Tempore finitimo, morte obiere pari.

EPITA. GVLIELMI REIF-FENSTEIN.

Cætera qui ſpectas oculis luſtrantibus hoſpes,
Hæc quoq;, nõ longũ eſt, carmina pauca lege.
Conditus exigua iacet hic Gulielmus in urna,
Ille decus generis, famaq; clara ſui.
Cui modò cognomen ſaxum dabat, atq; pruina,
Sed celebrem uirtus nunc quoq; multa facit.
Nam neq; Muſarum, aut pietatis amãtior alter,
Nec magis ingenio qui ualuiſſet, erat.
Vna in parte miſer, quòd non & lumina coniũx,
Et nati abſentis compoſuere patris.

ALIVD EIVSDEM.

Quantum

Quantũ fata ualent? iacet hoc Gulielmus in agro ,
Nomen cui ſaxo iuncta pruina dabat.
Viuus qui ſanctè coluit rectumque fidemque,
Et doctas ſocia cum pietate deas.
Principibus charus, priuatis charus amicis,
Nec minus eloquio, quàm bonus ingenio.
Fœlix, ſi tantum potuiſſent lumina patris
Tot nati, aut coniunx claudere mœſta uiri.

ALIVD EIVSDEM.

Hoc tumulo cineres Gulielmi atq; oſſa tegũtur,
Nomen cui ſaxum, cuique pruina dabat.
Qui ſimul Aonidum, ſimul & pietatis amator,
Ingenioque potens, eloquioque fuit.
Ante alios fœlix, niſi quòd neq; lumina coniunx,
Nec tot natorum compoſuere manus.

ALIVD EIVSDEM.

En tegit hæc humili Gulielmum ceſpite tellus,
Multorum è numero qui modò primus erat.
Nomen cui generis ſaxo coniuncta pruina,
Sed famam uirtus, ingeniumque dabant.
Si quid habet pietas, ſi quid pia numina Muſæ,
Debetur tanto laudis id omne uiro.

ALIVD.

Quid dubitas hoſpes? iaceo his Gulielmus in oris,
Nomen cui ſaxo iuncta pruina dedit.

Doctrinæ & uirtutis amans, neq; laudis egenus,
Dum ſequor huc rerũ cõmoda, morte premor.

ALIVD.

Viuite fœlices, quorum Deus æquior æuo eſt,
Me raptum è medio fata maligna premunt.
Sanguine pachnilithus, Gulielmi nomen habebã,
Virtutum, ut taceam cætera, amator eram.

ALIVD EIVSDEM.

Ἐνθάδε παχυλίθου Γολιέρμου γαῖα καλύ-
πτει
ὀστέα, καὶ συνερὴς πάνθ' ὥσ' ἔλειπε μόρος.
Τὴν δ' ἀρετὴν, καὶ τὴν σοφίαν, τὰς οὔτις
ἔμαρψε
οὐ χρόνος, οὔτε βίη, ταῦτ' ἀπέβησεν
ἔχων. (των
Εἴ τι μέλει καλῶν, καὶ νοῦν θεοπίστε ἐχόν-
ἀθανάτοις ἔσται χ' ὄντος ἐν ἀθανάτος.

ALIVD EIVSDEM FRATRI.

Οὗτος Ἰανὸν ἔχει τάφος, ὅνπερ ἰόντα
πρὸς ἄγρην
Κάββαλεν ἀγνώστῳ μοῖρ' ὀλόεσσα βέλει.
παχνολίθων γένος ὄντα, φίλον δὲ τε ἔξο-
χα μούσαις.
ἀλλ' ἀπάμυνε θεῶν λοιγὸν οἱ οὐδεμία.

EPITA.

EPITA. IOANNIS CORTOBOSCI BELGÆ E GRÆco Andr. Maſij uerſum.

Omnia qui didici, quæ mens humana peragrat,
Præmia nec tamen hinc hactenus ulla tuli.
En iaceo, ô fruſtra quæ ſpes trahis inuida noſtras
Proq; pijs meritis funera, Parca, refers.

EPITA. THOMÆ RHYNERI, qui obijt Anno Domini 1546. menſe Decembri.

Multorum mores qui quondam et pectora finxi,
Dum ſtudia intonſi dirigo prima gregis.
Quiq; idem Latias Graijs addendo camœnas
Ingenua docui quidquid in arte fuit.
Rhynerus patrio, proprio ſed nomine Thomas,
Cui genus & proauos Sueuica terra dedit.
Corporis hoc tandem poſui ſub marmore molem,
Vlterius noſtri mors habet atra nihil.

ALIVD EIVSDEM.

Rhynerũ noras hoſpes, puto, nomine Thomam;
Notior his terris quo modò nullus erat.
Dorica qui Latijs miſcendo ſcripta camœnis
Excoluit noſtras tempora longa ſcholas.
Illius hoc Parcæ clauſerunt oſſa ſepulchro,
Vlterius ſæuæ nil potuere Deæ.

ALIVD.

Cõditus hoc tegitur Rhynerus marmore Thomas,
Fama ſuæ gentis, fama, decusq́; ſcholæ.
Cuius tu poſcas ut molliter oſſa quieſcant,
Et cineres, hoſpes, cætera morte uacant.

ALIVD.

Hoſpes quid properas? parumper aſta,
Huius dum titulum legas ſepulchri.
Nam clauſus tumulo iacet ſub iſto
Thomas ille domi, foriśq; notus.
Quà Nicrus rigat arua, quàq; Rhenus,
Doctrinæ columen ſeuerioris,
Et ſollers rudis arbiter iuuentæ,
Rhyneri generis decus perenne,
Cuius te rogo manibus quietem,
At uitam tibi quiſquis es precare.

EPITA. IOANNIS REIF-FENSTEIN.

Hic ſitus eſt, quondam uacuo qui fuſus in agro,
Venatum, ſubita morte, profectus, obit.
Quiq́; pruinoſi referens cognomina ſaxi,
Aeuo poſt fratres quattuor imus erat.
Aequales Ianum dicebant, gloria gentis
(Dent ſuperi uitam) magna futura ſuæ.

Tanta huius pietas, tantæ artes:perge uiator,
Atq; optes placido manibus eſſe loco.

EPITA. HELENÆ VXORIS
D. *Hartmanni Hartmanni.*

Conditur hic Helene. HOSP. *Quænam dic, anne Lacæna?* VMBR.
Non, ſed in his Nicri Teutonis orta iugis. VMBR.
Coniugis Hartmanni decus, & ſolamen amoris,
Dum fuuit ſocio Parca, Deusq; thoro.
Quidquid caſtus amor, quidqd ſincera uoluptas
Dulce habet, hoc iſto clauditur omne ſolo.
Ergò illi æternum ſpiret uer:floreat æſtas, HOSP.
Terraq; nec cineri ſit grauis ulla pio.

EPITA. ANNÆ CONIVGIS
D. *Ioannis Desleri.*

Hic pia Desleri coniunx tumulata Iohannis
Ante diem mœſto funere merſa iacet.
Annæ cui proprium nomen fuit, at ſua genti
Cum patrio montes, Runca latina dedit.
Non erat hac forma, non hac præſtantior arte
Fœmineum decorat quæ modò cunq; genus.
Et poterat uultus in ſe conuertere quoſuis,
Quos pietas mouet, & cum pietate pudor.

Sed neq; fata genus retinet, neq; funera uirtus,
Vna eademq; omnes ſors manet, una uia.

EPITA. SIBYLLAE VXORIS
D. Philippi Haleſij.

Aſpicis hic, hoſpes, caſtæ monumenta Sibyllæ,
Non Chalcidenſis, aut Erythrææ illius.
Sed quæ iam pridem, de ſanguine nata Cratādri,
Vxor marito nupta fuit Haleſio.
Fœmina poſt nullas unquam memoranda puellas,
Quas uel fides, caſtusúe nobilitat pudor.
Huic igitur pacem, facilemq; precare ſoporem,
Dum clauſa tumulis corpora reſurgant ſuis.

ALIVD EIVSDEM.

Nomine ſi qua tibi fuit, hoſpes, nota Sibylla,
Hartmanno quondam de genitore ſata.
Quæ genus Haleſo thalamis ſociata Philippo
Quodcunq; eſt caſtæ coniugis, omne tulit.
Illius hic iuxta cineres, atq; oſſa teguntur,
Ante diem ſæuo funere merſa ſuum.
His igitur pacem, facilemq; precare ſoporem,
Dum redeat membris reddita uita ſuis.

ALIVD EIVSDEM.

Nomine ſi qua tuas, hoſpes, peruenit ad aures
Hartmanno quondam nata Sibylla patre.

Connubia

Connubio Haleſo quæ dudum iuncta Philippo,
Vixit cum ſumma laude pudicitiæ.
Sed primis eadem(ſic Dij uoluere)ſub annis
Deſeruit mæſtum, morte perempta, uirum.
Illius hic infra tacito ſub marmore corpus,
Et quicquid reliquum fata delere, iacet.
Cui tu nūc requiem, placidumq́; precare ſoporē,
Dum releuet ſomno corpora ſumma dies.

EPITA. ADAMI A
Schuuechenheim.

Hoc tegitur ſaxo Schuechemi corpus Adami,
Summus qui fratres quattuor inter, erat.
Ingenio præſtans, præſtans uirtutibus, & mox
Si uiuat, generis fama futura ſui.
Sed decus hoc terris inuidit Parca, priusq́;
Vitæ quàm legeret bis duo luſtra cadit.
Sic roſa, ſic uiolæ prima carpuntur in herba,
Tempore ſic pereunt optima quæq; breui.

EPITA. IOANNIS A
Laſco Poloni.

Si genus, aut uirtus, ſi clarum nomen auorum,
Aut uis magnarum ſi qua ualeret opum.
Debuerant merito nobis ignoſcere Parcæ,
Longius & ſæuas abſtinuiſſe manus.
Sed neq; uis, nec opes, neq; ſumma potētia regū,

Funera, uel mortis uim prohibere poteſt.
Ergò miſer iaceo primis ereptus ab annis,
Laſcorum nuper famaq́;, ſpesq́; domus.

EPITA. GENEROSI COMITIS Thomæ à Rheno & VVilda &c. qui obijt Anno Domini 1553. ætatis ſuæ 21.

Quid dubitas hoſpes, iacet hoc ſub marmore Thomas,
Et decus & patriæ ſpes modò ſumma ſuæ.
Qui ueteri comitum Rheni de ſtirpe creatus,
Ingens huius erat fama futura domus.
Ni Deus, & rebus melioribus inuida fata,
Ante ſuum raperent optima quæq; diem.
Viginti ætatis nuper compleuerat annos,
Cùm fera mors iſto condidit oſſa ſolo.
Nil patria amiſit, nil mater charius illo,
Fleuerunt rapti fœmina, uirq́; uices.

EPITA. GENEROSI DOmini Bernhardi, Comitis à Solms, & Domini in Muntzenberg.

Conditur hoc tumulo comitum de ſanguine natus
Sulmo quibus patrium nomen habere dedit.
Quiq́; tenent montis dicti de uoce monetæ
Imperia

Imperia, & Catthis rura propinqua iugis.
Bernhardum læti quondam dixere parentes,
Primum cùm liquido uidit in orbe diem.
Nunc iidem mœſto defunctum pectore lugent,
Et raptum iuſti funeris ante diem.
Francorum patriam ſumptis defenderat armis,
Tunc cùm uicinos Mars rapiebat agros.
Francorũ in patria non æquo uictus ab hoſte eſt,
Proxima Sueuorum quâ uada Mœnus habet.
Quiſquis es, huic requiem, placidumq; precare ſoporem,
Dum ueniens ſummum finiat hora diem.

EPITA. ILLVSTRISS. D. DO- *mini Philippi comitis Palatini, & Ducis utriuſq; Bauariæ, qui deceßit An- no Domini* 1549.

Cætera qui circum luſtras monumenta uiator,
Hæc quoq; non lõga eſt, perlege pauca, mora.
Si Ducis audita eſt forſan tibi fama Philippi,
Clara Palatinæ quem tulit aula domus.
Qui modò Pãnonicam defendit ab urbe Viẽnam,
Et ſoluit trepidos obſidione uiros.
Tunc cùm Threicij uaſtarent omnia Turcæ,
Et tremerent ſubito Norica regna metu.
Mox etiam impleuit magnum uirtutibus orbem,

Vtilis hinc armis, utilis inde toga.
Illius hac tegitur corpus uenerabile terra,
Hic animam, hic uitam reddidit ille Deo.
Quo te ſi pietas, ſi quid mouet inclyta uirtus,
Iunctaq; cum ſumma nobilitate fides.
Huic opta ut cineres placida cũ pace quieſcant,
Condita nec tellus durior oſſa premat,
Nam pius ad cœli ſublatus ſpiritus arces,
Cum Chriſto uiuit tempus in omne ſuo.

ALIVD EIVSDEM.

Inclytus ille armis Dux & pietate, Philippus,
Clara Palatinæ quem tulit aula domus.
Qui pariter laudis ſtudio flagrauit honeſtæ,
Et uixit ſolidæ relligionis amans.
Virtutum poſtquam decoratus honore ſuarum,
Rettulit hinc meritis præmia digna ſuis:
Et documenta dedit dextræq; animiq; uirilis,
Et quid conſilio poſſet, & ingenio.
Hic ubi Pannonicam defendit ab hoſte Viennam,
Et ſoluit trepidos obſidione uiros.
Tunc cum Threicij uaſtarent omnia Turcæ,
Et tremerent magno Norica regna metu.
Contemptis opibus mũdi, rebusq; caducis,
Quas hominum captat futile, inersq; genus.
Et pacem, qui te profitentur Chriſte, precatus,
Hoc uitæ ſummum clauſit in orbe diem.

Et nunc æterna quoniam de morte redempti
Per tua, nate Deo, funera Chriſte, ſumus.
Ipſe quoq; etherea procul hinc in ſede receptus
Aſpectu fruitur lætus, ouanſq; Dei. (ſpes?
Quare age quid dubitas? aut quid circumſpicis ho
Hic genus, hic uirtus, hic iacet omne decus.
Quodq; diu multis fuit inſuperabile bellis,
Conditur hic modico corpus inane ſolo.
At pius ad cœli ſublatus ſpiritus arces,
Cum Chriſto uiuit tempus in omne ſuo.
Illaq; tantarum rerum per Cæſaris ora,
Per regum, & populi fama ſuperſtes abit.

ALIVD EIVSDEM:

Dux inclytus pridem, Palatij comes
Philippus, unus qui Deo & uirtutibus
Aetatem agebat, deditus præ cæteris,
Poſtquàm eſt adeptus gloriæ ſummum decus,
Nomenq;, quod nec longa diminuat dies:
Documenta certa quòd dediſſet patriæ,
Animiq;, conſilijq;, & ingenij ſui,
Aduerſus hoſtem religionis impium,
Tunc cum Viennam, Pannonum urbem nobilem,
Cinxiſſet obſidione Turcicus furor,
Mundum, relictis rebus & opibus, quibus
Plæriq; freti uitam agunt ſecuriter,
Valere iuſsit, & obijt diem ſuum,

Precatus pacem Chriſtianis omnibus
Atq; ut perenni morte liberatus eſt
Per mortem Ieſu, Domini & unici Dei,
Ita uiuet ex hoc in patris gremio ſui,
Expers mali omnis, & boni omnis conſcius.
Quare quid hic uiator tecum cogitas?
Iacet hoc quidẽ uirtus loco, & genus, & honos,
Corpusq́; terra, obnoxium fato, tegit.
Aſt anima in altum euecta, cælum poßidet,
Celebrantq́; uirtutem, & decus tanti Ducis
Et Cæſar & reges, & orbis principes.

EPITA. ILLVSTRISS. PRINcipis Domini Friderici, Comitis Palatini Rheni. Ducis Vtriusq; Bauariæ &c. Electoris &c. qui obijt die 16. Februarij. Anno Domini 1556.

Ergò iaces hominum defunctus tu quoq; fatis,
Fama Palatinæ Dux Friderice domus?
At tua facta manent totum uictura per æuum,
Iunctaq́; cum pulchro Pacis amore fides.

ALIVD EIVSDEM.

Huc lachrymas nymphæ, lachrymas huc fundite (Muſæ,
Heu uictus letho, ueſter Apollo iacet.
Veſter Apollo iacet, ueteris ſtirps clara Palatii.

Auxit qui ueſtras pacis amator opes.
Huic igitur lachrymas, lachrymas huc fundite nymphæ,
Numinaq́; amiſſũ flete nouena ducẽ.

ALIVD EIVSDEM.

Quanta igitur uis eſt, quanta eſt tua Parca poteſtas?
Vno quæ uiolas ſacra, prophana, modo.
Nempè tuo imperio Fridrici corpus ademptum
Morte, Palatinos conditur inter auos.
At uirtus manet, & geſtarum gloria rerum,
Iunctaq́; cum pulchro pacis amore fides.
Nulla igitur uis eſt, nulla eſt tua Parca poteſtas,
Quæ meliora ſinis ſtare, caduca rapis.

EPITA. GENEROSI D. PHILIPPI

Comitis in Hanau, & Domini in Minzenberg, qui obijt Anno Domini 1529. quarto Calend. Aprilis, anno ætatis ſuæ 28.

Hoc quicunq; uides ſacrum uenerare ſepulchrũ,
Oſſa comes ſub quo clauſa Philippus habet.
Qui pius, humanus, moderatus, iuſtus, & æquus,
Hanoiæ tenuit regna paterna domus.
Et rexit tutas placidis ſub legibus oras,
Auxit & acceptas pacis amator opes.
Haud ulli ueterum propria uirtute ſecundus,

Ni mors, eximium quæ rapit omne, foret.
Qui prius humanis exceſsit rebus ademptus,
Quàm ſpacium implerunt bis tria luſtra ſuũ.

EPITA. EPISCOPI SPIREN ſis, qui obijt Anno Domini, 1552.

Quinq; ter exierãt poſt Chriſtum ſæcula natum,
Et meſſes annus quot facit hebdomadas,
Cùm fremit inſolito Germania concita motu,
Signaq; ſtant ripis Gallica Rhene tuis.
Mox ferus hæc templi lacerat ſacraria miles,
Et profugus moritur præſul in exilio.

ALIVD Numerale.

Exul ab externa iaceo tellure relatus,
Vaſtarunt agros Gallica turba meos.

ALIVD Numerale.

Gallica uaſtabant Rheni uexilla colonos,
Externo morior feſſus in exilio.

ALIVD.

Alſatijs profugus latui tunc ipſe tabernis,
Cùm uaſtat Rheni Francicus arua furor.

ALIVD.

Exul ab Alſaticis feror huc poſt fata tabernis,
Exhauſit uitam Gallica turba ſenis.

EPITA.

EPITA. VVIGANDI A MOTterſpach Nobilis adoleſcentis, qui obijt Anno Domini 1550. ſeptimo Idus Aprilis.

Si genus, & uirtus, ſuperos ſi forma moueret,
Vuigande, ante alios uiuere dignus eras.
Sed nihil iſta iuuant, nulli mors inuida parcit:
Vnum ergo uitæ ſpem melioris habes.

EPITA. PHILIPPI Placentini.

Oſſa Placentini tellus habet iſta Philippi,
Quem miſerum ante ſuum fata tulere diem.
Nam puer externis Muſas dum quæritat oris,
Suffuſum tumida Parca peremit aqua.
Vna tamen reſtant raptæ ſolatia uitæ,
Terra tegit cineres, ſpiritus aſtra tenet.

EPITA. D. ADAMI Themarenſis.

Hic iaceo patria Themarenſis, origine Francus,
Nomen Adæ puero, qui genuere, dabant.
Ingenuas artes primis edoctus ab annis,
Summorum docui pignora chara ducum.
Grammaticos, uates, & Iuſ utrumq; profeſſus,
Præmia de ſtudijs ordine cuncta tuli.
Et mox ſolenni factus de more Decanus,

Explicui leges tempora multa ſacras.
Cognatos opibus prouexi, & honore nepotes,
Clauſa nec externis dextera noſtra fuit.
Donec in hoc curſu luſtris ter quinq; peractis,
Supremum clauſit grata ſenecta diem.

EPITA. D. IOAN. VIRI- dungi Haſfurtenſis.

Conditus hac recubat ſenior Viridūgus in urna,
Quē patria Haſfurtum, Francica terra, tulit.
Vnus qui cœli motus, & ſidera norat.
Et quaſcunq; ferunt tempora uerſa uices.
Qui caſus hominum, & rerum ſecreta canebat,
Fataq; naſcenti quæ ſua cuiq; forent.
Proximus à ſuperis, quantum mortalia fas eſt,
Cœleſtes ſenſu ſcandere, corda, domus.
Sed tamē immiti mors hunc quoq; falce peremit,
Dum tantum terris inuidet illa decus.

EPITA. D. MICHAELIS Macci, qui obijt Anno Domini 1550.

Hic ſenior recubat dictus cognomine Maccus,
Iuris & ingenuæ clarus honore togæ.
Defendit miſeros qui longa ætate clientes,
Magna Palatini fama decusq; fori.

EPITA.

EPITA. D. LVCAE
Hugonis.

Conditus hîc Hugo modica requieſcit in urna,
Cui Lucæ nomen, cui patria Alſatia.
Qui multos docuit leges, & iura per annos,
Hîc ubi doctorum pulpita uoce ſonant.
Mox Palatinam, rebus delectus agendis
Eloquio iuuit, conſilioq; domum.
Vmbris ergò leuem placidumq; precare ſoporē,
Dum redeat membris reddita uita ſuis.
Obijt Anno Dom. 1551.

ALIVD EIVSDEM.

Clauditur hîc, hoſpes, tacito ſub marmore Lucas,
Cui genus Hugonum, cui patria Alſatia.
Qui docuit primis leges & iura ſub annis,
Iuridicæ quondam fama decusq; ſcholæ.
Inde Palatinam ſenior translatus ad aulam,
Conſilium multis rebus, opemq; tulit.
Quare age dū reduces ueniāt in corpora mētes,
Tunc cùm ſupremum finiet hora diem.
Huic opta, ut requie, placidoq; ſopore fruatur,
Terraq; nec cineres, nec premat oſſa grauis.

ALIVD EIVSDEM.

Hæc Lucæ Hugonis cernis monumenta uiator,
Quem quondam Alſatij protulit ora ſoli.

Qui legum interpres fuit, & moderator honeſti,
Eq; Palatina notus ad aſtra domo.

ALIVD EIVSDEM.

Si fortè audiſti Doctoris nomina Lucæ,
Cui patria fuit Alſatia, at Hugonum genus:
Hunc fera clauſerunt iſto ſub marmore fata,
Domus Palatinæ & Scholæ quondam genus:

ALIVD.

Hugo genus, patria Alſatius, ſed nomine Lucas,
Interpres legum & iuſticiæ, hîc iaceo.

ALIVD EIVSDEM.

Notus nomine ſi tibi quis olim
Lucas, Hugo genus, fuit uiator,
Legum & Iuſticiæ arbiter ſeuerus,
Et mox Principis aduocatus aulæ,
Hîc ſaxo recubat ſitus ſub iſto,
Expectans Dominum, Deumq; magnum.

IOANNI MERCVRIO MORSHEMIO.

EGO ſcriptum tuum heri ueſperi accepi, amoque & amplector beneuolentiam erga me tuam. Sed Dominus interea ea me benignitate ſuſcepit ac fouet, ut ſperem, me ex pręſenti naufragio propemodum iam euaſiſſe, & portum incolumitatis iterum uidere. Quare pro ea cura, quam & te, & Chriſtophorum mea cauſa gerere ſcribis, utriq; pro eo ac debeo, gratiam ago maximam, optoque ut iſtud officium ueſtrum mihi liceat meliore, & utriſque utiliore aliquo compenſare. Mitto autem hic Epitaphia quædam, quæ interim dum in lecto domi decubui, amico noſtro communi, iiſdem diebus uita defuncto, compoſui, non quòd ea tanti faciam, ſed ut te noſtro exēplo ad memoriam eiuſdem amici ac uiri celebrandam adhorter. Vale, 15. Calend. Septemb. Anno 1554.

EPITA. D. IOANNIS MYLEI,
qui obijt Anno Do.1554.die 15.Aug.

Si quis ineſt ſenſus, & habent ſua numina manes,
Officium agnoſcis chare Mylee meum.
Non obſcura fuit noſtra utriuſq; uoluntas,
Quæ dum uita fuit, perpetuò una fuit.
Quicquid amicitiæ tribuēdum, quicquid amicis,
Aut totum, aut aliqua eſt hoc tibi parte datū.
Vlterius nihil eſt, niſi quòd non uiuimus æquè,
Aut æquè fato functus uterq; iacet.
Ergò uale, et placido fruere hac ſub nocte ſopore
Vltima dum reducem iungat utrumq; dies.
Perpetuis igitur nata eſt mea Muſa querelis?
Et mea quod doleant carmina ſemper habent?

ALIVD EIVSDEM.

Hic cineres atq; oſſa iacent tumulata Mylei,
Quem patria Vlma tulit, terra Moguntiaca.
Pierias artes, & legum uincula norat,
Et pariter titulo clarus utroq; fuit.
Sed neq; uirtutem curant, neq; nomina Parcæ,
Quicquid erat, paruo clauditur omne ſolo.

ALIVD EIVSDEM.

Hàc qui forte uiam tenes uiator,
Paucis accipe, non ero moleſtus:
Doctoris tumulum uides Mylei,

Qui quondam patriæ ſolo relicto
Et Moguntiaco profectus agro,
Primis imbuit artibus iuuentam,
Formauitq́; animos recentiores,
Quâ Rheni fluuium uetus Nemetum
Spectat nomine Spira dicta Graio.
Mox Iuris tutuloq́;, purpuraq́;
Donatus, ſolita ſedens cathedra,
Quâ Nicer geminas it inter arces,
Muſarumq́; ſacros rigat penates,
Legum primitias & inſtituta
Maioris docuit profeſſor artis.
Vir candoris amans, & æquitatis.
De ſe qui moriens reliquit illud,
Viuus quòd placuit bonis, nec ullo
Læſus crimine mortuus quieſcit.
Huic ergo facilem precare ſomnum,
Et pacem cineri, leuemq́; terram.
Lucem dum reduci uidere ſummam,
Et uita dabitur frui perenni.
Tantum te uolui. Vale uiator.

ALIVD EIVSDEM

Ἐνθάδ᾽ Ἰωάννην κατὰ μοῖρ᾽ ἐκάλυψε Μύ-
λειον,
Οὗ πατρὶς Οὐλμαίην, γαῖα Μογουντιακά.

Ὃς ποτε πουλυμερεῖς ἐδίδαξε νόμους τε δίκας τε,
  Καὶ σκολιὰς ἀνδρῶν ζωὸς ἴθυνεν ὁδούς.
Νῦν δὲ θανὼν θεσμοὺς κεῖται ποτιδέγμενος ἄλλους
  Ξυνὸν ὀπιπτεύων γῆς γε, πόλου τε κριτήν.

EPITA. D. CASPARIS CAMpani generi ſui.

Quid dubitas hoſpes? hic Caſparis oſſa teguntur,
  Itala cui gentis nomina Nola dabat.
Quem dum per uarios mutat ſua tecta penates,
  Heu nimius patriæ funere merſit amor.
Dum repetit natale ſolum, terraq; relicta,
  Raurica qua Vogeſus ſeparat arua ſuis.
Ad propiora redit Rheni, patrioſq; Nemetas,
  Inter & umbroſi ſubſidet arua Nicri.
Namq; Palatinæ dum ſacra negocia ſedis
  Vangionum tractat miſſus in arua ſoli:
Audit & afflicta de relligione loquentes
  Omni accerſitos è regione uiros.
Correptus ſubito per languida corpora morbo,
  Ad proprias iterum cogitur ire domus.
Hic dum nulla leuat ſæuum medicina dolorem,
  Inq; dies morbo uincitur, inq; dies.
Tandem propoſita melioris imagine uitæ,

Quam

Quam petijt uiuens, hac ſepelitur humo.
Heu quales gemitus linquens, quãtosq; dolores,
Vxoriq; ſuæ, pignoribusq; ſuis.
Qui dum fœlices reditus, melioraq; fata,
Expectant freti numine, ſpeq; noua.
Ecce nouos iterum caſus, noua funera cernunt,
Corporaq; & patris & lumine caſſa uiri.
At tu qui tendis noſtras huc fortè per oras,
Raptorumque uides tot monumenta uirûm,
Ipſe memor fati, noſtri miſerere laboris,
Et benè defuncti manibus eſſe iube.

EPITA. D. STEPHANI
Rodacker.

Conditur hac infrà Stephanus tellure, uiator,
Rufus cui quondam nomina fecit ager
Pæonias coluit per tempora longa cathedras,
Et titulo medici clarus, & arte fuit.
Sed neq; lanificas prohibet medicina ſorores,
Nec redeunt fuſis fila peracta ſuis.
Huic igitur pacem, placidumq; precare ſoporẽ,
Vltima dum ſummum finiat hora diem.

ALIVD EIVSDEM.

Clauditur hîc parua Stephanus tellure ſepulchri,
Qui modò Pæonia magnus in arte fuit.
Primus qui tenuit per tempora longa cathedras,
Herbarum uires dum docet, atq; notas.

Et nunc Hippocratis, nunc magni ſenſa Galeni
Applicat ad morbos quæq; relata ſuos.
Sed neq; uis fati eſt ullis medicabilis herbis,
Nec reuocat duram Parca ſeuera manum.

EPITA IOANNIS
Reuteri.

Cætera qui circum perluſtras ſingula uiſu,
Hæc quoq;, non longa eſt, aſpice pauca, mora.
Hoc ſitus eſt tumulo Reutterus origine, Ianus,
Quem genuit celebri patria Bretta ſolo.
Vir pius, & longum notus uirtute per æuum,
Atq; idem ſolidæ relligionis amans.
Dũ tenet hanc Domini ſocijs cum fratribus ædẽ,
Et formam tumuli templa imitata ſacri.
Cui, quoniã ſuperas animus penetrauit ad auras,
Hoc opta, ut cinis, & molliter oſſa cubent.

EPITA. THEOBALDI GER-
laci Billicani.

Gerlacum ſi quem Theobaldum nomine noras,
Billica cui quondam patria terra fuit.
Hunc hominum fato cõmuni morte peremptum,
Condidit hoc, hoſpes, Parca ſeuera, ſolo.
Ingenium ſi quid, ſi quid facundia laudis
Poßidet, hoc iſti contigit omne uiro.

Cui

Cui tu fœlicem placida ſub morte ſoporem,
Opta, dum ſummum colligat hora diem.

EPITA. BALTHASARIS *Acanthij.*

Hoc tumulata iacent Balthaſaris oſſa ſepulchro,
Dorica cui patrium nomen Acantha dedit.
Qui malè dum rerũ ſequitur monumenta ſuarũ,
Interijt telis fixus Apollo tuis.
Ereptum mater fleuit, fleuere ſorores,
Et tenera in uiduo nupta relicta thoro.
At tu qui tumulos paßim circumſpicis iſtos,
Huic opta, ut cinis, & molliter oſſa cubent.

EPITA. LAZARI DEAE.

Lazarus hîc, hoſpes, ſitus eſt, cognomine Deas,
Quem fera mors iuſtum ſuſtulit ante diem.
Huic genitor fuerat medicandi clarus in arte
Marcus, ſed nulla uata leuantur ope.

ALIVD EIVSDEM.

Lazarus hac Deas tegitur tellure, uiator,
Pæonia claro natus in arte patre.
Cui iuueni primis erepto mater ab annis
Sacrauit luctus hæc monumenta ſui.

ALIVD EIVSDEM.

Lazarus ipſe fui, Marcus pater, arte medendi

Inclytus, at generis nomen utriq; Deas.
Ante diem raptum luxit me mater, & iſta
Mœroris poſuit pignora certa ſui.

EPITA. BARBARAE AR-
noldi Obſopœi primogenitæ.

Hac, genus Obſopij tumulatur Barbara, terrâ,
Prima nouæ matris filia, prima patris.
Quam ſimul ac curſus iterum noua luna peregit,
Ereptam fato fleuit uterq; parens.

ALIVD EIVSDEM.

Clauditur Arnoldi proles hoc Barbara ſaxo,
Prima nouæ matris gaudia, prima patris.
Tertia quæ nondum creſcentis cornua lunæ
Viderat, ut raptam fleuit uterq; parens.

EPITA. CHRISTIANI
Egenolphi.

Chalcographum noras Egnolphũ nomine, lector!
Condidit hoc illum Parca ſeuera ſolo.
Aſt operum, & magni ſeries immenſa laboris
Viuit, & hinc geminos fertur ad uſq; polos.

ALIVD EIVSDEM.

Plurima qui preſſo ſcripſi quondã ære, typiſq;.
Hic iaceo Egnolphus, patria Hademarius.
Si qua inter uiuos meritorum gratia reſtat,
Defuncto pacem, qui legis iſta, roga.

ALI-

ALIVD.

Ἐνθάδε Χριστιανὸς γένος Εγνολφῶν ποτὲ,
κεῖμαι,
Ἐν πόλει ὃς πρῶτος τῆδε τυπογράφος
ἦν. Id eſt.
Hîc iaceo Egnolphus Chriſti de nomine dictus,
Hac qui chalcographus primus in urbe fui.

EPITA. CL. V. IVSTINIANI AB
Holtzhauſen, qui obijt Anno 1553.
die 9. Septemb. ætatis 51.

Cætera qui circum luſtras monumenta uiator,
Hac quoq;, non longa eſt, aſpice pauca, mora.
Hac ſitus expectat lucem tellure ſupremam,
Patricijs genitus Iuſtinianus auis.
Quē genus et proaui celebrant, quē gloria gētis,
Nomina quæ ligni iuncta domusq; gerit.
Quicquid habet laudis pietas defenſa tot annis,
Et ſacer Aonidum cum pietate chorus.
Quicquid amor populi, & uirtutum præmia, bo
nores,
Et res per uarias publica geſta uices.
Debetur meritis, quantum eſt hoc omne ſepulti,
Sæcula quo melius multa tulere nihil.
Quò cineri pacem nunc hîc, placidumq; ſoporem
Optes ipſe licet: cætera morte uacant.

EPITA. FRIDERICI A RORBACH
Patricij Francofortenſis, qui obijt Anno Domini 1553, ſuæ ætatis 45.

Huc qui forte uenis, paucis aſsiſte, uiator,
Hæc dũ (nulla mora eſt) carmina pauca legas.
Fridricum noras, genitum de ſtirpe uetuſta,
Quæ uetus à Canna nomen, & amne tenet?
Illius hoc cineres clauſerunt fata ſepulchro,
Vitæ cum legeret ter tria luſtra ſuæ.
Non ſeries generis, non illum curia iuuit,
Et res per multos publica geſta dies.
Quò minus exhauſtum longo morboq; maloq;
Tolleret iniecta Parca ſeuera manu.
Ergò illi pacem, placidumq; precare ſoporem,
Dum releuet ſummus corpora morte dies.

ALIVD EIVSDEM.

Huc qui forte uiam tendis, ſubſiſte uiator,
Hæc dum, (parua mora eſt) carmina pauca legas,
Conditur hoc tumulo Fridricus, ſtirpe creatus,
Quæ uetus à Canna nomen, & amne tenet.
Vir pius, et ſancti quondam pars magna ſenatus,
Hic ubi ſtant Franco mœnia iuncta uado.
Quiſquis es, huic pacẽ, facilemq; precare quietẽ,
Dum uideant reducem corpora merſa diem.

ALIVD EIVSDEM.

Huc qui fortè uiam tenes uiator,
Hæc dum pauca legas, parumper aſta.
Hoc quondam tumulo, breuiq́; terra
Fridricum fera condidêre fata.
Gentis progenitum domo uetuſta,
Nomen cui dedit amne iuncta canna.
Hic iuſti fuit atq; amator æqui,
Et pars magna ſacri diu ſenatus,
Francorum hic ubi tranſitus uadumq́;
Fecit nomina mœnibus propinquis.
Sed nec fata genus mouet uetuſtum,
Nec geſti prohibent obire honores.
Ergò dum reducem uidere lucem,
Et uita liceat frui nouata,
Huic pacem & placidum precare ſomnum.
Tantum eſt, quod uolui, uale uiator.

EPITA. IACOBI ROSCII.

Qui legis hæc oculis circum ſpectantibus hoſpes,
Aſpice qua nati conditione ſumus.
Nā quod es, ipſe fui, quod ego ſum, tu quoq; fies,
Inq́; ſuas redeunt tempora noſtra uices.
Me genitor terris Iacobum ſuſtulit iſtis
Roſcius, ad Nicri molle fluentis aquam.
Me functum fatis eadem quæ prima recepit,
Condidit hoc iterum terra paterna ſolo.

Doctrinam Chriſti per tempora longa profeſſus,
Obtinui multis pulpita ſacra locis.
Nunc ſitus, expecto Chriſti reditumq́; , diemq́; ,
Corpora dum tumulis ſuſcitet ille ſuis.

ALIVD EIVSDEM.

Roſcius has, hoſpes, ſi quis tibi fortè per oras,
Aut facie, aut fama cognitus antè fuit.
Qui Domini longos docuit præcepta per annos,
Quæq́; homines cœli ferret ad aſtra, uiam.
Illius hoc cineres concluſit & oſſa ſepulchro,
Quæ ſinit humani mors ſupereſſe nihil.
His igitur requiē placidumq́; precare ſoporem,
Dum repetant lucem corpora læta nouam.

EPITA. LAVRENTII
Friſæi.

Laurentis ſi quâ nomen tibi fortè Friſæi
Audita eſt, hoſpes, claraq́ue fama uiri.
Quem pietas, uitæq́ue modus, quē gratia morū,
Et linguæ ornabat cum grauitate nitor.
Illius hæc monumenta nepos, de fratre ſuperſtes,
Hæredum poſuit contribuente manu.
Præſulibus Salicæ tribus affuit ordine gentis,
Reſq́ue diu geßit non ſine laude graues.
Cæſaris & crebras Orator miſſus ad aulas,
Obtinuit Francis hinc quoq; multa ſuis.
Præcipuè ſtudio Muſarum fretus, & arte,

Condidit antiqui temporis hiſtoriam.
Multorumqúe ſibi dum conciliauit amorem,
Et populo gratus, Principibuſqúe fuit.
Duxit & uxores Hagia de ſtirpe priorem,
Poſt hanc cui nomen cornua tota dabant.
Sed neq; fata genus, meriti neq; præmia curant,
Luſtra prius, moritur, quàm duodena uidet.
Huic igitur requiē, placidūqúe precare ſoporē,
Vltima dum ſummum finiat hora diem.

EPITA. OLYMPIAE D. AN-
dreæ Gruntleri coniugis.

Italis hac tegitur telluris Olympia mole,
Pierios inter fœmina prima choros.
Quæ patriæ quondam cum coniuge ſede relicta,
Ad uada conſedit flaue Suēue tua.
Hîc ubi finitimos exercet uinea Francos,
Et iuxta liquidis Mœnus oberrat aquis.
Mox, ferus incenſa fureret cum miles in urbe,
Ferret & hoſtili ſacra, profana, manu.
Bis ſpoliata bonis, bis ſæuæ proxima morti,
Venit ad hæc Nicri mœnia iuncta uadis.
Addiderat Muſis Græcorum ſcripta Latinis,
Et pariter lingua docta in utraq; fuit.
Naturæ ſpecimen rarum fœlicis, & una
Ingenio cunctis anteferenda uiris.
Sed neq; laudis honos retinet, neq; Gratia Parcas,

Occidit, & longa nocte ſepulta iacet.
Cuius tu cineri requiem, placidumq́; ſoporem
Optes, ô hoſpes, cætera morte uacant.

EPITAPHIVM HENRICI Stolonis.

Huc fera defunctum poſuerunt fata Stolonem,
Chriſti qui docuit tempora longa fidem.
Qui Domini toto confiſus pectore uerbo,
Et uarios caſus & mala multa tulit.
Præcipuè ſacro dum feruent omnia bello,
Et noua Pontificis concitat arma manus.
Ipſe tenax recti, poſitoq́; timore malorum,
Inſolitas ueri ſpreuit amore, minas.
Quiſquis es, ut cineres & molliter oſſa quieſcãt
Illius hîc, opta, cætera morte uacant.

ALIVD EIVSDEM.

Hac qui fortè uia tendis, ſubſiſte uiator,
Atq́; hæc, non longa eſt, accipe pauca, mora.
Hoc fera clauſerunt ſub marmore fata Stolonem,
Aræ quem Bacchi, terra, tulere, uetus.
Hîc ubi uitiferos inter ſua flumina colles
Clauſus iam certo limite Rhenus agit.
Qui Domini ſacris accenſus pectora flammis,
Viuificam docuit bis tria luſtra fidem.
Quà Nicer umbroſos nebuloſo flumine montes
Deſerit,

Deſerit, & flexis tendit in arua uijs:
Intrepidusq; mali, & uitæ melioris amore
Inſolitas hominum ſpernere doctus opes.
Dum noua uæſanus molitur regna ſacerdos,
Atq; armis homines territat, atq; deos.
Vnus ſinceri tenuit ueſtigia curſus,
Cæſareas inter Pontificumq; minas.
Doctrinæq; tenax ſolidæ, pugnasq; peroſus,
Quas malè regnandi cæca libido parit.
Perſtitit, atq; eodem uitæ, pacisq; tenore,
Tuta per undoſum carbaſa rexit iter.
Ceu quondam Borea fluctus agitante, Notoq;,
Per tumidas fertur nauita doctus aquas.
Vir pius, & longa ſæclorum laude uehendus,
Et par, ſi demas funera, penè Deis.
Quem ſi fata ſinant producere longius æuum,
Et populum uerbo, paſcere, ut ante, ſuo.
Quanta ſalus fuerat, quãta hæc tibi terra futura,
Proxima quæ Nicri rura nemusq; colis.
Sed ſuperis aliter uiſum, qui tempora noſtra
Perpetuis nolunt eſſe beata bonis.
Sed uarijs miſcent lætas mœroribus horas,
Inq; uicem mutant gaudia triſticijs.
Ergò illi requiem, placidumq; precare ſoporem,
Dum redeat membris reddita uita ſuis.
Et tumulo flores, & molles ſparge coronas,
Et tua, ſic dicas, molliter oſſa cubent.

Molliter oſſa cubent tua nũc Stolo, dũ breuis ætas
Iungat in Elyſio corpora noſtra tuis.
Hîc ubi ſidereo fulgentem lumine Chriſtum,
Cum patre cernemus regna tenere Deo.

EPITAPHIVM IOANNIS *Stolſij.*

Stolſius hoc tegitur tenui ſub pondere terræ,
Iani cui dederat nomen habere pater.
Qui ſatus Arctoæ procul hinc ad flumina ripæ,
Leucoream gelidus quâ rigat Albis humum.
Aonios inter per tempora longa magiſtros
Septena docuit quicquid in arte patet.
Mox Domini ſacras leges, & iuſſa profeſſus
Inter diſcipulos magne Luthere tuos.
Idem cœleſtis docuit myſteria regni,
Prodita de genito uirgine matre Deo.
Hîc ubi ſublimi contendit in æthera mole
Arx uetus, antiquæ regia Saxoniæ.
Tunc cùm Marte graui circum, et fatalibus armis
Flagrarent miſeris optima quæq; modis.
Mœnaque audenti Cæſar cingebat Ibero,
Infenſus ſocijs, fœderibuſque nouis.
Hinc ubi Leucoreæ capta eſt cũ Principe tellus,
Vidit & inſuetum Saxonis ora iugum.
Miſſus ad afflictam mœſta cum prole parentem,
Vinomarim capti uenit in arua Ducis.

Vt uox quæ flumen pridem ſonuiſſet ad Albim,
Seruiret dominis hac quoq; parte ſuis.
Hic iam biſquinos dum Chriſtũ prædicat annos,
Paſcit & accepti paſtor ouile gregis.
Eloquio traxit totam circùm undiq; gentem,
Quàm latè hæc Vnſtro clauditur, atq; Sala.
Auſoniasqúe idem pompas, & regna percſus,
Et nuper Licio dogmata nata ſolo.
Intrepido, ueteri, ceu murus ahæneus, hoſti,
Vſq; ſub extremum, reſtitit ore, diem.
Quin & Teutonici progreſſus ad ultima regni,
Viſtula quâ fluctus exit in æquoreos.
Et iuxta uaſtos exercet Sarmata campos,
Sarmata uelocis ſanguine paſtus equi.
Principis ipſe ſui legatus, adire Boruſſum
Suſtinet, & dubiæ ſortis obire uices.
Vt fera ſopiret motæ certamina ſectæ,
Et noua de ueteri prælia iuſticia.
Sed notũ eſt, geminas peperit cum factio partes,
A magna uinci, quæ meliora ſapit.
Tandem non æquo ſtudio, multoqúe labore,
Et, uictus, curis quas tulit uſq; graues.
Dum ſuper aſsiduos quos fert Eccleſia motus,
Haurit & amiſſæ coniugis oſſa dolor.
Deficit & longa conſumptus corpora tabe,
Exactum moriens concidit ante diem.
Tempore quo mediũ curſu tranſuectus Olympũ,

Solſtitium noſtro Phœbus in orbe facit:
Sæclis poſt Chriſtum numeratis quinq; , decemq;
Et ſuper hæc quarta meſſe quater decies.
Vir celebris quondam multorum laude futurus,
Ni properet fuſos rumpere Parca breues.
Nunc ſitus, æterna fruitur cum pace quiete,
Cœleſtes inter, ſidereoſq; choros:
Quemq; diu forti Chriſtum fuit ore profeſſus,
Hunc oculis coràm cernit, obitq; ſuis.
Cum patre regnantem pariter, lateq; tuentem
Quicquid habet tellus, æquora quiquid habẽt.

EPITA: VVEIPERTI VVEISEN.

Si quis ad hoc, caſu, monumẽtum ueneris hoſpes,
Humanæ ſpecta conditionis opus:
Clarus eram, generis ſtirpem ſortitus auitam,
Inclyta VVeiſorum fama, decusq; domus.
Nomẽ erat factis ductũ VVeitpertus ab amplis,
Nam bona de nobis ſpes fuit iſta patri.
Dum uixi, multum colui doctoſq;, bonoſq;:
Noſtraq; de meritò fama benigna manet:
At mea nunc iſto, quod conficit omnia, fatum,
Ante diem clauſo condidit oſſa ſolo.

ALIVD EIVSDEM.

Quiſquis ad hæc, caſu, uenies monumẽta uiator,
Neu

Neu pigeat noſtras hinc didiciſſe uices.
Clarus eram, ueteri VVeiſorum ſtemmate natus,
VVeitperto nomen, qui genuere, dabant.
Aequales inter uitam ſine crimine duxi,
Rebus & officijs deditus uſq; pijs.
Exierant ſeptem luſtra à natalibus annis,
Optimus ætatis qui uigor eſſe ſolet:
Cùm mea, præueniens curas, greſſuſq; ſeniles,
Mors hoc, quo cernis, condidit oſſa ſolo.

ALIVD EIVSDEM.

πόλλ᾽ ὅγε τιμήσας τοὺς καλὰ δαήμονας ἀνδρῶν
Ενθάδε Βιπέρθος σῆμα Βαῖσος ἔχω.
πέντε μὲν ὢν γεγονὼς ἔτεων τριάκοντά τε, ψυχὴν
λειπόμενος γαίης εἰς ἀπέδυν βύθεα.
Οςις εἶ ὃς τῆδ᾽ οὖν εἰκῆ τε χρέωντε βαδίζεις,
Ησυχίην νεκροῖς ευχεο, σοὶ δὲ νόον.

ALIVD EIVSDEM.

Βεπερτὸς κεῖται τύμβῳ ἐνὶ τῷδε Βαισὸς
Αμφοῖν ἐυγενέων υἱὸς ἐὼν τοκέων.
Ος πολλοῖς τε χαριζόμενος καλὰ πολλ᾽ ἐτέλεσσε,
Καὶ ῥέξας μεγάλῳ ἱερὰ πιστὰ θεῷ.

πέντ' ἔτεα τριάκοντα τ' ἀναπλήσας βίου
ἔχειν,
ὅπποθ' ἑοῖ ψυχὴν λῦσε θάνοντι μόρος.
ὡς ὦ ξεῖνε βροτῶν ζωῆς βραχύτητα γινώσκων
ἡσυχίην νεκροῖς εὔχεο, σοί δὲ νόον.

EPITA. IOSEPHI CAMERARII.

Quiſquis ad hæc greſſū tendis monumēta uiator,
Siſte gradū, haud lōga eſt, dū legis iſta, mora.
Me Camerariadum Franco de ſanguine natum,
Condidit hoc puerum Pæonis urna ſolo.
Extera dum uolui, infœlix, inuiſere regna
Mors uetuit patrias poſſe uidere domos.

ALIVD EIVSDEM.

Ενθαδ' ἰωσήπφον κατὰ παιονὶς αἶα κα-
λύπτει
Τοῦ Καμεραριάδου ὅσσ' ἀπόλειπε πύρα.
ὅς γ' ἔτι παῖς τέθνηκεν ἐὼν πόῤῥωτ' ἀπὸ
πάτρης
ὅππότ' ἰδεῖν χώρας ἤθελεν ἀλλοδαπάς.

ALIVD EIVSDEM.

Ενθαδ' ἰωσηπφὸν κατὰ παιονὶς αἶα κα-
λύπτει
Τῶν Καμεραριαδῶν παῖδ' ἀπ' ἐόντα
γένος.
δύσμορον ὃν θάνατος κώλυσσ' ἔτι πατρί-
δ' ἰδέσθαι.

γαῖαν ἐπείπερ ὁρᾶν ἤθελεν ἀλλοτρίην.
ὦ πάτου νῦν θρήνοισιν ἀδελφεὸς αἰὲν ἀλλή-
λοις, (μένω.
Καὶ δακρύοις σ᾽ ὦ παῖ πενθεῖται οἰχο-
ἡμέτερος ἰοαχεῖμος ἐνὶ πρώτισα φίλοισι
ὀτρηρέστε θεῶν ἐννέα σὺν θεράπων.
ὦ φίλ᾽ ἀν᾽ οὔτε θανόντα βιώσεις δάκρυα
λείβων,
δάκρυε δ᾽ εἰτ᾽ ὡς φὺς παῖς καλὸς οὗτος
ἔην.

EPITA. IVSTI ELLERI.

Si quis ad hoc uenies monumentum fortè uiator,
Vim fati, caſu, iuraq; diſce, meo.
Iuſtus eram, hoc puero nomen poſuere parētes,
Ellero, proles tertia, patre ſatus.
Prima elementa puer didici, laudante magiſtro
Ingenium & ſtudijs nomina digna meis.
Hæc dum biſſenos ætas mea fecerat annos
Cum mea mors tenui condidit oſſa ſolo.
Et nunc illa patris quondam ſpes parta ſenectæ
Exiguo tumulo, puluis & umbra tegor.

ALIVD EIVSDEM.

παῖς πατρὸς Ελληρου ἤμην ἀγαθός τε φίλος
Εἴσοκεμ᾽ ἠέλιος εἰς ἄρ᾽ ἰουςὸν ἴδε. (το
Νῦν δ᾽ ἀποτεθνεότος κατὰ του μὲν σῶμα
καλύπτει,
ψυχὴ δ᾽ οὐρανίους εἰς ἀνέβησε δόμους.

EPITA. HENRICHI SPAR.

Hoc tegit Henrichi cineres atq; oſſa ſepulchrū,
Cui nomen Sparo nobile ſtemma dedit.
In patriam iuuenis mentem ſurgebat, & artes,
Et iam uirtutum, pectus alebat, honos.
Cùm mors præueniens creſcentes abſtulit annos,
Nec ſinit ad frugem poſſe uenire ſuam.
Hinc igitur ſi quis uenies huc forte uiator,
Ne qua grauis cineres terra, precare, premat.

ALIVD EIVSDEM.

Qui regis & terras & celſi ſidera cœli
Ingeniti ſoboles unica Chriſte patris.
Qui Deus humana ſoluiſti morte peremptus
Conflatum primi criminis omne nefas,
Aſpice, & ô noſtræ ſi te lachrymæq; preceſq;
Tangunt, oranti fer miſeratus opem.
Natus eram, Spari genitoris imagine clarus,
(Vis etenim hoc hominum rebus adeſſe decus)
Aetherea ex aura qui me renouabat & undis,
Henrici nomen iußit habere pater.
Vix primos ætas iuuenilis fecerat annos,
Cùm mea mors iſto condidit oſſa loco.
Nec uitam humanis confiſus uiribus egi,
Sola in te ſemper ſpes mihi Chriſte fuit:
Quod te per patriam quæſo placidißime mentē,
Nos aliqua regni ſuſcipe parte tui.

EPITA. HENRICI HARSCHER.

Hac ſitus Harſcherius quondã eſt Henricus in ur-
Qui uiuus iuuit res, hominesq́; bonos. (na,
Nunc anima æthereas abijt ſublimis in oras,
Aſt hic perpetuo nomen honore manet.
Huius ad exemplum uiuant, quos uiuere laus ſit,
Et fient ſtudijs præmia plura bonis.

ALIVD EIVSDEM

Sparge roſas tumulo, cineriq́; precare quietem,
Quiſquis ad hæc hoſpes fortè ſepulchra uenis.
Non hic qui diris uaſtaſſet cædibus agros
Hæmoniæ proles, conditur, orbis, eques.
Nec qui tentaſſet peregrino puluere menſas,
Mercator multo fractus odore iacet.
Sed tenui de plebe ſatus, cui plurimus æqui
Et cultus recti, iuſticiæq́; fuit.
Quem pater Harſerium gentis cognomine dixit,
Henricum patriæ cætera turba ſuæ.
Ille per aſsiduos à prima ætate labores
Artibus excoluit pectora caſta bonis.
Ille per ingenuas coluit quas ſedulus artes
Ingenio peperit nomina digna ſuo.
Nam ſeu cœleſtes uoluiſſes noſcere curſus,
Et quo prodirent ſidera quæq́; loco.

Curq́; hyades eſſent, & cur pluuioſus Orion,
Siccaq́; cur nunquam tangeret urſa fretum:
Seu quibus in terris ſpacio nox una trimeſtri,
Atq; dies totidem menſibus una foret.
Quantumq́; Armenio diſtaret Tigride Rhenus,
Et quantum Tanais flumine Nile tuo.
Omnia dicebat, non illum puncta Cononis,
Regula fallebat nec Ptolemæe tua.
Sed ueluti præſens numeraſſet ſidera mundi,
Et numerum dabat, & nomina ſideribus.
Et ceu qui coràm fines luſtrauerit orbis,
Nomina ſic orbis finibus ille dabat.
Adde pios animos, & mores pectore dignos,
Factaq́; non ullis oblita criminibus.
Præditus ille quibus, non paruo fouit ardore,
Et ſtudia & Muſas qui coluêre probas.
Ac, quantum tenuis ſiuit res, atq; facultas,
Contulit in cultus munera multa pios.
Quare age qui tanta uixit cum laude ſepulti
Et tumulum folijs, & uenerare prece.
Et dic diſcedens, ut molliter oſſa quieſcant,
Viuat & optatis umbra beata locis.

ALIVD EIVSDEM.

πολλὰ βοηθήσας καὶ χρήματα πολλὰ πορή-
σας.
Τῶν ὃς ἦν ἀγαθὸς, πιερίδωντε φίλος.

Αρσε-

Ἀστερίων γένος εὐρίχος νῦν ἐνθάδε κεῖμαι,
Ἀνταποδοὺς ψυχὴν. ὧν δόξαν οὐρανίοις.

IN MORTEM SIMII Heidelbergenſis.

Sic igitur periјt ſtagnanti merſus in unda
Fama Palatinæ Simius iſte domus?
Hæcq; illi potuit clades contingere tanta,
Dum metuit læſi uerbera dura ſenis?
Nec facies illi, nec amatæ gratia formæ
Profuit, aut miſerum texit ab exitio?
Quinetiam luſus unà periere, iociq;
In ſe queîs iuuenum uertit & ora ſenum.
Dum celeri ſaltu nunc huc, nunc tranſuolat illuc,
Atq; hominis geſtus exprimit, atq; feræ.
Et iuxta magnum tenuit minor ipſe leonem,
Ore idem petulans, & leuitate pedum.
Heu rerum caſus, uitæq; incerta poteſtas,
Vt ruit inconſtans & ſine lege fides.
Ergò etiam illa breuis momento concidit æui,
Quæ modò ſparſa ſolum fama per omne fuit;
Nomine quoq; diu fuit Heidelberga celebris,
Morte ſenex ſubita Simius ille iacet.
Namq; hanc uix ullus uidiſſe eſt traditus urbem,
Cui non & uetulus uiſus hic antè foret.
Nec Lupa Romuleos inter plus nota Quirites,
Noctua plusúe tua Pallas in urbe fuit:

Quàm fuit hic toto paßim memoratus in orbe,
Flumina quà Rhenus, quà uagus Iſter habet:
Quare age mœſta licet fatum miſerêris alumni,
Nicri quæ colles inter, opaca, iaces.
Et triſtes oculos ſumpto uelamine condas,
Et gemitu luctus teſtificêre nouos.
Et meus hic, dicas, cuius modò nomine nota
Aethera adusq; fui, Simius ecce iacet.
Et tumulum facias non æqua morte perempto,
Atq; hoc uel ſimili carmine buſta notes.
Hic uetus ille iacet ſtagnanti merſus in unda,
Dum fugit irati Simius ora ſenis.
Nam decet & fas eſt, quem uiuum læta fouebas,
Huius & extincti morte dolere uices.
Quòd ſi noſtra licet componere fata uetuſtis,
Nec nulla eſt ſignis, ominibusq; fides:
Forſan & hic aliquid uenturo parturit æuo
Caſus, & haud fallax ominis inſtar habet.
Vt neq; de celſo cecidit quæ uertice moles,
Incaſſum nuper ſede reuulſa ſua eſt.
Nec fruſtra horribili quæ luxit in æthere crine
Viſa eſt in noſtro pallida ſtella polo.
Qualia multa patrum ſæclo ſpectata priore
Prodidit annoſi temporis hiſtoria.
Quæ uarij rerum mox excepêre tumultus,
Aut lethum, aut letho plus metuenda fames.
Semper enim anteeunt tacitas præſagia clades,

Excitæ

Excitat & monitor corda ſupina Deus.
Sed prohibete minas, ſuperiq; auertite peſtem,
Si quam nunc ſecum Simius iſte trahit.
Et facilem curſum rebus, placidamq; quietem,
Et bona ſub tuta tempora pace date.
Victima ſic crebrò ueſtras mactetur ad aras,
Sic onerent neſtros thura cremanda focos.

EPITA. AMANDI AB Holtzhuſen.

Conditus hic ſenior placidè requieſcit Amandus,
Ex Holtzhuſorum clara propago domo.
Primus qui patrias Muſas reuocauit in oras,
Multaq; ſyncera pro pietate tulit.
Atq; idem cuſtos, & auitæ pacis amator,
Publica priuata commoda fouit ope.
Multorumq; minas cunctando fregit, & iras,
Dum patriæ uero ſe gerit ore patrem.

Deceßit Anno Domini M. D. XXXVI. ætatis ſuæ LXX. pridie Calend. Nouemb.

ALIVD EPITAPHIVM D. Philippi à Furſtenberg.

Principis hic ſitus eſt dictus de Monte Philippus,
Gentis, dum uixit, gloria ſumma ſuæ.

Idem Pieridum decus & tutela ſororum:
Pacis præcipuè & religionis amans.
Si quid habent ueræ laudis Fabij atq; Camilli,
Armis qui patriam reſtituêre ſuam:
Huic quoq; perpetuæ debetur gloria laudis:
Conſilio ciues texit & ipſe ſuos.

ALIVD EIVSDEM.

Hîc decus, hîc patriæ iacet inclyta gloria terræ:
Tumuli ſub hoc concluſa paruo marmore.
Quid dubitas hoſpes? ſitus hîc iacet ille Philippus,
De uetere natus gente Furſtenbergia.
Cui Muſæ pariter cordi pietasq; fuêre,
Iunctæ ſorores uinculo inſolubili.
Nec prior aut potior poſſedit pectora cura,
Quàm rem tueri publicam, & pacem domi.
Si quid habent ueræ laudis Fabij atq; Camilli:
Debetur illa tota, quanta eſt, huic uiro.

Ob. Anno Dn. M. D. XL.
Aetat. ſuæ LXI.

EPITAPHIVM D. ARNOLDI
à Glauburg: eiuſdem uxoris, & filij.

Hîc pater, hîc cõiunx, hîc natus, morte quieſcũt:
Corporaq; hæc eadem continet urna trium.
Quos patriæ fines ultrà, & tua flumina Mœne,
Abdidit hoc, raptos, inuida Parca ſolo. (ſto
Francforti genitos: quarum hæc, Catharina, uetu

E xylotectorum ſtemmate nata fuit.
Arnoldos pariter dictos natumq́; patremq́;,
Glabergæ tulerat clara propago domus.
Ter quinq; exierant poſt natum ſæcula Chriſtū,
Luſtraq́; plus quàm ter, cum periêre, duo.

ALIVD EORVNDEM.

Hoc puer Arnoldus tenera cum matre quieſcit,
Hoc eodem tumulo conditur ipſe parens.
Glabergæ quondam ſtirpis decora alta, priusq̃
Inuidit tantis Parca maligna bonis.
Quæ modò, flauentis genitos ad flumina Mœni,
Abſtulit, atq; iſto clauſit iniqua ſolo.
Et quiſquam ulteriùs neget inſuperabile fatum?
Aut ſuperûm tacito numine cuncta trahi?

ΑΡΝΟΓΔῷ γλαπυργῆθεν.

Τῷδε κατ' Ἀρνολδὸν τύμβῳ ἐνὶ γαῖα κα-
λύπτει,
Οἴμοι δυστήνου δύσμορον υἷα πατρός.
Ὅσποτε βουλόμενος λοιμὸν καὶ κῆρ' ἀλε-
είνειν,
Ἄλλοθεν ἧκε φυγὼν ἐνθάδε δ' εὗρε μό-
ρον,
Ὡς θάνατος οὐκ ἐστι πεφυγμένος οὐδενὶ
θνητῶν,
Ἀλλ' ἔπετ' ἐς πάντας μοῖρ' ὀλόεσσα τό-
πους.

ALIVD, *ſoluta oratione.*

Clariſ.Arnoldo à Glaberg,I.V.Doctori:Aſſeſſori Cameræ Imper.& Catarinæ ab Holtzhuſen: coniugibus amantiſ. qui fato abrepti anno Domini,&c. M. D. XXXIIII. Poſt filium autem communem Arnoldum, puerum uenuſtiſsimum atq; chariſ.amiſſum,ann.III.Menſ. Aug.deceſſere:hæredd.atq; propinq. pientiſ. P. C.

In Scholam Francofortenſem.

Vt poſterorum conſulatur commodis,
Studiaq; propagentur,atq; artes bonæ:
Quibus imbuantur tenera iuuenum pectora
Regenda quos olim manet reſpublica:
Hanc, utili conſilio & opera,porticum
Patres ſuis ludum aperuêre ciuibus.
Tunc cùm foris bello uacarent cæteri,
Sociosq; ad arma conuocaſſent Vngari.
Anno ſalutis Dominicæ ſupra duos,
Ter quinquies centeſimo,& decimo quater.

AE dilib. Iuſtiniano ab Holtzhuſen,
Ioanne Brommio, & Ber-
tholdo Cnapho.

IN FORTVNAM CVM
horologio circumeuntem: ex
Hom. Odyſ.18.

Τοῖο-

Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε θε-
ῶν τε.

Quod Latinè ſonat:

Vt ſors illa cadit, præſentem quæ regit horam:
Sic humili, aut celſa nos quoq; mente ſumus.

EPIGRAMMA, AD LECTOREM, DE CAESARIBUS Romanis.

SI quis adhuc æui quæris monumenta prioris,
Factaq; maiorum, ſeu bona, ſiue mala.
Et iuuat effigies, atq; ora uidere uirorum,
Imperij quondam qui tenuere decus.
Hoc breue percurras oculis opus, & tibi longa
Conſtabit paucis uerſibus hiſtoria.
Hanc olim Auſonius, primus exorſus ab annis,
Res quibus eſt armis publica uicta nouis.
Ad ſua quadriiugo deduxit tempora uerſu,
Cùm regnum Eoum ceßit ab Heſperio.
Sed fera fatorum uis, & non temporis æqui,
Partem operis longa comminuere die.
Hinc nos inſpectis, partim quos altior ætas,
Partim etiam præſens quos tulit iſta, libris,

Addidimus reliqua, & quod defuit illius annis,
Suppletum ad noſtros duximus uſq; dies.
Quòd ſi quē leuitas quorūdam aut improba facta
Lædent, temporibus computet illa ſuis.
Nam ceu diuerſis uariantur meſsibus anni,
Nec bonitas eadem quæ fuit, illa redit.
Sic hominū uarios generant quoq; ſæcula mores,
Paucos nempe bonos, & ſine fine malos.

DE LVCIO ANNIO VER. ANTON.

Reliquos à Iulio Cæſare uſq;, & poſt hunc ſeptem ſequentes uide apud Auſonium.

Lucius Imperij conſors, generiſq; receptus
Cum Marco pariter Cæſaris arma gerit:
Sed fratri uirtute impar, uitæq; ſolutæ,
Dum benè adhuc potuit, morte repentè cadit.

ALEXANDER SEVERVS.

Perſarum domuit uires, atq; arma Seuerus,
Nomen Alexandri, & fortia facta ſequens.
Mox cū matre tuas dum luſtrat Rhene cohortes,
Iuſtus ab iniuſto militis enſe perit.

MaXI-

MAXIMINI, PATER
& filius.

Hic Thrax obſcuro factus de milite Cæſar,
Finibus intendit prælia Teutonicis.
Sed malè dum regnat cæſus cum principe nato,
Exemplo pœnas pertulit ipſe ſuo.

GORDIANI, PATER
& filius.

Legerat hos clara natos de ſtirpe Senatus,
Cum Thrax in caſtris imperium arriperet.
Sed fortuna magis ualuit quàm ſanctio patrum,
Barbarus exitium miles utriq; tulit.

PVPIENVS, QVI ET MA-
ximus cum Balbino.

Legit & hos cõtra ſordes gens Romula Thracũ,
Dum dolet amiſſum uicta pudore decus.
Sed neq; tunc illis melior fortuna refulſit,
Cæſare nam uicto, uictor uterq; cadit.

GORDIANVS IVNIOR.

Tertia tot uictis ſucceſsit Gordia proles,
Publica quo fœlix res duce rurſus erat.
Inuidit fortuna iterum, dum uictor oberrat
Arſacidas inter, uincitur à ſocero.

PHILIPPI, PATER ET FILIVS.

Imperium generi pollutum cæde Philippus
Occupat, & faſces impius Auſonias.
Mox nato Romæ ſocios imponit honores,
Sed necat exemplo miles utrunq; pari.

DECII, PATER ET FILIVS.

Pannonijs Cæſar Decius generatus in oris,
Cum nato è caſtris uenit ad imperium.
Mox tamē arma Gothis dū mouit, cæde peremptus
Pœnas quas Chriſto debet uterq; tulit.

GALLVS HOSTILIANVS cum Voluſiano filio.

Poſt Decios Gallus, cum nato, Cæſar habetur,
Inſignis turpi fœdere, deinde lue.
Hic primus Scythicæ ſoluit ſtipendia genti,
Dij benè huic regnum quòd tribuere breue.

AEMILIANVS.

Maurus erat, qui dum ferro premit arma Gothorum,
In caſtris iuſſus ſuſcipit Imperium.
Sed quia barbaries generis mox uiſa pudēda eſt,
Qui dederant, ijdem huic imperium eripiunt.

LICIN. VALERIANVS.

Hunc genus, & magni ſtudia euexere ſenatus,
Sed uis ignauo defuit ingenio.
A Sapore captus Perſarum rege, per omnem
Aetatem turpi uixit in exilio.

GALIENVS.

Hic prima Auguſtus cum patre ætate creatur,
Mox uitium, luxu perditus, omne fouet.
Ergò & triginta tunc ſurrexere Tyranni,
Ipſe obit, obſeſſo captus ab Aureolo.

CLAVDIVS.

Claudius antiquos referens cum nomine mores,
Spe patrum magna uenit ad imperium.
Mox cæſis Gothicis terraq́;, mariq́;, cateruis,
Sicca poſt multos morte domi moritur.

QVINTILIVS.

Par erat hic fratri uita & uirtute futurus,
Ni fugeret cœpto protinus imperio.
Namq́; ſibi ipſe manus, hoc uno fortis, adegit,
Dum metuit uires Aureliane tuas.

AVRELIANVS.

Hic quoq; Barbarico uarios ex hoſte triumphos
Retulit, in caſtris fortis, in urbe ferus.
Idem repreſsis hic abſtulit arma Tyrannis,
Indignus ſerui qui caderet manibus.

TACITVS.

Poſt interregnum Tacitus, cenſente Senatu,
Accipit imperium uir grauis, & ſapiens.
Sed quem conſilio populus, patresq; crearunt,
Militis inſana ſeditione perit.

FLORIANVS.

Poſt cædem fratris, faſces hic arripit ultro,
Vi captans, Tacitus quod probitate nequit.
Mox tamen aduentu potioris territus idem,
Ipſe ſua miſſo ſanguine ſponte cadit.

PROBVS.

Hic uirtute potens, & rerum laude ſuarum,
Conſenſu magno uenit ad imperium.
Sed qui Romanis totum pacauerat orbem,
Concidit infando militis enſe ſui.

CARVS.

Hic quoq; Cæſareos uirtute æquauit honores,
Sauromatûm inuicta dum premit arma manu.
Sed dum Parthorum bello idem ſæuit in agris,
De cœlo (mirum) fulmine tactus, obit.

NVMERIANVS.

Huic cum fratre dedit genitor conſortia regni,
Sed breue lætitiæ tempus utriq; fuit:
Nã poſt fata patris, dũ Tigridis arua pererrat,
Inſidijs ſoceri & fraude peremptus obit.

CA-

CARINVS.

Aſt hic Illyricos, & regna à patre relicta
Dum ſcelere & ſtupris polluit omnijugis.
Victus mox armis à ſucceſſore Diocle,
Vltrici cecidit militis enſe ſui.

DIOCLETIANVS.

Barbarus hic ſæuis Aegyptum contudit armis,
Chriſticolûmq; dedit millia multa neci.
Mox ſenior patrijs regni pertæſus in hortis
Degit, & ipſe ſua ſponte uenena bibit.

MAXIMIANVS.

Hic ſocius regni factus, cenſente Diocle,
Gallorum motus reprimit, & Libyæ.
Mox ſuaſu eiuſdem priuatis uixit in agris,
Sed genero inſidias dum parat, ipſe perit.

CONSTANTINVS CHLORVS.

Hic Helenæ coniunx, Gallos cum pace regebat,
Viribus oppreßis trux Alemanne tuis.
Mox Conſtantino de ſe rectore creato,
Ipſe Britannorum clauſit in orbe diem.

GALERIVS ARMENTARIVS.

Armenios, Perſasq; ſuis hic contudit armis,
Dum tu Conſtanti Gallica rura tegis.
Poſt morbo abſumptis genitalibus, ipſe pari ſe,
Qua fuit in reliquos, aſperitate necat.

SEVERVS.

Hic dum Maxenti uoluit ſedare tumultus,
Obſeditq; armis Romula tecta ſuis.
A proprio, indigno, confoſſus milite, caſu,
Cum uita pariter clauſit & imperium.

MAXIMIANVS IVNIOR.

Aſt hic exemplo monitus, metuensq́; pericli,
Militibus ceßit perfida caſtra ſuis.
Fortis in imbelles, & Chriſti nominis hoſtis,
Inguine cui pœnas uermiculante dedit.

MAXENTIVS.

Imperij faſces, & maieſtatis honorem,
Huic turba in caſtris ſeditioſa dedit.
Sed malè quæſitum, caſu peiore relictum eſt,
Nam merſus perijt flumine Tybri tuo.

LICINIVS.

Nec tua ſors, Licini, melior, neq; fata fuerunt,
Qui belli effugiens funera, pace cadis.
Sed dedit hoc tua barbaries, qui ſumma deorum,
Munera conſueras dicere pernitiem.

CONSTANTINVS MA-
GNVS.

Hic Helenæ natus, pulchro cognomine Magnus,
Eoas gentes rexit, & Heſperias.

Idem

Idem Bizanti nomen mutauit, & urbem,
Primus qui coluit, numina Chriſte tua.

DALMATIVS.

Fratribus hic conſors tribus à genitore relictus,
Imperij titulos tempora pauca gerit.
Nam poſt fata patris, patrueli filius aufert,
Et uitam, &, dederat quod pater, imperium.

CONSTANTINVS IVNIOR.

Diuiſo imperio tres inter nomine fratres,
Hunc ſors præfecit finibus Heſperijs.
Sed dum plura cupit, fratremq; ad bella laceſſit,
Cum uita acceptas liquit auarus opes.

CONSTANS.

Aſt hic ſublato dum fratre, atq; hoſte, ſuperſtes
Italiam tenet, & Gallica regna ſibi.
Magnentij ſcelere, & caſtrenſi cæde peremptus,
Exitium fratris uindicat ipſe ſuo.

MAGNENTIVS.

Non fauet indignis ultrix Rhamnuſia factis,
Et quanquam ſero, uindicat illa tamen.
Sic bello amiſit regnũ hic, quod fraude pararat,
Poſt etiam ipſe ſuo mortuus enſe cadit.

CONSTANTINVS.

Vindicat hic fratris cædem, reprimitq; Tyrãnos,

Et triplicis regni mun'a ſolus obit.
Mox tamen aduerſa febri correptus, & ira,
Ipſum dum nequijt uincere ſe, moritur.

IVLIANVS.

Priuatus monachum fuit, & te Chriſte profeſſus,
Mox Cæſar magica poſcit ab arte fidem.
Non malus imperio, nec contemnendus in armis,
Sed læſi euertit numinis ira uirum.

IOVIANVS.

Hic uirtutis amans, ſed rebus inutilis autor,
Pacem quam decuit tradere, ab hoſte capit.
Sed breue ius regni, primoq; intercidit æuo,
Conclauis nimio læſus odore noui.

VALENTINIANVS.

Teutonicos motus, Parthūq;, Gothūq; repreſſit,
Acceptumq; prius dedecus omne leuat.
Par priſcis ducibus, ſed dum reſponſa Quadorum
Legatis dictat, ſanguine tactus obit.

VALENS.

Promouet hic Arrii ſcelus, impugnatq; fideles,
Mox flagrat in parua uictus ab hoſte caſa.
Fœlix dum ſocius regni, cum fratre gubernat,
Impius, ut ſolus res tenet, atq; miſer.

GRATIANVS.

Hic Alemannorum memoranda clade cateruas,
Haud procul à fluuio contudit Elle tuo.
Mox dum ſecurus peregrinis gaudet in armis,
Militis inſidijs occidit ipſe ſui.

VALENTINIANVS IVNIOR.

Qui fratrem uita, regno hũc ſpoliauit, & armis,
Et manus Auguſtos prodidit una duos.
Sed tamen hic rediens uicto te Maxime, rurſum
Per fraudem laqueo guttura uinctus obit.

THEODOSIVS MAGNVS.

Optimus hic princeps, & uero nomine Magnus,
Barbariem toto depulit imperio.
Et paßim dextra cæſis ultrice Tyrannis,
Tranquilla ſoluit lumina morte ſenex.

ARCADIVS.

Diuiſo imperio, genitor quod ſolus habebat,
Eois princeps finibus iſte datur.
Qui nece Rufini, cùm depulit arma Gothorum,
Bizantî, patria mox tumulatur humo:

HONORIVS.

At maior rerum moles hunc excipit, armis
Africa, & Italia, & Gallia tota fremit.
Ipſaq; Roma caput, Gothicis fit præda maniplis,
Quàm cupis hoc Stilico dißimulare nefas!

THEODOSIVS IVNIOR.

Hic puer imperium moriente à patre relictum,
Plurima ſub placida tempora pace regit.
Sed dedit hoc Perſæ bonitas tutoris, ut hoſtis
Eoas uellet lædere nullus opes.

VALENTINIANVS TERTIVS.

Hoc cadit oẽ decus ſub principe, Saxo Britãnos,
Gallica Francus init, Bæthica regna Gothus.
Vandalus hinc Afros, Italos hinc Attila uaſtat,
Ipſe cadit Cæſar militis enſe ſui.

MARTIANVS.

Hactenus Auſonij durauit gloria regni,
Et tenuit uires Itala terra ſuas.
Namq; hic ſecurus dum res tutatur Eoas,
Vandalica cecidit diruta Roma manu.

LEO.

Aſparis inſidijs ſublato rege priore,
Graius hic Eoum uenit ad imperium.
Interea externũ dum Roma exhauſta per hoſtẽ,
Motibus ipſa ſuis perdita, tota ruit.

ZENO.

Dum Zeno imperium, nato tradente, gubernat,
Italia hinc Herulis præda fit, inde Gothis.

Hos

Hos Theodericus, illos Odoacer agebat,
Heu quantum à ueteri res fuit iſta ſtatu?

IMPERATORES GRAECI, QVI GOTHORVM ET *Longobardorum temporibus imperarunt.*

FLA. VAL. ANASTAſius Dicoros.

Cognomen Dicori dedit huic pupilla biformis,
Vixit pacifica tempora longa manu.
Sed tamen Eutychij fecit doctrina nocentem,
Creditur hinc flammis mortuus eſſe Iouis.

IVSTINVS THRAX.

A pecore & ſtabulis fuit hic in regna receptus,
Militis hoc emptus contulit ære fauor.
Quem tamen ipſe dolū multa bonitate rependit,
Virtutum & ueræ relligionis amans.

IVSTINIANVS.

Hic Perſas domuit, Libyam, Romamq; recepit,

Atq; unus triplici uictor in orbe fuit.
Idem compoſuit diſperſas, ordine leges,
Dum pacem ſtudio tradit & arma pari.

IVSTINVS MINOR.

Ingenio, & pietate Minor, non tempore tantum,
Hic fuit, at magnus cultor auaritiæ.
Regna ſub hoc longi cœperunt Itala Bardi,
Ipſe pedum morbo mentis egenus obit.

TIBERIVS.

Aſt hic diuitias regum elargitur egenis,
Erga alios facilis, nec grauis ipſe ſibi.
Deuicit Perſas, & ſucceſſore creato,
Ipſe domi placida morte quietus obit.

MAVRITIVS CAPPADOX.

Cappadocûm genere hic, regno uirtute parato,
Reppulit hinc Hunnos, reppulit inde Scythas.
Sed tribus à Phoca cum natis cæde peremptus,
Omnes qui uicit, uictus auaritia eſt.

PHOCAS.

Hoſtibus hic totũ lacerandum præbuit orbem,
Dum ſtabilit regnum Romule Papa tuum.
Nomine, req; idem, uitioq; obnoxius omni,
Vitæ, quam meruit, crimina morte luit.

HERACLIVS.

Tempore

Tēpore quo primus Arabū Mahometa cateruas
Duxit, hic Eoo præfuit imperio.
Occidit Perſas Chriſtum eiurare iubentes,
Inguinis interijt turgiditate ſui.

CONSTANTINVS HERACLII.

Filius hic regni patrias accepit habenas,
Vir pius, & generis fama futura ſui.
Sed ſæuit fortuna malis, nam fraude nouercæ
Dum parat hæc fratri ſceptra, uenena bibit.

MARTINA CVM FILIO.

Nulla diu conſtant uiolenti præmia facti,
Et ſcelere acceptum per ſcelus eripitur.
Hæc lingua, hic naſo truncati turpiter ambo,
Clauſerunt fato ſceptra, dieq; pari.

CONSTANS.

Multa hic diuerſos regni molitus in hoſtes,
Nil præter cædem rettulit atq; fugam.
Mox grauis ipſe ſuis, Latium ſpoliauit, & urbē,
In thermis igitur dum lauat opprimitur.

CONSTANTINVS POGONATVS.

Vindicet ut patrē Siculos mouet arma per agros
Victori nomen cui noua barba dedit.
Mox Arabum ſeptem, terraq;, mariq;, per annos
Agmina multiplici territa clade, domat.

IVSTINIANVS.

Hic Arabum pulſis Libyam pacauit ut armis,
Nare fugit trunca pulſus in exilium.
Mox ope Barbarica rediẽs, atq; arma retractãs,
Dum ſucceſſorem uindicat, ipſe cadit.

LEONTIVS, QVI ET LEO.

Hic Heracliden ſolio deiecit auito,
Fraude ſacerdotis dum rapit imperium.
Sed uidet hoc Nemeſis, nã regno captus adẽpto,
A uicto pœnas quas capit, ipſe dedit.

ABSYMARVS, QVI ET TIBERIVS.

Claßicus Auguſtum creat hunc exercitus armis,
Dum Leo ui raptum continet imperium.
Ergo & regnãtem capit, atq; in carcere ſeruat,
Dum rediens exul Cæſar utrumq; necat.

PHILIPPICVS.

Hic quoq; ui partum, ui regnum amittit eadem,
Et reliquum uitæ luminis orbus agit.
Siue hoc impietas fecit, ſeu factio patrum,
Illum qui rebus diſtinuere ſacris.

ARTEMIVS QVI ET Anaſtaſius.

Hic

Hic pius affectat, Papæ famulando, uocari,
Dum placita illius, dictaq; cuncta probat.
Nec tamen euaſit, nam quos mittebat in hoſtem,
Victus ab his, monachi clauſtra coactus obit.

THEODOSIVS ATRAMY-
TENVS.

Hic fugiens regnũ, regni pertractus ad arma eſt,
Quamuis nec longè ſic quoq; ſceptra tenet.
Nam dum præfecti bello infeſtatur Eoi,
Cedit huic regnum, deditus ipſe ſacris.

LEON ISAVRVS.

Inſignis proprio ſcelere hic, & clade ſuorum eſt,
Quorum pars ferro, pars periêre lue.
Nam dum ipſe effigies diuorũ impugnat, & urit,
Vis Arabum Eoos uexat & Heſperios.

CONSTANTINVS CO-
PRONYMVS.

Egerit hic aluum, ſacro dum fonte lauatur,
Quæ puero nomen res dedit inſolitum.
More patris cineres proculcat, & oſſa piorum,
Inde ſenex turpi fertur obiſſe lepra.

LEO CONSTANTINI.

Aemulus hic patris, rapto diademate ſacro,
Exornaſſe comas dicitur ipſe ſuas.

Ergò,& ſacrilegam mox perculit ultio frõtem,
Vſtus obit,fœdo tuberis igne, caput.

CONSTANTINVS LEONIS.

Priſtinus hoc tandem redijt ſub principe cultus,
Et pax Diuorum uenit imaginbus.
Ipſe autem quia ferre negat conſortia matris,
Effoßis oculis,carcere uinctus,obit.

IRENE.

Bis tenet hæc regnum,totieſq; repulſa fit exul,
Fœmina non ullos poſt memoranda uiros.
Tùm demum Heſperiæ regnum ſe ſcindit Eoo,
Alteraq; imperio eſt pars data Magne tuo.

GRAECORVM IMPERATORES POST DIVISIOnem Imperij.

NICEPHORVS.

DVM *muliebre putat nimis intolerabile regnum,*
Hic factus longè eſt intolerabilior.
Sed tamen inuenit dignas Rha*mnuſia pœnas,*
Obrutus in caſtris nocte ſilente perit.

STAV=

STAVRATIVS.

Aſt hic elapſus nocturna è cæde parentis,
Saucius imperij protinus arma rapit.
Noluit hoc fortuna pati, ſolioq; repulſus,
Cætera cum monachis tempora clauſus obit.

MICHAEL CVROPLATES.

Si quàm pace bonus, tàm fortis ad arma fuiſſet,
Poſſet & hic magni nomen habere ducis.
Sed trepidus pugna poſtquam ſuperatus in una
Sponte ſua cœptum deſerit imperium. (eſt,

LEO ARMENIACVS.

Impius in ſuperos, ſed belli uiuidus idem,
Victa Triballorum contudit arma Leo.
Poſt tamen inuiſus iuſto quia ſæuior eſſet,
Inſidijs Trauli, & cæde peremptus obit.

MICHAEL TRAVLVS.

Hunc neq; gẽtis honos, proprij neq; gratia facti,
Sed domini cædes traxit ad imperium.
Bella tamen geſſit, regnumq; auertit ab hoſte,
Sponte ferens nato, fraude quod ipſe tulit.

THEOPHILVS.

Aſt hic dum proprij ſequitur ueſtigia patris,
Regnaq; collecta pacat ab hoſte manu.
Italiæ extremas uictus cum claſſe per oras,

Mæſtus, inopsq; animi, fata dolore ſubit.

THEODORA.

Exemplo Irenes regnum Theodora capeßit,
Et nati conſors fœmina facta ſui eſt.
Sed quia rara manet ſocij concordia regni,
Mox eadem in clauſtris uiuere iuſſa fuit.

MICHAEL THEOPHILI.

Hic dum Romanum placat ſibi munere Papam,
Turpiter interea fuſus ab hoſte fugit.
Mox ſociam regni qui matrem ferre negarat,
Captiuo à ſocio morte peremptus obit.

BASILIVS MACEDO.

Hic genere obſcurus, regnum ſibi cæde parauit,
Sed ſcelus hoc texit cætera fama uiri.
Graſſantes Arabes ipſos, claſſemq; repreßit,
Ictu poſt cerui, quem petit, interijt.

LEO BASILII.

Doctior hic alijs, ſed nec ſucceßibus impar,
Non ſemel hoſtiles fudit & ipſe manus.
Arma ſub hoc tandem mouerunt Principe Turci,
Ipſe perit uentris debilitate ſui.

ALEXANDER BASILII.

Aſt hic dißimilis patri, & uirtutibus impar,
Segnis Alexandri nil niſi nomen habet.

Ergò

Ergò etiam moritur, uita de nare fluente,
Et facit huic regnum crapula multa breue.

CONSTANTINVS VII.

Hic cum matre diu patriam defendit ab hoſte,
Mox ſociam regni miſit in exilium.
Hinc Italos bello tentauit, & inde Triballos,
Ipſe tamen placida morte quietus obit.

ROMANVS LECAPENVS.

Non ſatis huic regni eſt pariter quòd ſceptra gubernat,
Inſidias genero ſed ſtruit ipſe ſuo.
Ergò etiam meritas ſoluit pro crimine pœnas,
Natis cum geminis actus in exilium.

ROMANVS IVNIOR.

Hic duce te Phoca, Turcas, Arabaſq; repreſſit,
Ipſe uoluptati deditus, atq; mero.
Impius in patrem, & proſtantes ære ſorores,
Dij malè, quòd ſerò toxica miſta bibit.

NICEPHORVS PHOCAS.

Hic uirtute potens multorum contudit arma,
Dum uocat ad ueterem perdita regna ſtatum.
Sed Parcæ uicêre tamen, nam fraude ſuorum
Occidit in thalamis proditus ipſe ſuis.

IOANNES ZIMISCES.

Regnat hic, occiſo, cuius bonitate profectus,

A ludo & pueris impar ad arma fuit.
Sed tamen & uictos domuit cum rege Triballos,
Hæc uirtus: uitam toxica pota necant.

BASILIVS.

Hic regnum decies quinos perduxit in annos,
Atq; foris, cæſis hoſtibus, atq; domi.
Idem quindecies cæcauit mille Triballos,
Hinc moriens fratri tradidit imperium.

CONSTANTINVS FRATER BASILII.

Hic ſenior regnum capiens à fratre quietum,
Luxuriæ tempus deditus omne fuit.
Tartaricus tamē hoc ſub principe uincitur hoſtis
Quæ tua tota fuit gloria Diogenes.

ROMANVS ARGYROPYLVS.

Hic gener imperio ſoceri poſt fata recepto,
Principio bonus, & fortis ad arma fuit:
Mox acie uictus uitam eſt ingreſſus inertem,
Coniugis ergò dolis mergitur inter aquas.

MICHAEL PAPHLAGO.

Huic dedit imperium quæ merſit fraude maritū
Dum forma captam uexat amore Venus.
Multa tamen regno beneſecit Barbarus idem,
Donec aqua perijt, quæ facit hauſta ſitim.

MI-

MICHAEL CALAPHATES.

Perfidus hic ſocio uoluit depellere regno
Authores regni quos habet ipſe ſui.
Dij uetuêre nefas, nam lumine foſſus utroq;,
In tenebris perijt, qui modò fulgur erat.

ZOE ET RHEODORA.

Calaphathæ ſcelus & regni benefacta prioris
Imperium Zoe reſtituere tibi.
Addita cui ſoror in partem eſt, ſed tẽpore paruo
Dum prohibet uiduam te Venus eſſe diu.

CONSTANTINVS MONACHVS.

Hunc ſocium thalami, & conſortem in regna uocatum
Longinquo Zoe traxit ab exilio.
Turcica quo tandem creuerunt principe regna,
Dum malè uicinas ipſe tuetur opes.

THEODORA.

Poſt tot fata uirûm Germanæ ſola ſuperſtes
Imperij hæc annis ſceptra duobus habet.
Quantum bella ſolent ſecuræ cedere paci,
Tanto principibus præſtitit illa uiris.

MICHAEL SENIOR.

Accipit hic regnum titulo tenus, obſitus annis
Et benè tractandis rebus inutilior.
Indignum populo uiſum hoc, & patribus, ergò
Caſtrorum pulſo ſubſtituere Ducem.

ISACIVS COMNENVS.

Forſan et hic magnos æquaret laude triumphos,
Debita ſi liceat claudere fata ſeni.
Sed quia uix ſumptis morbo uexatur habenis,
Imperium, monachi clauſtra peroſus, obit.

CONSTANTINVS DVCAS.

Nec minus hic fuerat meliores inter habendus,
Si modo uitaſſet crimen auaritiæ.
Quo patriæ ſimul inuiſus mox factus, & hoſti,
Sed tamen & moriens præcauet antè ſuis.

EVDOTIA.

Hæc uidua, ut natis ſeruaret iura parentis,
Poſt mortem ſumpſit coniugis imperium.
Sed quia fœmineis malè bella geruntur in armis,
Mox eadem à populo eſt nubere iuſſa uiro.

ROMANVS DIOGENES.

Turcarum metus huic regnũ thalamosq; parauit,
A queis poſt captus, qui modò uictor erat.
Sed cui captiuo parcit tàm Barbarus hoſtis,
Huic reduci ciues eripuere diem.

MICHAEL PARAPINA-
CEVS.

Hic regnum à ſcelere incepit, cum coniuge, pulſa
Matre, ſed exemplo mox fugit ipſe pari.

Tunc

Tunc cùm dira fames totam uexauerat urbem,
Sed factus monachus conſulit ipſe ſibi.

NICEPHORVS BOTO-
NIATES.

Hunc regem fecit ſocordia magna prioris,
Quanq̃ etiam ipſe foret regibus ortus auis.
Perfidia fratrum, quorum ſua credidit armis,
Compulſus monachi clauſtra ſubire fuit.

ALEXIVS COMNENVS.

Diripit hic patriam, dum regnũ quæritat armis,
Quodq́; hoſtes nequeunt, impius ipſe facit.
Poſt tamen illa ſenex, quæ iunior abſtulit urbi,
Pupillis pueris, uirginibusq́; dedit.

IOANNES CALOIANES.

Hic melior bello Turcos, Perſasq́; repreßit,
Addidit & regno mœnia multa nouo.
Sed ſenior uenans arcum dum tendit in aprum,
Mortuus eſt ictu uulneris ipſe ſui.

MANVEL.

Hic noſtris bello Solymam repetentibus urbem,
Abdita gypſato farre uenena dedit.
Omnibus infeſtus, nulli ſatis æquus amicus,
Poſtremo monachus tempore factus, obit.

ALEXIVS.

Pupillus patri ſucceßit Alexius, at mox
Crimine tutoris perfidiaq; perit.
Nec ſatis ad ſcelus hoc, trũca ceruice per undas
(Tanta fides regni) ſpargitur æquoreas.

ANDRONICVS COMNENVS.

At ſcelere hic partum ſublato principe, regnum
Sæuitia inuiſum reddidit ipſe ſua.
Ergò manu truncus mox idem, ac luminis orbus
Spectaclum propria captus in urbe fuit.

ISACIVS ANGELVS.

Comiter in Syriam noſtros tractauit euntes,
Et ſocius regni uixit hic Heſperij.
Sed perit à proprijs, nã frater ab hoſte redẽptus,
Abſtulit huic almum, quem dedit ipſe, diem.

ALEXIVS ANGELVS.

Impius hic fratrem regni ſpoliauit habenis
Munere ſeruatus cuius àb hoſte fuit.
Sed melius noſtri, ſceptro qui rurſus adempto,
Imperium ſocio reſtituere ſuo.

ALEX. IVNIOR ISACII.

Hic puer eiecto patri reparauit habenas,
Mox uita functi ſuſcipit ipſe uices.
Fœlix, ni proprij cecidiſſet fraude miniſtri,
Cui tamen & finem mors tulit iſta ſuum.

IMPE-

IMPERATORES GALLICI QVI POST ALEXII CAEdem Conſtantinopoli regnarunt.

BALDVINVS FLANDRENSIS COMES.

HActenus Eoum tenuit gens Pontica regnum,
Cædibus & crebra ſeditione potens.
Primus hic è Gallis uacuas accepit habenas,
Imperio fines reſtituitq; ſuo.

HENRICVS BALDVINI FRATER.

Accipit hic regni ſedes à fratre relictas,
Filia Myſorum cui data nupta Ducis.
Sed dum Theſſaliam luſtrat, regemq; coronat,
Deceſsit, genero ſceptra deditq; ſuo.

PETRVS ANTISIODORENSIS.

Hic gener uxoris regno cum dote recepto,
Irrita cum Græcis prælia pauca gerit.
Sed mox perfidia deceptus, & arte Pelaſga,
Inter menſarum ſacra peremptus, obit.

ROBERTVS.

Aſt hic dum properat capto ſuccurrere patri,
Comperit heu ſponſæ triſtia damna ſuæ.
Hæc quoq; feſtinans ulciſci, morte recumbit,
Sic nihil imperio contulit ille nouo.

BALDVINVS.

Vltimus hic ſolio Gallorum ſedit Eoo,
Saluus dum ſoceri ſe tegit arte ſui.
Qui ſimul ac fato eſt functus, circundatus ille
Hoſtibus, & regno deficiente, fugit.

IMPERATORES GRAECI, QVI CONSTANTINOPOlin uſq; dum à Turca capta eſt, tenuerunt.

MICHAEL PALEOLOGVS.

GRAEculus hic patria Græcos ſibi fraude ſubegit,
Dum paßim cunctos eijcit arte duces.
Sed moriens dignas ſoluit pro crimine pœnas,
Dum iacet immundis præda relicta feris.

ANDRONICVS.

Hic

Hic multa à proprio perpeſſus dãna nepote eſt,
Sed culpam patris ſors luit ipſe ſui.
Eiectus regno, rurſusq; reductus, ab hoſte,
Quam dare noluerat mox petijt ueniam.

ANDRONICVS IVNIOR.

Dum petit hic ab auo regnũ per bella paternũ,
Sæpe premit miſerum iunior ipſe ſenem.
Mox tamẽ ut ſolus partas moderatur habenas,
Seruat tranquillas pacis amator opes.

IOANNES CATACV-
ZENVS.

Hic tutor pueris, inuaſit regna, relictus,
Mox pulſus, Turcæ ſceptra reſumit ope.
Atq; ita Barbaricæ patefacto limine genti,
Ipſe iterum eiectus clauſtra ſubit monachi.

IOANNES PALEOLO-
GVS.

Pellitur hic regno, rurſusq; reducitur idem,
Atq; ſuis ſocerum deijcit auxilijs.
Vtilis ipſe ſibi, & facto ſceleratus eodem,
Hoſtem quòd patriæ duxit in arua nouum.

MANVEL.

Aſt hic tranquilla peragit ſua tempora pace,
Vir bonus & fidei, iuſticiæq; tenax.

Hinc nihil illius fertur memorabile, dempto
Natorum ſeptem quod pater unus erat.

IOANNES.

Maximus hic natu patrijs ſucceßit habenis,
Pacis & ipſe ſui more parentis amans.
Romanum coluit magno obſeruamine Papam,
Hinc ſatis Italico tutus ab hoſte fuit.

CONSTANTINVS VLTIMVS.

Vltimus hic tenuit labentis culmina regni,
Quem rapuit capta Turcicus urbe furor.
Sic habuit finem tua Conſtantine propago,
Gloria Barbarie ſic tua merſa iacet.

IMPERATORES GERMANICI TRANSLATO IMPERIO AD FRANCOS & SAXONES.

CAROLVS MAGNVS. 1.

FRANcorum primus Romanæ hic imperat urbi,
Pontificis iuſſu lectus in imperium.
Saxones ac Hunnos domuit, longosq; Sueuos,
Et docuit Chriſti Teutona regna fidem.

Ludouicus

LVDOVICVS PIVS. 2.

Hunc pietas celebrem facit, & clemētia morum,
Quamuis idem æquè fortis ad arma fuit.
A natis capitur regnum affectantibus, at mox
Reſtituit populus ſceptra, fidemq́; uiro.

LOTHARIVS. 3.

Diuiſo in fratres regno, Lotharius arma
Cæſaris & titulos accipit imperij.
Sed mox ſiue hominum, ſeu rerum fata peroſus,
Imperium nato, quod gerit, ipſe dedit.

LVDOVICVS SECVNDVS. 4.

Hunc genitor uiuus regno ſufficit & armis,
Vindice quæ geſſit tempora longa manu.
Tandem compoſitis bello, rebusq́; paternis,
Inſubrum moriens clauſit in orbe diem.

CAROLVS CALVVS. 5.

Hic fratris regni præuertit fraude nepotes,
Dum petit Auguſtas ambitioſus opes.
Britone dehinc uicto, uaſtantibus omnia Mauris,
Perfidia medici perditur ipſe ſui.

LVDOVICVS BAL-
BVS. 6.

Hic ope Pontificis patrias accepit habenas,
Itala cum nollet factio ferre uirum.

Sed breue ius regni dedit huic infirmior ætas,
Nam moriens annos occidit ante duos.

CAROLVS CRASSVS. 7.

Pannonas & Cimbros diuerſo Marte ſubegit,
Carolus à Craſſo corpore nomen habens.
Sed benè quas iuuenis regni tractarat habenas,
His iterum ſenior deſpoliatus obit.

ARNVLPHVS 8.

Hic quoq; non modico uicit certamine Cimbros,
Gallica dum uario regna timore premunt.
Sed quia Diuorum ſpoliauerat impius aras,
Idem Syllana tabe peremptus obit.

LVDOVICVS TERTIVS 9.

Excipit hic patriū, fato tamen impare regnum,
Pacem nam uerſo uictus ab hoſte rogat.
Mox etiam inſidijs Veronæ ad mœnia captus,
Hoſtica crudeli funera clade luit.

CONRADVS PRIMVS 10.

Vltimus hic ueteri Francorum ab origine Cæſar,
Imperium ſocio fretus Othone gerit.
Idem ui multa graſſantes contudit Hunnos,
Noricus Alpinos quâ ſecat Enus agros.

HENRICVS PRIMVS
qui & Auceps. 11.

Primus

Primus ad Arctoas hic ſceptrum tranſtulit oras,
Tanta fuit uirtus, tantaq; fama uiro.
Vandalicos, Hunnosq;, & ſæuos Marte Boemos
Contudit, & populos Belgice Sora tuos.

OTHO MAGNVS 12.

Hic fratrem, hic generum uicit, natumq; rebellē,
Hic Hunnum & populos ſæue Boeme tuos.
Hic etiam Italiam duplici pacauit ab hoſte,
Hunc habuit ſummum Saxonis ora uirum.

OTHO SECVNDVS 13.

Par animis patri Gallorum hic uindicat artes,
Et ferit ultrices cum patruele manus.
Sed dum relliquias Graiorum expugnat ab hoſte,
Auxilio linguæ, atq; ære redemptus abit.

OTHO TERTIVS 14.

Hic ſeptem inſtituit proceres, qui lege creato,
Teutonicoq; Duci ſceptra gerenda darent.
Ipſe autem Latia dum ſedat in urbe tumultus,
Oppreſſere pium toxica pota uirum.

HENRICVS SECVNDVS, *qui & Claudius* 15.

Hic Flādros, Leucosq; domat, gentemq; Boemā,
Hic Italum Argiuo liberat hoſte ſolum.
Idem & Pannonios ueri præcepta Tonantis

Edocet, hinc diuûm nomen & ipſe gerit.

CONRADVS SECVNDVS. 16.

Hic quoq; graſſantes bello compeſcuit Hunnos,
Adiecitq́; iterum Gallica regna ſuis.
Milite & Inſubres cinxit, Romaq́; regreſſus,
Sueuorum occiſo comprimit arma Duce.

HENRICVS III. *qui &*
Niger. 17.

Imperat hic uictis præſtanda tributa Boemis,
Hunnorumq́; armis opprimit arma ſuis.
Mox etiam ſubigit naſcentis regna Moſellæ,
Et noua Pontifici iura dat Auſonio.

HENRICVS IIII. 18.

Pontificum ſcelus, & peruerſæ numina Romæ,
Hunc rerum uarijs expoſuere malis.
Sed qui perfidiam Latij, qui Saxonis arma
Vicerat, à nato proditur ipſe ſuo.

HENRICVS V. 19.

Aſt hic digna tulit deſerti præmia patris,
Exceptus diris Romule Papa tuis.
Inſuper & ſæuis expertus Saxones armis,
Donec Pontificis iuſſa facit domini.

LOTHARIVS SAXO. 20.

Reppulit hic Sueuos, pro regno bella mouentes,

Et

Et poſuit motus Itala terra tuos.
Hinc pacis ſtudia, & maiorum iura reuoluens:
Præcepit Latijs illa docere ſcholis.

FRIDERICVS I. *Qui & Barbaroſſa.* 21.

Huic ſi par animo quondam fortuna fuiſſet,
Quanto Pontificum nunc foret ira minor?
Quâ tamen id potuit, patriam defendit, & unus
Obſtitit imperijs Roma ſuperba tuis.

HENRICVS VI. *Barbaroſſæ filius.* 22.

Hic Calabros domuit, nec non & Iapygis arua,
Et dictam à triplici monte ſubegit humum.
Hinc contemptores Vbios, Heduosq; repreſſit,
Vltus perfidiam Belgica terra tuam.

PHILIPPVS. 23.

Hic quoq; Pontificum technis atq; arte petitus
Geſſit diuerſis aſpera bella locis.
Tãdem ubi placatur ſibi, quem modò uicerat ho
Securus cecidit militis enſe ſui. *Item,*

OTHO. IIII. 24.

Hic Papæ inſtinctu cum regnum fraude pararet,
Sæpè dedit turpem non ſine clade fugam.
Mox uerus Cæſar, cum ſceptrum lege teneret,
Pro precio diras rettulit Auſonias.

FRIDERICVS II. 25.

Principe in hoc patuit Romani iniuria Papæ,
Et quantum ſceleris curia tota fouet.
Qui niſi erat cœptis toties retractus ab armis,
Vnus nunc toto Cæſar in orbe foret.

CONRADVS IIII. 26.

Hunc eadem triſtis quæ patrem afflixit Erynnis,
Pulſus & hic ſolio eſt fulmine Papa tuo.
Et mox ob Latias deſertus ab omnibus iras,
Parthenope in patria finijt urbe diem.

CONRADINVS CONRADI FILIVS. 27.

Huic nato, ſequitur dum regna à patre relicta,
Pontificis pietas abſtulit alma caput.
Sic tunc externis erepta Neapolis armis,
Sic orba eſt Ducibus Sueuia facta ſuis.

HENRICVS LANTGRAVIVS. 28.

Contulit huic ſceptrum Romani factio Papæ,
Dum Friderice minis te premit ille ſuis.
Conradum uicit bellum pro patre gerentem,
Ipſe cadit telis urbs uetus Vlma tuis.

VVILHELMVS COMES BATAVIAE. 29.

Hic quoq; Pontificis iuſſu tentauit habenas,
Sed breue ius regni, gloria nulla fuit.
A Friſiis cæſus, uacuum rectore reliquit
Annos Imperium poſt tria luſtra duos.

Hi duo ab alijs non recenſentur, quòd per factionem Papæ in locum Friderici & Conradi filij eius, obtruſi magis fuerint, quàm legitimè creati.

IMPERATORES QVI POST INTERREGNVM ET *extinctos Sueuorum Principes imperarunt.*

RODVLPHVS. 30.

SVſcipit hic tandem labẽtis pondera regni,
Addit & accisis undiq; rebus opem:
Boijs, & ſocijs deuictis Marte Boemis,
Luſtratoq; omni, quà Sala currit, agro.

ADOLPHVS. 31.

Nil huic excellens, niſi nomen, fata dederunt,
Victus Thuringo eſt, dum mouet arma Duci.
Mox etiam occiſus, dum ponere ſceptra recuſat,
Hic ubi Vangionum mœnia Rhenus adit.

ALBERTVS I. 32.

Hic natum imponit uictis, pro rege, Boemis,
Gallorumq; armis territat arma ſuis.
Sed uelut ipſe ſui cædem primordia regni
Fecit, ita occiſus fraude nepotis obit.

HENRICVS VII. 33.

Italiæ populos, gentem ſine fine rebellem,
Dum premit hic iuſto ſub iuga Marte datos:
Illi mixta dedit ſacro ſub pane uenena,
Emptus ad hoc precio Dominicaſter opus.

LVDOVICVS *Bauarus &* FRIDERICVS *Auſtriacus* 34.

Hos geminos peperit procerum diſcordia reges,
Dum ſua pars ſtudijs utraq; uota regit.
Aſt inita pugna Bauarum fortuna ſecuta eſt,
Quem mox Pontificum perdomuêre minæ.

CAROLVS IIII. *cum* GVNTHERO. 35.

Huic quoq; diuerſum fecit diſcordia regem,
Sed cita mors litem finijt alterius.
Edidit hic auri dictam de nomine bullam,
Dum ſtabilit regni pacis amator opes.

VVENCESLAVS. 36.

Huic

Huic uelut ignauo, nec Cæſare digna gerenti,
Abſtulit aſſenſus tradita ſceptra, Patrum.
Mox etiam frater cõprehenſum in uincula miſit,
Sic obit infœlix qui modò ſummus erat.

RVPERTVS. 37.

Hic uarijs Thuſcos affecit cladibus agros,
Auxilium populis dum tulit Arne tuis.
Mox idem in patriã placida cum pace reuerſus,
Sacrauit Muſas ad uada Nicre tua.

SIGISMVNDVS. 38.

Concilium procerum toto hic ex orbe coegit,
Dogmata dum quærit tollere ſecta uijs.
Quòd ſi, ut pace bonus, fœlix ita Marte fuiſſet,
Quantò nunc eſſet res tua Turce minor?

ALBERTVS II. 39.

Hic quoq; Turcarum uires fregiſſet, & arma,
Ni raperent celeri numina morte uirum.
Enſe tamen domuit, temerantes ſacra Boemos,
Eiecitq; ſuo cum Duce Sauromatas.

FRIDERICVS III. 40.

Conſilijs atq; arte potens hic tempora longa
Tranquillo uixit Cæſar in imperio.
Ocia quàm bellum per totum maluit æuum,
Conueniens factis hinc quoq; nomen habet.

MAXIMILIANVS 41.

At ſeu pace domi, ſeu bello uincere malles,
Tempus ad utrumq; hic utilis author erat.
Certaq; adhuc extãt ueterũ monumenta laborũ,
Quos uidêre hominum ſæcla priora geri.

CAROLVS V. 42.

Hunc ſi fata uirum, ſi numina magna tuentur,
Idem erit Eoïs *Cæſar, & Heſperijs.*
Hoc perhibent ueterum præſagia magna uirorũ,
Hoc operum præ ſe facta priora ferunt.

FERDINANDVS. 43.

Si genus, & triplicis ſpectes faſtigia regni,
Hic quoq; præcipuos inter habendus erit.
Sed tamen hæc reliquas anteſtat gloria laudes,
Mite quòd in magno cor gerit imperio.

FINIS *Imperatorum.*

AD EOBANVM HESSVM, IOACHIMVM CAMErarium, & Micalum Rottingum.

MIcale qui mores hominum formare ſolebas,
Stultitiæ ſi quis diſſimulator erat.

Et

Et tu qui Graios uertis Ioachime labores,
Et facis, ut Latium Dorica ſcripta legat.
Heſſe decus uatum quotquot Germania nutrit,
Quotquot & Heſperiæ littus utrumq; colunt.
Et quicunq; alij ueteres, mea turba, ſodales
Pegneſi ad liquidas nunc habitatis aquas.
Saluete, & parui, ſi qua eſt modò fama, Micylli
Nominis, haud pigeat uos meminiſſe mei.
Namq; ubi flauicomus pãdit ſua cornua Mœnus,
Et uada Francorum flumine nota petit.
(Parcite quòd ueſtris audax mea ludicra magnis
Confero, ſic Muſæ ueſtráq; uosq; iuuent.)
Sedulus hic ueſtri ſubeo ueſtigia greſſus,
Ac doceo paruam paruus & ipſe ſcholam:
Quæ licet in tenui ſpes hîc mihi paſcitur herba,
Atq; huius longæ tempora meſsis eunt.
Semẽ idem tamẽ eſt quod ego, quod mittitis ipſi,
Excepto quòd uos ſpargitis uberius.
Vos pleno paßim diffunditis omnia cornu,
Ipſe leui facio munera parua manu.
Sed tamen exigui cultus laudatur agelli,
Interdum & paruis ſpes bona rebus ineſt.
Atq; utinam fortuna uelit durare ſecunda,
Et pergant dignis hæc noua cœpta modis.
Tu quoq; tu quondam placida mulcebere fama,
Teq; uehet populi gloria Mœne tui.
Cùm ſonitum citharæ miraberis, et noua plectra,

Atq; inſueta tuis carmina littoribus.
Oblitusq; uiæ ſtabis, cantuq; ſonoro
Attonitus ſolito lentior ire uoles.
At uos interea, quos ſummæ conditor arcis
Numine Pegneſi miſit in arua nouo.
Noſcite ueſtra bona, & gratã perſoluite mentẽ,
Et canite æterno carmina digna Ioue.
Carmina quæ Rhenũ ſupra memorẽtur, & Iſtrũ,
Qua patet in fines Teutonis ora ſuos.
Ac, mea ſi tantum de uobis Muſa meretur,
Antiqui memores eſte ſodalicij.

HELIO EOBANO HESSO.

Muſa ſalutatum Turingas uade per oras
Heſſum, delitium temporis atq; tuum.
Aut ſi, quod propius narrauerat eſſe futurum,
In Pegneſſe tuos ille receſſit agros.
Neu tibi ſit nimium tantos cœpiſſe labores,
Diuitis ut populi regna beata petas.
Illic & noſtrum Micaëlum ſera uidebis,
Et Camerariadum te Ioachime decus.
Et qui pomiferis cognomen duxit ab hortis,
Vnus qui patriæ fama futurus erat.
Ni tellus eadem tot pectora clara tuliſſet,
Tellus cœleſti digna patrocinio.
Atq; ubi conuenies, primum ſaluere iubeto,
Dehinc

Dehinc renoua noſtræ fœdus amicitiæ.
Me refer extremo poſitum ſub margine Mœni,
Sceptra iuuentutis qui moderor teneræ.
Immemorem nullis Heſsi uixiſſe diebus,
Immemorem nulla uiuere poſſe die.
Semper in officio mentem tenuiſſe fideli,
Quæ uires aleret ſedulitate ſuas.
Et ceu flamma ſolet ſtipulis iniecta caducis
Flantibus à uaria creſcere parte Notis.
Sic quantò memini dilecti ſæpius Heſsi,
Tantò obliuiſci me potuiſſe minus.
Vt ſi deſtituant nocturnum ſidera cœlum,
Deſinat aut uernum gramen habere ſolum.
Et mutata ſuos omittant flumina curſus,
Incipiantq; ſuas uertere cuncta uices,
Non hoc à ſolito ceſſurum pectus amore,
Ponere conſuetum ne uideatur opus.
Hæc ubi rettuleris, ceu ſunt mandata, modeſtè,
Hoc adde ut claudant ultima uerba Vale.
Inde ſecunda tuo relegens ueſtigia Mœno
Protinus huc repetas ore uerente gradus:
Neu fias odioſa, nimis dum longa moraris,
Sæpe moleſta fuit quæ breuis eſſe nequit.

EPITAPHIVM HELII EO-
BANI HESSI.

Quid ſtas uiator, aut quid hic circumſpicis?

Tumulúmne uatis Heßici?
Cui noſtra ſimilem ætas nullum tulit,
Nec ſors futura unquam feret.
Tumulum quidem uides, ubi oſſa condita,
Cineriſq́; relliquiæ iacent.
Sed mens ſupremum propter aßidet patrem,
Cui ſoli hîc operatus fuit.
Vbi intuetur quantum ubiq; gentium eſt,
Famæ receptaculum ſuæ.

STEPHANO ZIRLERO.

Quas igitur grates, aut quæ tibi dona repēdam,
O ingens Charitum, Pieridumq́; decus?
Aut quæ digna ſatis celebret tua nomina Muſa,
Quæue ferat meritis præmia iuſta tuis?
Nam mihi tale tuum uiſum eſt, dulcißime, carmē,
Quale canens uernas inter Achantis aues.
Quale canens, tenerū cum Pleias incipit annum
Daulias, Iſmario læſa puella uiro.
Sic puto cùm ſuperi peragunt conuiuia Diui,
Aoniæ cantant turba nouena Deæ.
Sic quoties repetit maternæ gaudia Deli,
Perſonat aurata pulcher Apollo lyra.
Vtq́; iuuant oculos poſiti certa arte colores,
Ceu noua puniceis lilia mixta roſis.
Aut cùm uernantes pingunt uiolaria campos,
Aut cum purpureas Medica mala crocos.

Sic

Sic tua delectant animos quoq; carmina noſtros,
Et feriunt dulces intima corda modi.
Amphion ſolitus patrias dum conderet arces,
Dicitur ad citharæ ſaxa mouere ſonos.
Orpheaq; infernas memorāt penetraſſe tenebras,
Dum reuòcat fidibus coniugis ora ſuis.
At tua ſeu ſuperos, ſeu flectere cantibus umbras
Cœperit, æthereis digna Thalia choris:
Nec uetus Orion, nec te puto uicerit Orpheus,
Sit licet hic Phœbo, ſit ſatus ille Ioue:
Ergò etiam merita celebraris uoce coronæ,
Nomen & ex uero, quod geris, iſtud habes.
Nec tibi naſcenti dedit hoc ſine numine mater,
Aut capta ambigui ſortibus augurij.
Sed tibi fœlici fulſerunt ſidera fato,
Annuit & fuſis Parca benigna ſuis.
Siue igitur lætæ peragam conſortia uitæ,
Nec ſors aſperior res premet ulla meas:
Seu Dea quæ uultu nuſquam conſiſtit eodem,
Sufficiet rebus deteriora bonis:
Vſq; tuum noſtro uiuet ſub pectore nomen,
Et præſens tecum tempus in omne ferar.
Ipſum me uirtus, ipſum tua fama tenebit,
Dum quercus frondes, dum feret Iſter aquas.

DE SCRIPTO QVODAM.

Hæc ego compoſui proprio calamoq; manuq;

Præmia ſed ſcripti quæ ferat, alter habet.
Sic alijs geſtant paſcentes ubera uaccæ,
Sic alijs paſcens ubera geſtat ouis.

IOANNI REIFFENSTEIN.

AD mea cur uideo nullas iam limina Muſas
Ire ſalutatum nomine Iane tuo?
An quia & hæ metuunt rapidæ contagia peſtis,
Quæ noſtros dudum lenta pererrat agros?
Et quæ mortali nunquam ſunt corpore natæ,
Rumorem mortis territa turba timet?
An quia communem lugēt hoc tempore cladem,
Et flent hoſtiles ore gemente faces?
Diraq; nunc toties expertæ exempla Getarum
Exilium nullo fine queruntur agi?
Hei mihi ſi teneris ueniant quoq; fata camœnis,
Haſq; aliquis poſsit dicere morte premi.
Iuppiter & ſummos habitantia numina cœlos
Vertite, & hoc longè pellite triſte nefas.
Nam modò quæ ſeptem præluxit collibus orbi,
Orbi non ſemper Roma futura caput.
Quæq; parens fouit ſtudiorum ſola bonorum
Poſt domitas arces Palladis, omne genus,

En

En iacet extremum miſerè diſperſa per orbem,
Captaq; pro ſpolio mœnia miles habet.
Tectaq; iam ſanctas quondam ſeruantia Muſis
Deuorat hoſtili ſubdita flamma manu.
Aut quibus ignis abeſt, diſcerpit militis ira,
Et uolitant toto fruſta cruenta foro.
Illaq; doctorum monimenta uetuſta uirorum
Turpiter ante pedes dilamata iacent.
Atq; aliquis diuine tuum ſubſternit Homere
Mulorum ſtabulis ſanguinolentus opus.
Quodq; ſatis nunquam uiſa eſt laudare uetuſtas
(Infandum) ſterili bellua calce ferit.
Sic furijs agitata cohors, bellum quoq; chartis
Suſtinet, & timidis arma mouere libris.
Ac uelut humanos non ſit ſatis iſſe per artus,
In ſuperûm gelidus ſtringitur enſis opes.
Heu ſeries rerũ, quis nam hæc mala finis habebit,
Barbaries toto eſt anne futura ſolo?
Græcia progenuit quaſcunq; accepimus artes,
Hæc docuit quicquid lingua, manusq; ſciunt.
Nunc domino ſeruit, tellus exhauſta, nefando,
Quo nil barbarius mundus ubiq; tulit.
Et quondã illa frequens citharis hymnisq; deorũ
Pro libris arcus, pro fide tela gerit.
Proxima Roma fuit, Græcas quæ exceperat artes
Et ſtudio linguam fouit utranq; pari.
Aſt etiam illa diu traxit labefacta ruinam,

Ex quo cum ſæuis contulit arma Getis.
Donec in has tandem cecidit delapſa procellas,
Quæ finem cunctis impoſuere malis.
Vna etiam reſtat Germania, cui benè uertat,
Tanta operam ſtudijs fruge dediſſe bonis.
Hanc quoq; ſi diri uaſtarint prælia Martis,
Quid niſi Barbaries totus hic orbis erit?
At tu Iane iube poſito ſperare timore,
Et Muſas ad me ſæpe redire tuas.
Nam neq; iam tanta rabie uis morbida ſæuit,
Vt mea propterea ſit maculata domus.
Et quæ Romuleam uaſtarunt prælia gentem,
A noſtris ſuperûm rex prohibebit agris.

IN FVREM CVPIDINEM.

Forte petiturus ueniebat mella Cupido,
Hinc ubi ſpirantes apis ædificarat aceruos.
Iamq; manus teneris admouerat ille cauernis,
Cùm ſubito inuadens, apis illius ordine ſummos
Compungit digitos, & ſignat cuſpide furem.
Saucius hic refugit, magis ac magis ille doloris
Impatiens, terramq; quatit, pedibusq; reſultat:
Ac tumidos matri digitos & uulnera monſtrat.
Vulnus, ait, faciat ſæuum tàm parua uolucris?
Cui genitrix blanda reſpondit talia uoce.
Tu quoq; nõne apibus paruo diſcrimine præſtas,

Immen

Immenſumq́; facis uulnus non magne Cupido?

BRAVBERGA.

Auſpice Gradiuo celſum caput æthere condo,
Sub Duce VVerthemo pace quieta fruor.
Braubergæ poſuit nomen reuerenda uetuſtas,
Fortuna nulli cedo ſecunda loco.

ALIVD EIDEM.

Priſca Semiramidis laudarunt ſæcula muros,
Altaq́; ſolerti mœnia facta manu.
Romanam faciunt celebrem Capitolia gentem,
Illa diu nullis arx ſuperanda modis.
Sunt qui ſublimi tollunt ad ſidera uerſu
Pyramides ſtructas margine Nile tuo.
At tu qui ueterum ſpectas miracula regum,
Me quoq; fac dignam regibus eſſe putes.
Non mihi gradiuus deerat Mars author & au-
Tutela cuius mœnia tuta fero. (ſpex,
Non deſunt uires, ſurgentes aſpice turres,
Et quo non ulli cedo ſecunda, locum.
Circumſepta caput uicinis collibus ima
Effero & excelſis ſto metuenda polis.
Præcipuè qui iam noſtri moderatur habenas
VVerthemi comitis pace quieta fruor.
Celſe comes cuius pietas notiſſima cœlo,
Et fama eſt terris, ſic mihi ſemper eas.

Sic mihi eas, atq; ô fatis fœlicibus actus
In longos idem uiue, ualeq́; dies.

CVR PAVCI POETAE BONI.

Non benè cõueniunt trepidæ cum carmine cunæ,
Non eadem uerſus cura lucrumq; facit.
Pierides ſyluas ac otia libera quærunt,
Et tacitas inter flumina ſacra uias.
At fora ſollicitæ curæ populoſa frequentant,
Et ſtrepitus uulgi iudiciumq́; colunt.
Hinc eſt quòd raros ætas habet iſta poetas,
Et noſtra nullum carmen ab urbe uenit.
Diuitias quando ſolum ſpectamus, & aurum,
Curarum fontes, & caput omne mali.
Nec ſtudium recti, nec fas laudatur, & omnis
A precio uirtus famaq́; uicta iacet.

AMICITIA.

Quondam magna fuit uirtus, ac æthere digna,
Præbere infractum pectus amicitiæ.
Cùm pietas & cana fides regnabat in orbe,
Et precio dignus, qui bonus eſſet, erat.
Tunc Iouis aſpexit redeuntem Caſtora coniunx,
Alternis ſtygias fratre petente domos.
Tunc pius extremum, ſocij comitatus ad orbem
Deſertor

Deſertor Pylades noluit eſſe ſui.
Sed ueluti teneræ iunguntur amore columbæ,
Iunctus erat lateri fidus Oreſta tuo.
Tanta fuit ſocijs æuo reuerentia priſco,
Tantus erat quondam cultus amicitiæ.
Nunc iacet ante pedes contempta uilior alga,
Vixq́; ipſum noſtro nomen in orbe manet.
Scilicet ex omni mundus iam parte ſeneſcit,
Intereunt urbes, intereunt homines.
Rareſcit uirtus, omnis iacet ardor honeſti,
Corrumpit mores ipſa ſenecta bonos.
Ceſſauit pietas, rectum ceſſauit & æquum,
Et ſtat in extremo iam ruitura fides.
Quin etiam tellus iactum laſſata recuſat,
Raraq́; de multis ſpica refertur agris.
Et ſua confectæ claudunt iam brachia uites,
Et minus à prælis muſta frequenter eunt.
Vndiq́; deficimus, quid iam niſi tempora reſtant,
Quæ uideant flammis cuncta perire ſuis?

IN CHLEVASTEN QVENDAM.

Heus tu, qui Latij derides drammata ſocci,
Non mirum eſt ſi te fabula nulla iuuat.
Ignauus prorſus nullas intelligis artes,
Nec plus quàm quæuis ruſtica beta ſapis.
Forſitan & metuis, ſi priſca theatra reſurgant,

Ne fias ſcenis fabula tute nouis.
Et quod apud ueteres audiuit ſæpe Corœbus,
In noſtro maneas ſemper ut ipſe foro.
Nam tibi non plus eſt mentis, cordiſq́;, ſaliſq́;,
Quàm, quem Praxille finxit, Adonis habet.

GEORGIO IOANNI REIFENSTEIN.

Ergó ne abis patrios uiſurus Iane penates,
Iane ſodalitij cura decuſq́; mei.
Dij quæſo tandem faciles tua uota ſecundent,
Vt mox contingat terra petenda tibi.
O utinam tecum pariter nos ire liceret,
Ipſe tuæ uellem quàm comes eſſe uiæ.
Tu tamen hoc, quamuis tibi nulla propemptica (ſcripſi,
Candoris noſtri pignus habere potes.
Seu redeas, ſeu te modò patria grata tenebit,
Dilectus nobis ſemper amicus eris.
Corpora noſtra magis quantò diſtraxerit orbis,
Hòc magis amborum pectora iunget amor.

AD IVSTVM.

Vnde breui longum deducas tempore carmen,
Quoúe modo fias, Iuſte, poeta rogas?
Nulla ſua ignauos ſequitur uictoria ſponte

Reges,

Reges, ſed forti eſt fama paranda manu.
Aeacides multos tolerauerat antè labores,
Quàm meruit magni nomen habere Ducis.
Multa tulit, fecitq; prius quàm contigit eſſe
Aeneæ generum, priſce Latine, tuum.
Quam cupis aßiduo quærenda eſt fama labore,
Ocia non ullos excoluere uiros.
Sunt faciles Muſæ, aſt habitant in rupibus altis,
Has ſuperare labor, cætera plana uia eſt.
Vince modò rupes, nec duro parce labori,
Atq; ultrò uenient in tua uota Deæ.
Ingenium non dura tibi natura negauit,
Et uincire potes qua decet arte modos.
Cur ſtudium, & ſolum deprædas, Iuſte, laborem,
An quia non tanto carmina digna opere?
Carmina cæleſtes poſſunt adducere Diuos,
Tartara carminibus flectere ſæua potes.
Carmina crudeles demulcent ſæpe leones,
Hæc magis innumeris artibus una ualent.
His quoq; formoſam potes exorare puellam,
Victa erit, & teneras porriget illa manus.
Cynthia carminibus quoties tibi capta Properti?
Aut quoties lachrymas hæc tibi uicta dedit?
Fallitur immenſo quiſquis ſpectabilis auro
Eſſe cupit, nec ſpes inuenit iſta fidem.
Carmina ſola beant, ſola addunt carmina famam,
Hæc metuunt magni fulmina nulla Iouis.

MAXIMILIANVS 41.

At ſeu pace domi, ſeu bello uincere malles,
Tempus ad utrumq; hic utilis author erat.
Certaq; adhuc extãt ueterũ monumenta laborũ,
Quos uidêre hominum ſæcla priora geri.

CAROLVS V. 42.

Hunc ſi fata uirum, ſi nùmina magna tuentur,
Idem erit Eoïs *Cæſar, & Heſperijs.*
Hoc perhibent ueterum præſagia magna uirorũ,
Hoc operum præ ſe facta priora ferunt.

FERDINANDVS. 43.

Si genus, & triplicis ſpectes faſtigia regni,
Hic quoq; præcipuos inter habendus erit.
Sed tamen hæc reliquas anteſtat gloria laudes,
Mite quòd in magno cor gerit imperio.

FINIS *Imperatorum.*

AD EOBANVM HESSVM, IOACHIMVM CAMErarium, & Micalum Rottingum.

Micale qui mores hominum forma re ſolebas,
Stultitiæ ſi quis diſſimula tor erat.

Et

Et tu qui Graios uertis Ioachime labores,
Et facis, ut Latium Dorica ſcripta legat.
Heſſe decus uatum quotquot Germania nutrit,
Quotquot & Heſperiæ littus utrumq; colunt.
Et quicunq; alij ueteres, mea turba, ſodales
Pegneſi ad liquidas nunc habitatis aquas.
Saluete, & parui, ſi qua eſt modò fama, Micylli
Nominis, haud pigeat uos meminiſſe mei.
Namq; ubi flauicomus pādit ſua cornua Mœnus,
Et uada Francorum flumine nota petit.
(Parcite quòd ueſtris audax mea ludicra magnis
Confero, ſic Muſæ ueſtráq; uosq; iuuent.)
Sedulus hic ueſtri ſubeo ueſtigia greſſus,
Ac doceo paruam paruus & ipſe ſcholam:
Quæ licet in tenui ſpes hic mihi paſcitur herba,
Atq; huius longæ tempora meßis eunt.
Semē idem tamē eſt quod ego, quod mittitis ipſi,
Excepto quòd uos ſpargitis uberius.
Vos pleno paßim diffunditis omnia cornu,
Ipſe leui facio munera parua manu.
Sed tamen exigui cultus laudatur agelli,
Interdum & paruis ſpes bona rebus ineſt.
Atq; utinam fortuna uelit durare ſecunda,
Et pergant dignis hæc noua cœpta modis.
Tu quoq; tu quondam placida mulcebere fama,
Teq; uehet populi gloria Mœne tui.
Cùm ſonitum citharæ miraberis, et noua plectra,

Atq; inſueta tuis carmina littoribus.
Oblituſq; uiæ ſtabis, cantuq; ſonoro
Attonitus ſolito lentior ire uoles.
At uos interea, quos ſummæ conditor arcis
Numine Pegneſi miſit in arua nouo.
Noſcite ueſtra bona, & gratã perſoluite mentẽ,
Et canite æterno carmina digna Ioue.
Carmina quæ Rhenũ ſupra memorẽtur, & Iſtrũ,
Qua patet in fines Teutonis ora ſuos.
Ac, mea ſi tantum de uobis Muſa meretur,
Antiqui memores eſte ſodalicij.

HELIO EOBANO HESSO.

Muſa ſalutatum Turingas uade per oras
Heſſum, delitium temporis atq; tuum.
Aut ſi, quod propius narrauerat eſſe futurum,
In Pegneſſe tuos ille receſſit agros.
Neu tibi ſit nimium tantos cœpiſſe labores,
Diuitis ut populi regna beata petas.
Illic & noſtrum Micaëlum ſera uidebis,
Et Camerariadum te Ioachime decus.
Et qui pomiferis cognomen duxit ab hortis,
Vnus qui patriæ fama futurus erat.
Ni tellus eadem tot pectora clara tuliſſet,
Tellus cœleſti digna patrocinio.
Atq; ubi conuenies, primum ſaluere iubeto,

Dehinc

Dehinc renoua noſtræ fœdus amicitiæ.
Me refer extremo poſitum ſub margine Mœni,
Sceptra iuuentutis qui moderor teneræ.
Immemorem nullis Heßi uixiſſe diebus,
Immemorem nulla uiuere poſſe die.
Semper in officio mentem tenuiſſe fideli,
Quæ uires aleret ſedulitate ſuas.
Et ceu flamma ſolet ſtipulis iniecta caducis
Flantibus à uaria creſcere parte Notis.
Sic quantò memini dilecti ſæpius Heßi,
Tantò obliuiſci me potuiſſe minus.
Vt ſi deſtituant nocturnum ſidera cœlum,
Deſinat aut uernum gramen habere ſolum.
Et mutata ſuos omittant flumina curſus,
Incipiantq́; ſuas uertere cuncta uices,
Non hoc à ſolito ceſſurum pectus amore,
Ponere conſuetum ne uideatur opus.
Hæc ubi rettuleris, ceu ſunt mandata, modeſtè,
Hoc adde ut claudant ultima uerba Vale.
Inde ſecunda tuo relegens ueſtigia Mœno
Protinus huc repetas ore uerente gradus:
Neu fias odioſa, nimis dum longa moraris,
Sæpe moleſta fuit quæ breuis eſſe nequit.

EPITAPHIVM HELII EOBANI HESSI.

Quid ſtas uiator, aut quid hic circumſpicis?

Tumulúmne uatis Heßici?
Cui noſtra ſimilem ætas nullum tulit,
Nec ſors futura unquam feret.
Tumulum quidem uides, ubi oſſa condita,
Cinerisq; relliquiæ iacent.
Sed mens ſupremum propter aßidet patrem,
Cui ſoli hîc operatus fuit.
Vbi intuetur quantum ubiq; gentium eſt,
Famæ receptaculum ſuæ.

STEPHANO ZIRLERO.

Quas igitur grates, aut quæ tibi dona repēdam,
O ingens Charitum, Pieridumq́; decus?
Aut quæ digna ſatis celebret tua nomina Muſa,
Quæue ferat meritis præmia iuſta tuis?
Nam mihi tale tuum uiſum eſt, dulciſsime, carmē,
Quale canens uernas inter Achantis aues.
Quale canens, tenerū cum Pleias incipit annum
Daulias, Iſmario læſa puella uiro.
Sic puto cùm ſuperi peragunt conuiuia Diui,
Aoniæ cantant turba nouena Deæ.
Sic quoties repetit maternæ gaudia Deli,
Perſonat aurata pulcher Apollo lyra.
Vtq; iuuant oculos poſiti certa arte colores,
Ceu noua puniceis lilia mixta roſis.
Aut cùm uernantes pingunt uiolaria campos,
Aut cum purpureas Medica mala crocos.
Sic

Sic tua delectant animos quoq; carmina noſtros,
Et feriunt dulces intima corda modi.
Amphion ſolitus patrias dum conderet arces,
Dicitur ad citharæ ſaxa mouere ſonos.
Orpheáq; infernas memorãt penetraſſe tenebras,
Dum reuòcat fidibus coniugis ora ſuis.
At tua ſeu ſuperos, ſeu flectere cantibus umbras
Cœperit, æthereis digna Thalia choris:
Nec uetus Orion, nec te puto uicerit Orpheus,
Sit licet hic Phœbo, ſit ſatus ille Ioue:
Ergò etiam merita celebraris uoce coronæ,
Nomen & ex uero, quod geris, iſtud habes.
Nec tibi naſcenti dedit hoc ſine numine mater,
Aut capta ambigui ſortibus augurij.
Sed tibi fœlici fulſerunt ſidera fato,
Annuit & fuſis Parca benigna ſuis.
Siue igitur lætæ peragam conſortia uitæ,
Nec ſors aſperior res premet ulla meas:
Seu Dea quæ uultu nuſquam conſiſtit eodem,
Sufficiet rebus deteriora bonis:
Vſq; tuum noſtro uiuet ſub pectore nomen,
Et præſens tecum tempus in omne ferar.
Ipſum me uirtus, ipſum tua fama tenebit,
Dum quercus frondes, dum feret Iſter aquas.

DE SCRIPTO QVODAM.

Hæc ego compoſui proprio calamoq; manuq;,

Præmia ſed ſcripti quæ ferat, alter habet.
Sic alijs geſtant paſcentes ubera uaccæ,
Sic alijs paſcens ubera geſtat ouis.

IOANNI REIFFENSTEIN.

AD mea cur uideo nullas iam limina Muſas
Ire ſalutatum nomine Lane tuo?
An quia & hæ metuunt rapida contagia peſtis,
Quæ noſtros dudum lenta pererrat agros?
Et quæ mortali nunquam ſunt corpore natæ,
Rumorem mortis territa turba timet?
An quia communem lugēt hoc tempore cladem,
Et flent hoſtiles ore gemente faces?
Diraq́; nunc toties expertæ exempla Getarum
Exilium nullo fine queruntur agi?
Hei mihi ſi teneris ueniant quoq́; fata camœnis,
Hasq́; aliquis poſsit dicere morte premi.
Iuppiter & ſummos habitantia numina cœlos
Vertite, & hoc longè pellite triſte nefas.
Nam modò quæ ſeptem præluxit collibus orbi,
Orbi non ſemper Roma futura caput.
Quæq́; parens fouit ſtudiorum ſola bonorum
Poſt domitas arces Palladis, omne genus,

Eis

En iacet extremum miſerè diſperſa per orbem,
Captaq́; pro ſpolio mœnia miles habet.
Tectaq́; iam ſanctas quondam ſeruantia Muſas
Deuorat hoſtili ſubdita flamma manu.
Aut quibus ignis abeſt, diſcerpit militis ira,
Et uolitant toto fruſta cruenta foro.
Illaq́; doctorum monimenta uetuſta uirorum
Turpiter ante pedes dilaniata iacent.
Atq; aliquis diuine tuum ſubſternit Homere
Mulorum ſtabulis ſanguinolentus opus.
Quodq́; ſatis nunquam uiſa eſt laudare uetuſtas
(Infandum) ſterili bellua calce ferit.
Sic furijs agitata cohors, bellum quoq; chartis
Suſtinet, & timidis arma mouere libris.
Ac uelut humanos non ſit ſatis iſſe per artus,
In ſuperûm gelidus ſtringitur enſis opes.
Heu ſeries rerũ, quis nam hæc mala finis habebit,
Barbaries toto eſt anne futura ſolo?
Græcia progenuit quaſcunq; accepimus artes,
Hæc docuit quicquid lingua, manusq́; ſciunt.
Nunc domino ſeruit, tellus exhauſta, nefando,
Quo nil barbarius mundus ubiq; tulit.
Et quondã illa frequens citharis hymnisq́; deorũ
Pro libris arcus, pro fide tela gerit.
Proxima Roma fuit, Græcas quæ exceperat artes
Et ſtudio linguam fouit utranq; pari.
Aſt etiam illa diu traxit labefacta ruinam,

Ex quo cum ſæuis contulit arma Getis.
Donec in has tandem cecidit delapſa procellas,
Quæ finem cunctis impoſuere malis.
Vna etiam reſtat Germania, cui benè uertat,
Tanta operam ſtudijs fruge dediſſe bonis.
Hanc quoq; ſi diri uaſtarint prælia Martis,
Quid niſi Barbaries totus hic orbis erit?
At tu Iane iube poſito ſperare timore,
Et Muſas ad me ſæpe redire tuas.
Nam neq; iam tanta rabie uis morbida ſæuit,
Vt mea propterea ſit maculata domus.
Et quæ Romuleam uaſtarunt prælia gentem,
A noſtris superûm rex prohibebit agris.

IN FVREM CVPIDINEM.

Forte petiturus ueniebat mella Cupido,
Hinc ubi ſpirantes apis ædificarat aceruos.
Iamq; manus teneris admouerat ille cauernis,
Cùm ſubito inuadens, apis illius ordine ſummos
Compungit digitos, & ſignat cuſpide furem.
Saucius hic refugit, magis ac magis ille doloris
Impatiens, terramq; quatit, pedibusq; reſultat:
Ac tumidos matri digitos & uulnera monſtrat.
Vulnus, ait, faciat ſæuum tàm parua uolucris?
Cui genitrix blanda reſpondit talia uoce.
Tu quoq; nõne apibus paruo diſcrimine præſtas,
Immen

Immenſumq́; facis uulnus non magne Cupido?

BRAVBERGA.

Auſpice Gradiuo celſum caput æthere condo,
Sub Duce VVerthemo pace quieta fruor.
Braubergæ poſuit nomen reuerenda uetuſtas,
Fortuna nulli cedo ſecunda loco.

ALIVD EIDEM.

Priſca Semiramidis laudarunt ſæcula muros,
Altaq́; ſolerti mœnia facta manu.
Romanam faciunt celebrem Capitolia gentem,
Illa diu nullis arx ſuperanda modis.
Sunt qui ſublimi tollunt ad ſidera uerſu
Pyramides ſtructas margine Nile tuo.
At tu qui ueterum ſpectas miracula regum,
Me quoq; fac dignam regibus eſſe putes.
Non mihi gradiuus deerat Mars author & au-
Tutela cuius mœnia tuta fero. (ſpex,
Non deſunt uires, ſurgentes aſpice turres,
Et quo non ulli cedo ſecunda, locum.
Circumſepta caput uicinis collibus ima
Effero & excelſis ſto metuenda polis.
Præcipuè qui iam noſtri moderatur habenas
VVerthemi comitis pace quieta fruor.
Celſe comes cuius pietas notiſsima cœlo,
Et fama eſt terris, ſic mihi ſemper eas.

Sic mihi eas, atq; ô fatis fœlicibus actus
In longos idem uiue, ualeq; dies.

CVR PAVCI POETAE BONI.

Non benè cōueniunt trepidæ cum carmine curæ,
Non eadem uerſus cura lucrumq; facit.
Pierides ſyluas ac otia libera quærunt,
Et tacitas inter flumina ſacra uias.
At fora ſollicitæ curæ populoſa frequentant,
Et ſtrepitus uulgi iudiciumq; colunt.
Hinc eſt quòd raros ætas habet iſta poetas,
Et noſtra nullum carmen ab urbe uenit.
Diuitias quando ſolum ſpectamus, & aurum,
Curarum fontes, & caput omne mali.
Nec ſtudium recti, nec fas laudatur, & omnis
A precio uirtus famaq; uicta iacet.

AMICITIA.

Quondam magna fuit uirtus, ac æthere digna,
Præbere infractum pectus amicitiæ.
Cùm pietas & cana fides regnabat in orbe,
Et precio dignus, qui bonus eſſet, erat.
Tunc Iouis aſpexit redeuntem Caſtora coniunx,
Alternis ſtygias fratre petente domos.
Tunc pius extremum, ſocij comitatus ad orbem

Deſertor

Deſertor Pylades noluit eſſe ſui.
Sed ueluti teneræ iunguntur amore columbæ,
Iunctus erat lateri fidus Oreſta tuo.
Tanta fuit ſocijs æuo reuerentia priſco,
Tantus erat quondam cultus amicitiæ.
Nunc iacet ante pedes contempta uilior alga,
Vixq́; ipſum noſtro nomen in orbe manet.
Scilicet ex omni mundus iam parte ſeneſcit,
Intereunt urbes, intereunt homines.
Rareſcit uirtus, omnis iacet ardor honeſti,
Corrumpit mores ipſa ſenecta bonos.
Ceſſauit pietas, rectum ceſſauit & æquum,
Et ſtat in extremo iam ruitura fides.
Quinetiam tellus iactum laſſata recuſat,
Raraq́; de multis ſpica refertur agris.
Et ſua confectæ claudunt iam brachia uites,
Et minus à prælis muſta frequenter eunt.
Vndiq́; deficimus, quid iam niſi tempora reſtant,
Quæ uideant flammis cuncta perire ſuis?

IN CHLEVASTEN QVENDAM.

Heus tu, qui Latij derides drammata ſocci,
Non mirum eſt ſi te fabula nulla iuuat.
Ignauus prorſus nullas intelligis artes,
Nec plus quàm quæuis ruſtica beta ſapis.
Forſitan & metuis, ſi priſca theatra reſurgant,

Reges, ſed forti eſt fama paranda manu.
Aeacides multos tolerauerat antè labores,
Quàm meruit magni nomen habere Ducis.
Multa tulit, fecitq; prius quàm contigit eſſe
Aeneæ generum, priſce Latine, tuum.
Quam cupis aßiduo quærenda eſt fama labore,
Ocia non ullos excoluere uiros.
Sunt faciles Muſæ, aſt habitant in rupibus altis,
Has ſuperare labor, cætera plana uia eſt.
Vince modò rupes, nec duro parce labori,
Atq; ultrò uenient in tua uota Deæ.
Ingenium non dura tibi natura negauit,
Et uincire potes qua decet arte modos.
Cur ſtudium, & ſolum deprædas, Iuſte, laborem,
An quia non tanto carmina digna opere?
Carmina cœleſtes poſſunt adducere Diuos,
Tartara carminibus flectere ſæua potes.
Carmina crudeles demulcent ſæpe leones,
Hæc magis innumeris artibus una ualent.
His quoq; formoſam potes exorare puellam,
Victa erit, & teneras porriget illa manus.
Cynthia carminibus quoties tibi capta Properti?
Aut quoties lachrymas hæc tibi uicta dedit?
Fallitur immenſo quiſquis ſpectabilis auro
Eſſe cupit, nec ſpes inuenit iſta fidem.
Carmina ſola beant, ſola addunt carmina famam,
Hæc metuunt magni fulmina nulla Iouis.

AD PHILIPPVM, F. EIVSDEM.

SAEPE Philippe mei cupijſti exempla laboris,
Et fructum noſtræ poſſe uidere ſcholæ.
Sæpe tibi uolui ſpectandos mittere luſus
Noſtrorum, & ſtudij pignora certa noui.
Verùm neſcio quæ timidæ reuerentia menti
Obſtitit, inceptum detinuitq; meum.
Seu quia te nullo peragenda negocia fine
A curis uacuum tempus habere uetant.
Seu quia maiori ſurgunt tua nomina laude,
Quàm quæ ſit nugis impediendá meis.
Nunc quoniam pergis, ſtudioq; hæc poſcis eodē,
Nec niſi quæ uideas obuia certa putas.
Forſitan & nullo credis diſcrimine noſtras
Differre, & ueteres quas habuere ſcholas.
Hæc ſpectanda dedi noſtræ tibi ſcripta iuuentæ,
Exemplum curæ quod dedit illa ſuæ.
Et quamuis alia eſt noſtri natura laboris,
Quàm ſi quis ſemen tradat arator humo.
Hîc ſiquidem magno reddit cum fœnore tellus,
Et paucos intra credita farra dies.
Illic in longos etiam expectaueris annos,

Dum ueniat meſsis ſemine digna tuo.
(Quippe q̄ & multos ſint duratura per annos,
Hæc quæ naſcendo tempora longa trahunt.
Cùm ſpatio contrà uiolæ, aut roſa nata bimeſtri,
Quo uere emergunt, hoc quoq; uere cadũt.)
Ne tamen in quoquo noſtram diſcrimine curam
Ponas, iſta tibi qualiacunq; dedi.
Ac tibi dum nequeo plenas oſtendere ſpicas,
Hic aliquam ex ipſo ſpem dare flore iuuat.
Tu modò pro ſolito iudex candore benignus,
Eſſe bonis ſtudijs, ingenijſq; uelis.

AD DOMIN. PHEGAEVM.

Candide quæ nobis nuper Phegæe dediſti,
Perſoluant dignis Dij tibi dona modis.
Dij tibi perſoluant grates & præmia digna,
Diuitias ſuperant hæc tua dona meas.
Si tamen ulla meos ſeruabit gratia uerſus,
Si cuius meriti carmina pondus habent.
Carmine, dum uiuã, ſemper celebrabere noſtro,
Dum uiuam noſtro carmine notus eris.
Hæc nunc ingenij prima argumenta benigni,
Primáue naturæ ſpes uenit iſta bonæ.
Sed tua iamdudum uirtus Phegæe probata,
Atq; tuæ maius indolis extat opus.
Quòd ſtudijs animũ, quòd tradis pectora Muſis,

Quodq; ornas dignis artibus ingenium:
Quòd ueterum monumenta uirûm, q; digna re=
Exẽpla, & uitæ facta ſequenda tuæ. (quiris
Quodq; tibi tanta eſt præſtantis cura magiſtri,
Vt tibi fortunis ſit prior ille tuis.
Hæc digna ingenij laus eſt, & uera benigni,
Hæc ſolidum pondus dexteritatis habent.
Macte puer uirtute patrum ueſtigia perge
Et caſtos mores, & pia facta ſequi.
Nec te diuitiæ, nec ſplendida tecta morentur,
Plus nummis uirtus omnibus una ualet.
Diuitias flammæ corrumpunt, tecta uetuſtas,
Pulchraq; cum longo tempore cuncta cadunt.
Quid Phariæ turres, quid nunc Mauſolia tecta,
Aut ubi nunc altæ regna Semiramidis?
Quid nunc tam ſanctæ quondã Capitolia Romæ,
Quo cum terribili faſce ſecuris abit?
Scilicet incurua mors demetit omnia falce,
Solaq; uirtutis nomina morte uacant.

DE CANVM FIDELITATE.

INter quadrupedes canis fidelis,
Inter quadrupedes canis uolu=
ptas, (num
Inter quadrupedes canis patro=
Agnoſcit, ueneratur, & tuetur.

Hic quæ tu iubeas facit libenter,
Hunc tu ſi ferias dolet, gemitq́;:
Sed parcit tibi protinus reuertens.
Hunc tu ſi expuleris redit benignus,
Et caudam mouet ille blandiendo.
Hunc tu ſi meritis loquendo laudes,
Sentit quod loqueris, ſuasq́; laudes,
Et geſtit tibi gratias referre.
Hic te ſi mare nauiges ſequetur,
Hic tu ſi mare pernates natabit,
Non te per medios relinquet æſtus,
Non te deſeret horridos per imbres,
Non te deſeret aſperas per Alpes,
Non te deſeret ille uel per hoſtes.
Te tutabitur ille ſed per hoſtes,
Te nam diligit ille diligentes.
Non te deſeret ille uel diebus,
Non te deſeret ille uel tenebris:
Te non diligit ille non amantes.
Si uenaberis ille per labores
Conatur tibi complacere ſemper,
Et prædam tibi uincit ut triumphes
Illæſum leporem tibi reportans.
Pro te non rabidos recuſat urſos
Et dentes patitur furentis apri,
Ceruos, capreolas uafrasq́; uulpes,
Et ſternit genus omnium ferarum,

Certè non ſibi, ſed tibi laborans.
Si ſoluis iacet ille ſic ſolutus,
Et iuſſus iacet ille ſub cathenis,
Non audens querulas mouere uoces.
Hic cuſtos pecorum, tuæq́; uillæ,
Fures exigit arduos, luposq́;.
Nec non arcibus ille præſidentes,
Tutos nocte ſuo facit latratu.
Non & pocula delicata poſcit,
Non obſonia ſobrius requirit,
Contentus latices bibiſſe lymphas,
Nec non relliquijs tuiſq́; fruſtis,
Qui tantos tibi ſuſtinet labores.
Hos contendimus eſſe nos habendos,
Hos contendimus eſſe nos alendos,
Et non dulcius eſſe quicquam poſſe,
Inter quadrupedes canis fidelis,
Inter quadrupedes canis uoluptas.

IN ANDRIAM TEREN-tij Prologus: *Stultus loquitur.*

EGO *Morus huc aduenio Pluti filius,*
Apud plutuntas uos, ut pauca proloquar,
Hoc mihi negocij dedit actor comœdiæ,

Nam ſolis nunc licere ſtultis dictitat,
Mordaci ueru auriculas teneras rodere.
Iam mundus plenus eſt fermè ijs hominibus,
Qui licet haud multo plus, q̃ ego ipſe, intelligãt,
Soli tamen ſapere & rectè facere uolunt,
Aliosq; habent tanq̃ nugas & ſomnia,
Illos, inquit, debere hinc animaduertere,
Quàm ſit ſua illis incerta ſapientia,
Quantumq; res fortuna humanas dirigat,
Hoc uelle ſibi inquit. Conſilia ſerui, & ſenis,
Quæ benè captata caſus euertit tamen,
Hæc ſapiens ſi quis diſcat ex hac fabula,
Non ſtulti debet hunc pudere interpretis,
Cùm alioqui tot paßim ſtulti ſapere docent.
Nam ſi quis erit, qui me monitorem rideat,
Nõ magna'ſt, qui ſit, ut aiũt, ἐν καρὶ κίνδυνος.
Sed adeſt ſenex cum ſeruis. Vos compeſcite
Linguas, & ſpectate omnes cum ſilentio.

PROLOGVS IN ADELPHOS TERENTII.

Primum ſi uos tenet cupido noſcere,
Quicunq; adeſtis ſpectatores optimi,
Quid noſter grex, quidue apparatus hic uelit,
Quis ludus, aut quæ ſit commoditas fabulæ,
Benignas aures hæc mihi dum proloquor,

Silentiumq; tale præbete faciles,
Quales ſoletis exaudire forenſium,
Qui uel per longa maria uecti prædicant
Triſtes Cyanæas, aut Libyci breuia freti:
Vel de cruentis ſæui Martis prælijs
Magno conatu magnas nugas prædicant.
Quòd ſi parum rem ſtudio dignam ducitis
Spectare attentè ludos Hiſtrionicos,
Hoc ſaltem ſinite à uobis impetrarier,
Vt ne antè quiſquam occipiat hæc contemnere,
Quàm quorſum tendant cœpta noſtra intelligat.
Nam fabulas plæriq; dum meras putant
Quæcunq; in ſcenam proferuntur ludicra,
Errore tam ducuntur, quàm qui exiſtimant
Ridentis ore nunquam poſſe dicier
Verum, aut idonea rebus conſilia dari.
Non plus ſapit qui quòd conſueuit obſitus
Panno deambulare, nunquam ſordida
Lacerna nitidum ueſtis commutat genus,
Quàm tempori qui geſtat conuenientia.
Nec ſemper triſtis, neq; ſemper grauis iuuat,
Quem recta uolueris monere, oratio.
Interdum etiam tangit iocus præcordia,
Et ſeria fugientem luſus detinent.
Narrantur orbe toto apologi Aeſopici,
Quibus ille regum flexit olim pectora,
Et patriæ ruinas auertit Samo,

Quod

Quod ſapiens nemo poterat, nemo philoſophus,
Qui ueſte, uultu, baculo, qui crineq́;
Vulgi ora conuertunt in ſe, & animos leues:
Vt facilè poßit qui uolet intelligere,
Quàm præſtent ſerijs interdum ludicra.
Atq; hæc olim ſapientes cum animaduerterent,
Et præceptorum odioſa iuſſa cernerent,
Cœpere ſeria ludicris inuoluere,
Et luſibus mentes hominum perſtringere,
Queîs ueritas aperta paritura odium erat.
Hinc tot uirorum clara nata poëmata:
Hinc Principum noxas, & pacis commoda
Ante oculos longo, ſed diuino carmine
Pater poſuit Homerus. hinc Comœdia
Vitia hominum, moresq́; cœpit libera
Corrigere, & oſtendere quid fecisse deceat,
Non triſtibus præceptis, aut incommodis,
Sed uerſu dulci, & argumento ludicro.
Cuiuſmodi etiã hæc eſt quam acturi hodie ſumus
Terentij Adelphos græcè dictam fabulam.
Nam ut argumentũ, & rem exponã uobis ſimul,
Demea ſenex hîc fingitur quidam Atticus
Ciuis, durus & agreſtem uitam uictitans,
Alienus à mundicie, urbisq́; cultibus,
Seuerus adeo, ut omnes eſſe ſobrios
Vellet, parcosq́;, & ſemper operi deditos:
Solutos æquè odiſſet, omnesq́; ebrios.

Huic filij duo nati Cteſipho & Aeſchinus,
Quorum alterum ipſe ruri duriter educat,
Alterum adoptatum frater habebat Mitio,
Diſsimilis moribus uitáq; commoda,
Comis, benignus, & cuiuis aptus loco,
Facilis ubi res ferebat & exorabilis.
Hunc quia ſinebat liberalius Aeſchinum,
Dum ætas ferebat, amare & conuiuarier.
Obiurgat Demea, & reprehendit ſedulò,
Qui puerum luxu nimio diſperdi ſinat,
Nec ipſius exemplo obſtringat laboribus.
Stultus qui dum ſe pulchrè putat aduèrtere,
Ab eo quem ruri credit eſſe luditur,
Ridetur, & decipitur, toti familiæ
Inuiſus, & foris odioſus omnibus,
Cùm ſolus in oculis ſit cunctis Mitio.
Atq; igitur quorſum iſta fabula pertinet?
Nempe ut diſcant, qui qualeſcunq; res gerunt,
Nil comitate melius aut clementia
Eſſe, ut ſæuitia contrà nil peius nocet.
Atq; hoc ob oculos dum uolebat ponere,
Non uerbis modò monere poëta ſcenicis,
Rem totam populo dedit agendam ludicris.
Nam ut melius quæ cernis coràm, q̃ quæ audias,
Retines, ſic monitis plus exhibita commonent,
Et recta cum uoluptate ſimul percipis.
Quam nos ſecuti rationem ut cernitis,

Terentij

Terentij Adelphos ſumus acturi fabulam.
Proinde faciles & benignos uos date,
Et ſi lubet forum hoc tantiſper Atticum,
Putate, dum rem cœptam liceat peragere.
Sic uos in ueſtris ſemper mercimonijs,
Bonus iuuet Iouis atq; Maiæ filius.

EX ODYSSEAE HOMERI Σ. *conuerſum.*

HVIC *ita reſpondens inquit cordatus Vlyſſes,*
Amphinome, ante alios ſapere & bonus eſſe uideris.
Namq; & clara tui iactatur fama parentis,
Dulichij Niſi probitate inſignis & auro.
Et tua ſic placidis moderata oratio uerbis,
Te facit ut nulli ducam ratione minorem. (cõde.
Quare age, & hæc memori, quæ dicã, mente re=
Quicq̃d alit tellus, quicquid mare, quicq̃d et aer,
Nil homine infirmũ magis eſt, qui donec ab alto
Fortunam præbent ſuperi, uitamq; miniſtrant,
Nil metuens uiuit uenturæ neſcius horæ.
At ſi quando leues mutauit Iuppiter auras,
Triſtiaq; eueniunt mutatis tempora lætis,
Improuiſa animo perfert incommoda mæſto,

Et grauis ipſe ſibi conſumit corda dolore.
Nam ceu fortuna eſt præſentem quæ regit horã,
Sic humiles,magniq; ſumus,mentemq́; paramus.
Me quoq; enim rebus memini florere ſecundis,
Atq; ibi ui multa,ſcelera atq; indigna patraui,
Fratribus & magno confidens ipſe parenti.
At nunc illa uides quo me fortuna redegit?
Neúe igitur quiſquã, cui ſors fauet,audeat ultra
Quàm fas eſt,animum ſceleratis iungere cœptis,
Sed tacitè ſuperi quæcunq; dedere fruatur.
Nam quàm fœda proci peragunt, tua turba,nec æquum,
Nec ius aſpiciunt,dum res,aurumq́;,pecusq;,
Abſentis lacerant domini,uaſtantq; penates,
Nec reuerentur eam,thalamos quæ ſola pudicos
Coniugis & ſeruat,reditumq́; expectat amantis.
Quem quia non longè patrijs à finibus eſſe
Auguror,et ſubito hoc poſiturum limine greſſus,
Te precor eripiãt ſuperi,incolumemq́; reſeruẽt,
Vt procul hinc patria uiuas tellure beatus,
Triſtia nec uideas perituræ funera turbæ,
Quæ dabit ille,ſuos poſtquàm pacare penates
Cœperit,& tollet multa uim cæde procorum.
Sic ait,& dulcis libauit pocula Bacchi.

NONVM

NONVM THEOCRITI IDILLION, E GRAECO VERſum. Loquuntur Paſtores, Daphnis & Menalcas.

PAngite ſyluestres Muſas, prior incipe Daphni,
Incipe Daphni prior, tu deinde ſequere Menalca,
Interea uitulæ bobus taurisqúe iuuencæ
Vnà per uirides dum carpunt pabula ualles,
Per ſola errantes linquunt armenta ſub umbra
Commiſtæ, & tenero cupiũt dare tempus amori.
Incipe nunc Daphnĩ, reſpondeat ipſe Menalcas.
DA. Et bouis & uituli dulcis uox, dulcis auenæ,
Dulcis paſtorum, & noſtro quæ fertur ab ore.
Eſt mihi, per gelidam reſonant ubi flumina ripã,
Vaccarum niueo conſtructus uellere lectus,
Quas mihi de celſa carpentes arbuta rupe
Infeſtus ſubito decuſsit turbine uentus.
Hîc æstus tantum ſeu torrida ſidera curo,
Quàm curant pueri nugas audire parentum.
Sic cecinit Daphnis, cui rettulit iſta Menalcas.
ME. Aetne noſtra parẽs, & nos ſub rupe cauata
Depictum uarijs habitamus floribus antrum,
Ac habeo quæcunq; deus per ſomnia reddit,

Agnos & teneros hirtis cum matribus hœdos,
Quorũ multa iacent pedibus ſub uellera noſtris,
Subter multa caput torrentur plurima noſtro
Extra foco, & ſiccæ non uilis copia glandis.
Hic gelidæ curo brumæ non frigora tantum
Quanta nucum ratio eſt ubi lac aſpexerit infans.
DAP. *Aſt ego miratus pollentes uerſibus ambos*
Applauſi, donoq; pedum tibi Daphnidi mitto
Formoſum patrijs allatum nuper ab agris,
Mentoream quod ſponte ſua ſuperauerat artem.
At pulchrum Icarij ſaxoſa in margine ponti
Oſtracon exceptum, cuius direpta comedi
Partibus in totidem diuiſis quinq; ſodales,
Viſcera do munus ridenti ferre Menalcæ.
ME. *Muſæ Trinacrias celebrãtes carmine ſyluas,*
Saluete, & faciles illud mihi reddite carmen,
Iſtis quod cecini nuper paſtoribus ipſe,
Ne mihi ſub ſumma naſcatur puſtula lingua.
Formicam ſequitur formica, cicada cicadam,
Accipitri accipiter gaudet comes eſſe uolanti:
At me delectant dulces ante omnia Muſæ,
His utinã mihi plena domus ſplendeſcat & arcæ.
Non apibus tenero naſcentes gramine flores,
Nõ uer quod primo ſe mox oſtendit ab anno,
Nec ſopor in molli recubanti dulcior umbra,
Quàm nobis uario modulantes carmine Muſæ,
Muſas quiſquis amat, Muſis quicunq; fauebunt,

Ille

Ille ueneноſæ contemnet pocula Circes.

CHARITES Theocriti.

CVRA Iouis ſoboli, Muſis hæc una canoris,
Carmine mortales extollere, carmine Diuos,
Factáq; clara uirûm ſuperas eſferre ſub auras,
Ac diuæ diuos Muſæ, diuináq; cantant:
Nos homines hominum celebramus facta poëtæ.
At nunc immenſo nemo ſic uiuit in orbe,
Vt Charites grato uenientes limine noſtras
Accipiat, foueatq; lubens, aut munera donet.
Sed ſimul ac iuſſas aliquò mittuntur ad ædes,
Mox redeũt triſtes, nudo pede, multa querẽtes,
Deq; uia uana, de fruſtratoq; labore:
Atq; ita ſub uacuas iterum ſua limina capſas
Affectæ ſubeunt, uix iam capita ægra trahentes:
Hæc etenim ſedes quoties eluſa remiſit
Re ſpes infecta, frigentes excipit illas.
Nam quis adhuc Muſas amat, aut quis tẽpore noſtro
Digna referre cupit facũdæ præmia linguæ?
Haud facilè inuenies, neq; enim uelut antè ſolebãt
Mortales faciunt, quæ laudem facta merentur.
Sed pariter cunctos ſcelerata pecunia uicit,
Ac taciti ſub ueſte manus claudun tq; premuntq;

Dum quiſq; intentis oculis circumſpicit aurum
Vnde ferat, quantumq; ferat, nec donat amico,
Vel quantum recidit deterſa erugine quiſq;
Sed propius q̃ ſura genu mihi ſcilicet, inquit,
Si petis, & dederis tute, ipſe ego ſumere malim.
Ac potius ſuperi reddant ſua dona poetis.
Hinc alius: ſolus ſatis eſt, reſpondet, Homerus
Omnibus, & nobis doctiſſimus ille poeta eſt,
Qui minimum poſcet, qui nil auferre rogabit.
O miſeros homines, quid plena conditus arca
Theſaurus iuuat, & multo congeſtus aceruo?
Non hic uſus opum, ſed qui ſapientius illis
Vtitur, has genio partes, has ſumet amicis,
Multáq; cognatis faciet benè, multa poetis,
Atq; hominum reliquis, quorũ res poſcet & uſus:
In primis superûm donis uenerabitur aras,
Hoſpitióq; lubens acceperit urbis egentem
Et patriæ, atq; iterum placidè dimittet euntem,
Cùm uolet, acceptum lauto ſermone, ciboq;:
Pieridumq; colet ſacros ante omnia uates,
Vt benè ſub Stygijs uel mortuus audiat umbris,
Nec fleat obſcurus reſidens Acherontis ad undã.
Vt qui pauperiem uacuo deplorat in agro
Confectus longo ſqualentia membra labore,
Triſtia calloſis manibus cum ſarcula iactat.
Antiochus magno, magno regnabat Aleuas
Imperio, Peneus qua Theſſala circuit arua;

Illis

Illis mille domi famulæ data penſa trahebant,
Et totidem tulerant demenſa diurna miniſtri.
Multa boum montes ibant armenta per altos
Hæmoniæ, & uirides nemoroſa cacumina ſyluas,
Multæ cum teneris errabant matribus agnæ,
Diuitiæ regum, læto Cranonis in agro.
Aſt ea tantarum rerum tam chara uoluptas
Cuncta abijt, poſtq̃ hi Stygiam tetigere carinam,
Et nunc obſcuri cæca Plutonis in aula
Poſt tot diuitias, poſt regna amiſſa iacerent,
Atq; etiam premerent nomen, corpusq́; tenebræ,
Ni tua Simonide feciſſent carmina notos,
Et Scopadum leuibus ſonuiſſent nomina chordis.
Hæ quoq; dixerunt uolucrum certamen equorũ,
Partaq́; in Eleo uictricia munera campo.
Quis Lycios proceres, Glaucum, aut Sarpedona noſſet,
Troianóſue duces, & canum tempora Cygnum?
Ni ueterum prouidi ſcripſiſſent bella poetæ.
Nec qui uiginti centumq́; errauit Vlyſſes
Menſibus, atq; Erebi pallentes uenit ad umbras,
Vnus & infandi terebrauit lumina monſtri
Trinacrij Cyclopis ſaxoſæ in rupibus Aetnæ
Nomine tantus erat. Tu nunc Eumæe iaceres,
Et tu qui errantis pauiſti armenta Philæti,
Laërtesq́; tuum uix noſſent ſæcula nomen,
Ni uos diuini ſeruaſſent carmine uates.

Carmine mortales pariunt nomenq́;, decusq́;,
Quod neq; mors aufert, nec ſæui cymba Charōtis.
Cum nudi ad cæcas omnes deſcendimus undas,
Et manet hæredi collecta pecunia uiuo.
Aſt idem pelagi ſterilem numerabit arenam,
Quam gelidus ſicco congeßit littore uentus,
Et lateris nitida ſordes abſterſerit unda,
Qui poterit lucri cupidas euincere mentes.
Quin longum ualeant qui ſic ſunt, & ſine fine
Et ſine menſura cumulent aurumq́; lucrumq́;,
Et maius, maiusq́; uelint, nec uelle quieſcant.
Aſt ego præ cunctis mulis, cunctisq́; caballis,
Optarim laudem, & populi meruiſſe fauorem.
Verùm aliquē grato qui nunc mea carmina uultu
Accipiat, quæro: neq; enim modò certa poetis
Stat fortuna, Ioue à Muſis aliena agitante:
Nec dum uertendi ceſſarunt tempora mundo,
Aut ſua luciferi poſuerunt plauſtra iugales:
Magnaq́; adhuc ſupereſt uoluendis mēſibus ætas:
Atq; aliquis ueniet uenturis forſitan annis,
Qui uirtute potens per noſtræ carmina Muſæ
Gaudeat ad ſeros nomen miſiſſe nepotes:
Dum faciet, magnus quæ quondam fecit Achilles,
Aut Telamone ſatus, Phrygij Simoēntis ad undā,
Laomedontiadæ tumulum quâ circuit Ili.
Iamq́; adeo extremis Libyæ Carthago ſub oris
Tota tremit, magnis iterum conterrita bellis,

Bella Syracuſiis Hieron quæ cogit in agris,
Heroum priſcas referens animoq́; figuras,
Et uultu galeam cauda criſtatus equina,
Quem circum Siculi decurrunt undiq; ciues,
Sub medijsq́; gemunt haſtis, clypeoq́; ſaligno.
Iuppiter omnipotens, atq; armis inclyta Pallas,
Quæq́; Ephyreorum ſortita es ciuibus urbem,
Facundæ profugis ſub margine Lyſimeleæ,
Alma Ceres, tuq́; ô Cereris Proſerpina nata,
Hoc facite, ut ualidis compreſsi uiribus hoſtes
Ortygiam trepidi linquant, fugiantq́; relicta,
Sardinios inter tranantes æquora fluctus,
Diraq́; coniugibus denarrent funera mœſtis,
Et Tyrios Siculo confoſſos enſe colonos.
Tum ſua deiecto reddantur mœnia ciui,
Quæcunq; hoſtili fuerant direpta furore,
Atq; iterum curuo peraretur uomere tellus,
Et pecus herboſi rurſum per paſcua campi
Fœcundis pariat balantes fœtibus agnos.
Ac pingues ſtabulis redeant cum ueſpere uaccæ,
Grandia diſtento portantes ubera lacte.
Incipiant pulchra flauere noualia meſſe,
Cùm canit, & uiridi ſuadet de fronde cicada,
Paſtores gelida recubate ſub arboris umbra.
Cumq́; leuis cœptam pertexit aranea telam,
Impia tum ceſſent ipſo cum nomine b ella
At magnam pariant Hieroni carmina laudem,

Laudem, quæ Scythici uolitet trās æquora pōti,
Atq; Semiramidis ſolida referatur in urbe.
Et quanquam Siculis uates ego ſolus in agris
Canto, tamen multis ſeruant ſua munera Muſæ,
Qui laudes Arethuſa tuas, qui fortia facta,
Magnanimumq; Hierona ferent ad ſydera cantu.
O Etheocleis habitantia numina tectis
Diuinæ Charites, quæ cœlſo è uertice quondam
Inuiſa Orchomeno ſpectaſtis mœnia Thebas,
Veſter ego obſcura cultor ſub nocte latere
Haud renuam, & poſſum petiiſſe ignobilis orcū.
Sed tamen ex tanto numero nos ſi quis amarit
Atq; uocet, Muſis fretus comitantibus ibo.
Vos quoq; ubiq; ſequar, quid enim ſine numine ueſtro
Hoc toto pulchrum reſtat uel amabile mundo?
Vobiſcum Charites liceat mihi tempora uitæ,
Et uitam ueſtros inter finire lacertos.

ΜΟΥΣΑΙ.

Ἀλλα μὲν ἀνθρώπων τοῖς ἄλλοις πράγματ᾽ ἀρέσκει,
Πιερίδων δ᾽ ἔτ᾽ ἐμοὶ δῶρα γένοιτο θεῶν.
Μουσάων τέκνων διὸς οὐρανὸν εὐρὺν ἐχουσῶν.
πάντα χρόνος φθείρει, ταὶ δὲ μένουσιν ἀεί.

ΓΛΑΥΞ.

Γλαὺξ μὲν ἐγὼ κότος ἀργαλέος πάντ' ἔθνεϊ πτηνῶν,
θυμὸν ἀνίκητον στήθεος ἐντὸς ἔχω.
Ὁππότε τοὺς ἄλλους γλυκερὸς περιβάλλεται ὕπνος
ἡμετέρης ἄγρης δῶρα μέγιστα φέρω.

ΓΟΙΗΤΑΙ.

Θεῖοι ποιηταί, γένος ἀονίδων ἱεράων,
κλείομεν ἀνθρώπων ἠδὲ θεῶν ἀρετάς.

DE VITAE BREVITATE *Trochaicum.*

Labitur uelut unda tẽpus, nec recurrit unq̃ idẽ,
Et ſeneſcimus ſedendo, dum breuis fugit dies.
Ergo dum licet, fruamur ſorte quam dedit Deus,
Et animo feramus æquo, quicquid accidet noui.
Nam cadit Sol, & reuerſus luce reſplendet ſua,
Nos ſemel poſtq̃ cecidimus, nullus huc reuerti=(tur.

DE PECVNIA, *Eiuſdem generis.*

Omne quod toto ſub axe eſt, uincitur pecunia,
Hæc domos regũ potentes, hæc breues uertit ca=ſas.

Hæc fidem, hæc ſoluit pudorẽ, hæc quicquid uſ-
quàm ſplendidum eſt.
Turrib. Danaen ahenis clauſerat metuẽs pater,
Capta ſed tamẽ illa furtim eſt imbribus Iouis aure
Vſq; eò pecuniæ nihil arduum, aut imperuiũ, (is.
Sed eadem regina rerum iure dicta eſt optimo.

EX EVRIPIDE VERSVM.

Multæ ſpecies dæmoniorum,
Multa inopinatò peragunt dij,
Quæq; fore putas, non eueniunt,
Et quæ fieri unquam poſſe neges,
Illis mox fata uiam inueniunt.

Εἰς Γεώργιον φίλτατον.

Χαῖρε μὲν ἡμετέρας φιλίας φίλε γεώρ-
γιε κῆδος.
Κἀμοὶ θαλπωρὴ μειλίχιόν τε φάος.
Σεῖο γ᾽ ἐπ᾽ οὐκ ἂν ἔγωγε λαθέσθαι μήτε δυ-
ναίμην,
Εἰ καὶ τῆς λήθης ὕδατα πάντα πίω.

Εἰς τὸν τοῦ Χιλιανοῦ γάμον.

Παρθένον εὐειδῆ ἁπαλὴν χιλιανὸς ἔγημε,
δεῦτε φίλαι μοῦσαι, δεῦτε φίλαι χά-
(ἄσμα,
ριτες.
Ἀείδετ᾽ ὅππι ποτ᾽ ἐν θέτιδος καὶ Πηλέος
Ἄσασαι

Ἀσπάσαι γλυκεροῖς ἦρα φορεῖτε γάμοις.
Ὡς δ' μὲν ὑμμετέρους αἰὲν τιμῆσατ' ἀοι-
δοὺς,
Καὶ χεῖρας μελέων ὄυποτ' ἀπεῖχε κα-
λῶν.

Εἰς τὴν σοφίαν.

Πάντα χρόνος φθίνει μακρὸς,
Μηδ' ἔμπεδον μηδὲν ἐᾷ,
Οὐ πλοῦτον ὀυδὲ χρήματα,
Οὐ κάλλος, ὀυδὲ τοι κράτος
Οὐδ' ὁπποιοῦν κόσμος τρέφει.
πᾶν γινόμενον φθείρει χρόνος.
Μόνη δὲ πάντων ἄφθιτος
Σοφίη μένει καὶ ἀβλαβής.
Οὔτ' ὀμβρὸς ὄυτε κύματα,
Οὔτε φοβερὸν διὸς βέλος
Ἀπολεῖν δύναιτο πώποτε
σοφίας ἀνίκητον σθένος.

IN IMAGINEM FRIDERICI
Comitis Palatini, Electoris.

Hic placidus, prudens, linguarum, hominumque peritus,
Sæua Pharetrati hic contudit arma Getæ.
Et ſtudio pacis gaudens, & amore quietis,
Fregit conſilijs aſpera multa ſuis.

Succeſſor fratris fama, & uirtute ſecundus,
Aucta dedit fructu ſigna paterna nouo.

ALITER.

Editus antiqua ueteris de ſtirpe Palati
Septem inter proceres famaq́;, parsq́; uiros.
Sic oculos ſic ora ſenex Fridricus habebat,
Vitæ poſt ſeptem luſtra bis aucta ſuæ.

ALITER.

Sic oculos, ſic Dux faciem Fridricus habebat,
Poſt ſeptem uitæ luſtra bis acta ſuæ.

IN IMAGINEM CONIVGIS EIVS DOROTHEAE Re=*ginæ Cimbrorum.*

Aſt hæc progenies regum de ſanguine priſco,
Quâ uidet undoſum Cimbrica terra fretum.
Quidquid habet pietas, quidqd prudẽtia laudis,
Iunctaq́; cum pulchra forma pudicitia.
Omne hoc una ſuo merito & uirtute reportat,
Vero quæ Diuûm munere nomen habet.

ALITER.

Dorothea claro regum de ſanguine nata,
Quos tulit undoſo Cimbrica clauſa mari.
Sic oculos, ſic ipſa manus, ſic ora ferebat,
Cùm legeret uitæ ſeptima luſtra ſuæ.

ALI-

ALITER.

Dorothea Cimbri regis de ſanguine nata,
Talis poſt uitæ bis tria luſtra fuit.

IN COLLEGIVM SACERDOTVM
A Ferdinando Rege Rom. inſtitu=
tum, Anno 1553.

Vnigeni matri Chriſti, Dominiq́;, Deiq́;,
Virgine qua mundi nata parente ſalus.
Inclytus hanc ædem rex Ferdinandus ab imo
Sumptibus ad cœlum ſuſtulit ipſe ſuis.
Rex Ferdinandus triplicis qui ſceptra coronæ,
Boemiæ, Auſoniæ geßit, & Hungariæ.
Vtq́; reus uoti fuerat, iuſtißimus heros,
Reddidit hæc Domino debita dona Deo.
Tunc cùm relligio paßim deſerta pèr agros
Perq́; urbes hominum uile iacebat onus:
Eſſet ut hoc reliquæ tutum pietatis aſylum,
Et ſedes rebus certa dicata ſacris.
Atq; hinc Auſtriadum decus immortale parentũ
Creſceret, & ſummos ſtaret ad uſq; dies.

ALIVD.

Sæcula tranſierant poſt Chriſtum quinq; decemq́;
Et meſſes octo, & luſtra peracta nouem.
Cùm genere Auſtriadũ rex Ferdinandus ab alto,

Condidit hæc Matri templa ſalutiferæ.
Rex hominum Ferdinandus, qui tempore eodem
Pannonios, Boemos rexit, & Auſonios.
Eſſet ut hæc ſedes fidei & pietatis auitæ,
Atq; eadem uoti conſcia fama ſui.
Staret & antiquæ decus inuiolabile gentis,
Quam uetus Auſtriadum protulit aula ducũ.

IN ORNAMENTA EORVM QVI *promouentur ad Magiſterij gradum.*

I.

Accipe purpureum capitis geſtamen honorem,
Hunc ſtudia & uirtus promeruere tua.

VEL.

Accipe nunc fuluum radijs fulgentibus aurum,
Hoc hominum, hoc Diuûm conciliatur amor.

II.

Accipe cœleſtes imitantia dona colores,
Et cœli genitum te quoq; parte puta.

EIDEM.

Accipe nobilium quondam geſtamen auorum,
Hoc tibi ſe iungit pignore Calliope.

III.

Vt uiolæ ſummos imitantur purpura cœlos,
Sic tu cœleſtes fac imitêre Deos.

EIDEM.

EIDEM.

Lucet ut in medijs aurum ſplendore metallis,
Sic animi uirtus luceat alta tui.

IIII.

Vt nitet hæc uiolæ ſaturata tiara colore,
Sic niteas poſita tu quoq; barbarie.

EIDEM.

Vincit ut hoc flammas, nec longo abſumitur igne,
Sic uincat pietas omnia dura tua.

V.

Laurea Cæſareos ornet ſine rara triumphos,
Purpura plus doctis conuenit iſta comis.

EIDEM.

Annulus ut multo nitet hic ſpectabilis auro,
Sic cultus niteas artibus ipſe bonis.

VI.

Purpureo crines & tempora cinge colore,
Hunc amat & puero Phœbus in Oebalio.

EIDEM.

Vt teretem fuluo digitum nunc induis auro,
Sic quoq; doctrinis indue corda pijs.

VII.

Tu quoq; nunc ibis ferrugine clarus Ibera,
Inter Apollineos famaq; parsq; choros.

EIDEM.

Auro magnorum decorantur ſtemmata regum,
At uirtus reges uincit, opesq́; Ducum.

VIII.

Et tu qui primos poteras æquare Magiſtros,
Ni daret extremum ſors tibi iacta locum.

EIDEM.

Tu quoq; poſtrema quem ſors in parte locauit,
Hoc ſignum ingenuæ nobilitatis habe.

VATICINIVM DE ECCLESIA
Argentinenſi, ad quam pars baculi Petri eſt allata.

Tempore quo primum Romana Petrus in urbe
Cœpit oues uerbo paſcere Chriſte tuo.
Miſſus ab hoc noſtras uenit Maternus in oras,
Diſceret ut ueram Sequana terra fidem.
Sed quid fata ualent, primos dum uoce Tribocos
Erudit, & gentes cærule Rhene tuas.
Ecce Argentorati fœlicibus excidit orſis,
Et ſubita ſoluit lumina uicta nece.
Hac ſocij tanta perculſi pectora clade,
Quos illi comites Itala terra dedit.
Eucharium ex numero mittunt fidumq́; piumq́;,
Funera qui ſancto nunciet iſta Patri.
Qui ſimul ac magnis repetiuit curſibus urbem,

Et

Et mandata patri plena dolore tulit.
Mox ille, ut ſacra ſedit tum fortè cathedra,
Et leua baculum, præſulis arma, tenet.
Ingemit, & tanti caſum miſeratus amici,
In partes frangit lignea ſceptra duas.
Ex quibus hanc retinens, illam dat ferre ſodali,
Et ſuper imponi mortua membra iubet.
Ille redit, quantumq; poteſt ueſtigia retrò
Approperata legit, ſanctaq; iuſſa facit.
Nec mora qui dudum ſopitus morte iacebat,
Surgit, & ad cœlos ora manuſq; leuat.
Et lætus Chriſti uirtute, & amore magiſtri,
Pergit, & incœptam prædicat ore fidem.
Fama uolat paßim tàm rari nuncia facti,
Et celebrat ſancti nomen opuſq; uiri.
Cõueniunt quos Pruſca uagus, quoſq; irrigat Ellus,
Et ſolitus Vogeſi creſcere Sarnus aquis.
Aurea mirantur redeuntis ſæcula mundi,
Et noua uerbigenæ fataq; uimq; Dei.
Nec deſunt quibus hæc præſagia certa uidentur,
Omen ut hæc baculi fragmina habere putent.
Nam uelut in partes hic fractus dißilit ambas,
Parſq; Argentoratum fragminis una uenit.
Sic quando Latia ſceptrum frangetur in urbe,
Diuiſa in partes relligione ducas.
Vrbs eadem Chriſti renouatum dogma ſequẽdo,
Et baculum Petri, tunc & habebit oues.

AD REGEM.

Hæc pueri ficto dixerunt carmina regi,
Dum Saturne tui tempora menſis eunt.
Quicunq; iſta leges, habeas pro iudice tempus,
Et ueniam noſtris res dabit ipſa modis.

AD REGNI CONSORTES.

Imperij proceres, & ſacri nomina regni,
Quos ſtudia, atq; eadem iunxit amore fides.
Pæonias inter princeps memorande cateruas,
Atq; idem magnæ dux VVagemanne ſcholæ:
Edocti leges Hartmanne, Philippe, Mylæe,
Et tu qui nolæ nomen habesq; magi.
Quiq; Palatinæ moderaris ſcrinia cellæ,
Quiq; gemis uiduo, Paule relicte, thoro.
Et uos dilecti, quorum alter ab obſidis amne,
Alter & à primo martyre nomen habet.
Iam longum nimis eſt, annus iam uertitur alter,
Dum caret aſpectu regia noſtra ſuo.
Dum ſedeo & ueſtros abſens deſidero uultus,
Quos eadem regni cura fidesq; tenet.
Ergò moræ impatiens, dum munera noſtra recor
Atq; ea quæ teneo tradita ſceptra manu. (dor,
Has noſtras miſi circum atria ueſtra camœnas,
Edicti certas imperijq; notas.
Quæ de more uocent uos ad conſortia cœnæ,
Et pro quenq; ſua conditione citent.

Huius

Huius ut adſitis ſub ueſpere quiſq; diei
Mecum, quinta ſuos cum dabit hora ſonos.
Quòd ſi quis monitus demens neglexerit iſtas,
Audeat & tardo ſerus adeſſe pede.
Contrà hunc fiſcali plenas largimur habenas,
Eius ut infuſo perluat imbre caput.
Sic uolo, ſic iubeo, uos hæc ut certa poteſtas
Noſtra ſit, obſequijs quiſq; cauete ſuis.

D. CASPARO CAMPANO.

Conuenient hodiè ueteris conſortia regni,
Veſpere, cum quintos fecerit hora ſonos.
Quo te noſtra uocat ſolito de more camœna,
Compater, & noſtri pars memoranda chori.

D. HARTMANNO HARTMANNI.

Aſſenſere omnes ſolito de more uocati,
Imperio & ſceptris dedita turba meis:
Vnicus ille tuæ coniunx Hartmanne ſororis,
Neſcio quid cauſæ & quale Philippus habet.
Quare ſi licet, aut ullo impetrabile pacto eſt,
Te rogo ut iſtius ſit tibi cura loci.
Atq; hunc, ô regni Princeps fidiſſime noſtri,
Adducas tecum iure, manuq; uirum.
Non ille ulterius iuſto bibet, aut bibet horam,
Sed bibet arbitrio pocula iuſta ſuo.

FRAGMENTVM GRAMMAticæ carmine ſcriptæ.

Non reges, neq; bella cano, non horrida Martis
Prælia, quæ uana ludant formidine mentes.
Tritum iter ingredior, cũctis commune magiſtris
Dum teneræ tradunt elementa docenda iuuẽtæ,
Scilicet ut uoces uarijs à uocibus ortæ
Per genera, & numeros actæ, caſusq; modosq;
Inter ſe certa coëundi lege ſequantur.
Quæ ratio cuiq;, aut qua ſe ſtatione tueri
Debeat, & quanto metiri limite greſſus.
Hæc mihi fert animus tenuato dicere uerſu.
Huic operi aſpira ſeu te Parnaßia rupes,
Seu melior cœli ſedes tenet, author Apollo.
Grammaticæ græcis, quorum uis repperit artes,
Nomen gramma dedit, qua littera uoce notatur.
Hæc ratio rectè eſt, & regula certa loquendi,
Scribendiq; ſimul, ſtudiorũ principium & fons.
Quam ſi non animo comprehenſam ritè tenebis,
Maiorum fruſtra tentabis limina rerum.
Quattuor hanc Critici concludunt partibus oẽm.

AD QVENDAM.

Spreta iacet pietas, & cum pietate Camœnæ,
Muſarum ad turpem res rediëre famam.
Nil iuuat ingenuas animum coluiſſe per artes,
Cultor

Cultorem uirtus non leuat ulla ſuum.
Quare etiam exilio premitur miſer iſte perenni,
Adria cui nomen carmine Menſa dedit.
Nec requiē, aut ſedem, nec tutis inuenit uſquam
Solamen rebus perfugiumq́; ſuis.
At te ſi qua mouent doctarum dona ſororum,
Gratia uirtutis ſi ſuper ulla manet:
Huic ope ſuccurras aliqua, & miſerêre iacentis,
Quaq́; potes miſerum parte tuêre ſenem.
Sic Deus & ſuperi faciles tua facta ſecundent,
Sic cedant uotis proſpera cuncta tuis.

AD VXOREM.

Sic igitur linquis, ſic nos dulciſſima coniunx,
Cæleſtes poſthac inter itura choros?
Idq́; placet ſuperis? ergo dum iungat utrumq́;,
Summa dies iterum, & uita beata, Vale.

IACOBO F.

Quod tibi præterito promiſi temporis æuo,
Agnatos inter magnum Iacobe decus.
En tandem longo confectum mitto labore,
Ingenij & noſtræ non leue munus opis.
Quod tibi ſic placeat, ceu fas eſt illa placere,
Quæ ſtudio atq; animo ſunt data cunq́; pio.

Forſitan inuenies prima quædam aſpera fronte,
Quædam etiam auriculis grata parũ teneris.
Sed ſeries rerum ſeruanda, atq; integer ordo,
Flectere de uera nos uetuere uia.
Quanq̃ etiam iſta iuuat uel qualiacunq; tenere,
Nec modicum res hæc utilitatis habet.
Dum moniti exemplis aliorum, uiuere cautè
Diſcimus, & rebus quisq; cauere ſuis.
Quare age, quo ſolum dignati te ſumus unum,
Qui bene tot factis nos facis eſſe tuos.
Accipe promiſſum uir præſtantiſsime ſcriptum,
Accipe Romani resq; uicesq; ſoli.
Quæ tu ſi facili, ceu ſpero benè omnia, fronte
Aſpicis, & placida hæc mente animoq; legis:
Illa quoq; accipies templi monumenta uetuſti,
Et collata ſacris fata priora nouis.
Quod tibi dum ſeruo (priſcis memorabile ſignis
Et ſæcli uarium poſterioris opus.)
Interea ipſe uale, ueteremq; agnoſce clientem,
Qui tuus ut modò ſit, quemlibet eſſe ſine.

ANTONIO A. VVERT.

Bis quater impleuit, memini, ſua cornua Phœbe,
Et totidem latuit condita nocte uices.
Cũ tua Nicolei mihi reddita epiſtola dextra eſt,
Plena eadem officij, plenaq; amicitiæ.

Sed

Sed neq; tu neſcis, quanto Mars undiq; motu
Interea noſtros exagitauit agros.
Non modò uti nullus citroq; ultroq; rediret
Nuncius, & ſtaret clauſa timore uia.
Sed nec ut ingenio quiſquam ſic eſſe quieto
Poſſet, & à cura ſe reuocare graui.
Quò uel pauca breui mandaret ſcripta tabellæ,
Mitteret aut digitis uerba notata tribus.
Fas igitur noſtræ te nunc ignoſcere Muſæ,
Si fors quàm debet tardior illa uenit.
Nec minus idcirco memores nos eſſe putare,
Grata parum ſi ſpe uincitur illa tua.
Nam neq; nunc omni poſita formidine parte
Auſa eſt ſe tantæ credere tuta uiæ.
Dum ſecum repetit, quàm ſit ſine tota nitore,
Et laceros uultus, nec ſolita ora gerat.
Sed tu nec cultum, nec uerba ntentia ſpecta,
Sed quibus hæc animis, unde profecta uenit.
Et quòd Nicolei uerbis adeò ire coacta eſt,
Cuius in hoc ſi qua eſt, culpa putanda tua eſt.
Nam ſi tanta foret uenientis gratia Muſæ,
Quàm te, qui talem nunc tibi mittit, amat.
Gratior haud equidem puto, uel fœlicior ulla
Vſquam iam longo tempore miſſa foret.

DOCTISSIMO VIRO IVSTINO
Goblero apud Confluentiam ſcribæ forenſi, ſuo: Iacobus Micyllus S.D.P.

Hanc Iuſtine tibi Micyllus mitto ſalutem,
Qui gero deſertæ uilia ſceptra ſcholæ.
Verſibus hæc, quæris, cur conſtet epiſtola paucis?
Obruit ingenium cura, dolorq́; meum.
Nec ueniunt animo niſi carmina ducta ſereno,
Impediunt longos tempora mæſta modos.
Quod petis, ut mittam noua quæ modò condita proſtant
Scripta Philippe manu, ſiue Luthere tua.
Nil uidi, paucis niſi commentaria Pſalmis
Addita, quid dignum quo legeretur erat.
Nam Solymi uates noſtra iam uoce loquentes,
Actaq́; Cæſarij proxima concilij:
Atq; alia, exactum poſt menſem excuſa dabuntur,
Si modò non falſum Bibliopola refert.
Sed tamen in noſtris ſtudijs digna ædita multa,
Et bona Græcorum copia facta modò eſt.
Totus Ariſtoteles Baſilæa uenit, & alter
Comicus, è Græcis qui ſuper unus erat.
Et Siculi noſtro paſtoris carmine Muſa,
Verſa eſt, ingenij res Eobane tui.
Dimidio quintæ eſt Decados quoq; Liuius auctus,
Et noua iam Blondi uenditur Hiſtoria.

Dictaq́;

Dictaq́; acuta uirûm ueterum collegit Eraſmus,
Multaq́; quæ iam non enumerare licet.
Quæ quoniam ueſtros credo iſtuc Bibliopolas
Afferre, & magni merx foret iſta preci:
Non opus eſſe tibi zonam exhaurire putaui,
Cùm, quod emas, præſens ipſe uidere nequis.
Hæc Iuſtine rogo non lætæ incondita Muſæ
Carmina tu læta perlege fronte, Vale.

Anno M. D. XXXI. *pridie*
Non. April.

IOANNI MERCVRIO
MORSHEMIO.

Biſſeptem tenuit me certa puella diebus
Captum, ſpe precij nominis acta mei.
Cuius ſeruitio dum quæro exire, rogoq́;,
Anſeris aſſati poſtulat illa caput.
Promiſi, ueniamq́; locos, ubi ſacra Lycei
Fontis in umbroſa ualle ſuſurrat aqua.
Quòd ſi igitur ſocium te noſtri muneris eſſe,
Et placet egelido corda leuare mero.
Mox ubi Sol medio pronus deſcendit ab axe,
Flumina cum cara coniuge dicta pete.

FINIS *Libri quarti Syluarum.*

Iacobi Micylli

SYLVARVM LIBER QVINTVS.

AD D. IOANNEM CELLARIVM, CVI DEDICAT

Pſalmos Dauidis carmine redditos.

IANE mihi ſummos inter memorande ſodales,
Iſto quos tenui, quosq; tenebo ſolo.
Condita ſub Solymæ nemoroſæ ualle Sionis
Accipe Ieſſæi carmina ſancta Ducis.
Reddita quæ nuper pedibus prodire Latinis,
Et titulo iuſsi nominis ire mei.
Non quòd me tantæ uexet dementia laudis,
Aſſeram ut hoc noſtris ipſe poëma modis.
Sed quia cum uarijs premeret mea pectora curis
Fortuna, & nuſquàm ſpes mihi certa foret.
Non habui potius, quod languida corda leuare,
Mœſticiamq; animi tollere poſſet opus.
Nam neq; tu neſcis, quanto diſcrimine rerum

Implicitus

Implicitus, tacito qualis ab hoſte premor.
Et mecum fraudes doluiſti ſæpe malignas,
Et capiti toties uincula ſtructa meo.
Cùm fortuna meis illuderet inuida fatis,
Atq; omnem raperet mobilis aura fidem:
Nec pietas, nec tot uitæ benefacta prioris,
Inuidiam rebus diſtinuêre meis.
Sed uelut à medio cùm ſurgunt nubila ponto,
Et cælum crebris ignibus omne micat.
Cuncta ſimul terras quaſſant elementa iacentes,
Et ſæua ex omni parte pericla mouent:
Sic mea fata ſemel quando labefacta ruebant,
Sæuijt in noſtras imber & unda rates.
Dumq; retrò flueret quãta eſt mea (ſi tamen ulla
Fortuna, atq; gradu pellerer ipſe meo. eſt)
Ipſi etiam primos habui quos inter amicos
Tranſgreßi noſtrum deſeruere latus.
Et quod præ reliquis miſerum fuit, unde putabã
Solamen tantis poſſe uenire malis:
Hinc mihi cum magna creuere pericula turba,
Et iacui ſtudijs perditus ipſe meis.
Non ſecus ac hoſti, ſi quis modò in æquore merſã
Eripuit ſæuis naufraga membra uadis.
Nec paſſus laceram penitus conſidere nauim,
Velaq; reſtituit, remigiumq; dedit.
Aſt ille ut portus intrauit puppe petitos,
Anchoraq; in tuto gramine fixa ſedet:

Protinus incipiat placidos uaſtare penates,
Et pia crudeli uertere tecta manu.
Dum malè gratus ei laceret uitamq́;, domumq́;.
Cuius præſidio, quod modò uiuit, habet.
Inuida ceu lacerat nitentem uipera matrem,
Atq; illi uitam non fauet, unde tulit.
Tunc igitur miſerè cum ſpretus ubiq; iacerem,
Et benè, uix ullus, qui mihi uellet, erat.
Hæc adhibere animo cœpi ſolatia mœſto,
Et Solymi uatis uertere ſcripta meis.
Vt quoniam toto nihil apparebat in orbe,
Vnde foret ſpes, aut unde petenda ſalus:
Sacra mihi Domini uerbo medicina ueniret,
Qua non eſt grauibus certior ulla malis.
Hoc quoq; enim uideo patres ſeruaſſe uetuſtos,
Exemplo quorum multa libenter ago.
Vt quoties ualido tumuiſſent æquora uento,
Sæuaq́; depreſſam mergeret unda ratem:
Talia fortunæ caperent ſolatia triſtis,
Et peterent ſacræ mite leuamen opis.
Hoc clypeo Stygij ſuperabant prælia Ditis,
Hic portus dubijs auraq́; rebus erat.
Ipſe etiam ſacræ tenuit qui ſumma Sionis
Mœnia; qui præſens condidit autor opus.
Nónne uides uario compulſus pectoris æſtu,
Vt rebus toties ſpem petat inde ſuis.
Ac ſeu læta bonæ fulſerunt tempora pacis,

Extollit

Extollit lætis ocia parta modis.
Siue aduerſa fuit rebus fortuna gerendis,
Bellaq́; nunc nati, nunc tua Saule tulit:
Mœſta quoq; illius deplorat damna Thalia,
Verbaq́; cum rebus conuenienter eunt.
Deniq; quicquid erit, quod te læditq́; iuuatq́;,
Exemplum capias, ſi lubet, inde licet.
Atq; hæc pauca meæ fortunæ carmina teſtes,
(Omnia enim ut reddam non ſatis unus ero.)
Iane tibi, ſummum quem nunc agnoſcó meorum,
Dedico, ceu noſtræ pignus amicitiæ.
Vt ſi quando leges diuini carmina uatis,
Tu quoq; tum uatis ſis memor ipſe tui.
Damnaq́; ſuccurrant animo, quæ multa malignè
Ante tuli, & forſan pòſt quoq; plura feram.
Donec ad extremas ueniat fortuna procellas,
Et pereat ſæuis obruta puppis aquis.
Nec mea nunc aliud, quod mitti dignius eſſet,
Aut tibi plus aptum, Muſa uidebat opus.
Nam modò qui tânta cœpiſti tradere laude,
Veraq́; cœleſtis iuſſa docere patris.
Quid tibi ſperarem gratum magis eſſe futurum?
Quàm tua q̃ noctu uota, dieq́; petunt?
Ipſeq́; in hoc Libani, qui per te paſcitur, almi
Rore ſacro aſpiciar pars quotacunq́ue grege.
Namq́; ita cœleſtis tradis myſteria regni,
Vt tua mens eadem, quæ tua uerba, uelit.

Idq́; tuis optas uotis ante omnia ſolum,
Quò Domini *fructu creſcat ouile pio.*
Non ceu magna ſolet pars, turpi dedita lucro,
Quos leuis ambitio, aut cæca cupido trahit.
Qui Domini *aßiduo uerbum clamore fatigant,*
Et populum ficta relligione mouent.
Aut ſi uita domi qualis ſit, cordaq́; ſpectes,
Et uideas oculis interiora tuis.
Aſpicias omni pollutos crimine mores,
Qui nihil ex toto quod profitentur habent.
Sed uelut ingentes fulgent per templa Coloßi,
Aurataq́; ſolent fronte referre Deos.
Si terga inſpicias multis terebrata cauernis,
Deformes habitant intus araneoli.
Sic illi ficto ſimulant pia pectora uultu,
Intus auaritia, atq́; ambitione tument.
Qui neq́; ſancta Dei *ſolito uenerantur honore,*
Nec puro Domini *iuſſa timore colunt.*
Sed ludum præcepta putant, quæ ſummus ab alto
Pro ſacris homines iußit habere pater.
Dum quoſcunq́; uident aliquo florere fauore,
E medio tacita pellere fraude parant.
Et neq́; ferre pares, neq́; maiores reuereri
Poſſunt, ſed proprio nomine cuncta replent.
Atq́; ipſos turpi deformant ore magiſtros,
Vnde ea, ſi qua ea ſunt, quæ didicêre, tenent.
Nec minus inſano tentantur pectoris æſtu,

Quàm

Quàm Sicula incenſis ignibus Aetna furit.
Vt taceam faſtus, odium, mendacia, fraudes,
Quamq́; putes ſolos hos didiciſſe gulam.
Et fœdo ſermone leues effingere ſcurras,
Et lacerare homines, & lacerare Deum.
Atq; alia, ad populum quæ ceu uulgaria, rident,
Qui quæſtum Domini iuſſa docere putant.
Quæ tamen eſſe ſinam, ceu ſunt, ne raptus in altū
Offendam mentes ſuſpicione pias.
Et uidear, prauos dum uerſibus arguo mores,
Atq; odium iuſtis uelle parare uiris.
Quos quia ſum magno ſemper ueneratuſ amore,
Teq́; etiam in tali, quos amo, cerno grege.
Exiguum munus miſi tibi pauper amicus,
Carmina, ſed ſtudijs carmina digna tuis.
Vt quantum mentes ueneror, deamoq́; fideles,
Indicio donum, quod tibi mitto, foret.
Adde, quòd & magna nobis ex parte fuiſti
Dux operæ, ſtudio ſi qua locata pio eſt.
Namq́; etiam memini quoties mulcere uolebas,
Et mea conſilio corda leuare tuo.
Vnica, dicebas, omnes medicina dolores
Sanat ab æterni quæ uenit ore patris.
Sermo Dei præbet mœſtæ ſolatia menti,
Ille animum curis liberat, ille metu.
Illū inter dubias adhibe (mihi crede) procellas,
Et ueniet rebus mitior aura tuis.

Quod dũ conſiliũ ſequerer, mea carmina cœpi,
Et mea cœleſti dedere uota Deo.
Quiq́; prius ſtudijs iungebam corda prophanis,
Stultitiæ ſcriptor futilis ipſe meæ.
Do tibi ſacra modò diuinæ carmina Muſæ,
Ex Solymo, Latijs, reddita uate, modis.
Quæ ſi fortè minus, ceu ſunt, tibi culta uidentur,
Hoc rebuſq́ue dabis, temporibuſq́ue meis.
Nam ſi læta ſolent animo niſi ducta ſereno
Carmina Pierides ædere nulla deæ:
Hæc quia teſtantur fortunam carmina noſtram,
Rebus eant cultu conueniente meis.

DE

De Lapſu &

REPARATIONE HOMINIS.

TEMPVS *ab hoc luſtris uitæ bis quattuor actis*
Omne fuit Muſæ carmen inane meæ.
Dum ludos hominū, dum res ſine pondere geſtas,
Stultitiamq́; uеho uerſibus ipſe meam.
Nunc grauiora monet uenientis cura ſenectæ,
Et nuper canis tempora ſparſa nouis.
Sat Veneri Bacchoq́ue datū, leuibuſq́ue choreis,
Quæq́ue iuuant breuibus gaudia miſta iocis.
Vlteriora tibi debemus tempora Chriſte,
Tu dux, tu Muſæ portus & aura meæ.
Per te uitali nos ueſcimur hactenus aura,
Per te ſi quis in hoc pectore ſenſus, ineſt.
Tu uires animo, tu præbes lumina menti,
Tu regis arbitrio quod ſumus omne tuo.
Ergò leues Satyri, damnataq́ue numina Fauni,
Et petulans madido cum grege Bacche uale.

Parue uale cum matre puer, laſciue Cupido.
Et quoſcunq; uocat Muſa profana Deos.
Non me Parnaſſi poſthac in colle morari,
Non iuuat Aonias ante ſedere fores.
Nec mihi Pegaſides quatiãt præcordia lymphæ,
Aut de Caſtalijs flumina rapta uadis.
Cedite gentiles, ueniam concedite diui,
Ecce mouet maior pectora noſtra Deus.
At tu ſancte parens mundi ſeruator & author,
Non genito natus de genitore Deus.
Lucida perpetuo qui uerſas ſidera motu,
Qui regis æterna ſæcula cuncta manu.
Reſpice morte tua quondam de morte redẽptos,
Dum luis humanum uictima ſacra nefas.
Et quos effuſi reparaſti morte cruoris,
Hos apud æternum Chriſte tuere patrem.
Nam fuit illa dies, cũm nuper Sole creato,
Lumine fulſerunt terra, poliq; nouo.
Et uaga per cœlum dum fratris ſuſpicit ignes,
Mirata eſt orbes creſcere Luna ſuos.
Errabant uirides animalia cuncta per agros,
Paſcebantq; loco cerua, lupusq; pari.
Non hyemes, non frigus erat, non igne cruento
Torrebat ſterilem Sirius ardor humum.
Sed bona perpetui currebant tempora ueris,
Aureaq; hæc uerè ſæcula lucis erant.
At Pater omnipotens rerum bonitate nouarum

Lætus,

Lætus, ad effectum lumina uertit opus.
Et quis, ait, talis potietur fructibus æui,
Cui dabimus tanti iura tenenda ſoli?
Inueniendus erit noſtra de gente creatus,
Ingenio tantas qui moderetur opes.
Nec mora, de ſumma glebam tellure coactam,
Informat membris, luminibusq; nouis.
Hinc oculos, hinc ille manus, hinc ardua donat
Pectora, & erectis uultibus ire iubet.
Adijcit & mentem qua cætera cuncta gubernet,
Noſcat & è ſummo ſe genus eſſe polo.
Et ne ſolus in hac tantorum luce bonorum
Iret, & inuentas inter egeret opes.
Procreat et ſociam, proprio de corpore ſumptã,
Quæ conſors uitæ, lætitiæq; foret.
Hanc illi thalamo iunxit, propriamq; dicauit,
Iuſsit & innumera prole beare patrem:
Atq; ita compoſiti paſsim per amœna uagantur
Errantes inter, prata nemusq; greges.
Et ſcelerũ impauidi, luſtrant loca quæq; uiarum,
Vernantis domini, fœmina uirq; ſoli.
Sed quantum inſidijs, quãtum petit arte malorũ,
Et ruit in cæcum mens malè cauta nefas?
Hortus erat medio mundi, quo pulchrior alter
Non fuit, omnijugis conſitus arboribus.
Non illi pluuiæ, non ſæua pruina nocebat,
Omniaq; ipſa ſua ſponte ferebat humus.

Hũc homini dederat nato pater almus habendũ,
Et cunctis ueſci, dixerat, inde licet.
Excepto medio pomo quod naſcitur horto,
Hoc, ait, abſtineas, hoc fuge, crimen habet.
At ſecura nouos dum ſpectat fœmina fructus,
Dum luſtrat cupidis omnia luminibus.
Ecce malum ſerpens ramos elapſus in altos,
Arbore de uetita ſic dedit ore ſonos.
Huc ades, huc formoſa, q̃d hos contingere fructus
Nequicq̃ dubitas territa uoce Dei?
An quia perpetua rerum caligine cæcos
Viuere, q̃ ſuperis plus iuuat, eſſe pares.
Aſt hòc in fructu concluſa ſcientia rerum eſt,
Ille malum uobis ſuggeret, ille bonum.
His commota noui coniunx incauta mariti,
Poſthabuit ſummi tradita iuſſa patris.
Et ſimul ipſa recens decerpſit ab arbore pomum,
Heu, mala uenturis neſcia quanta ferat.
Et ſimul adducto blando ſermone marito
Fecit ut & Domini proderet ille fidem.
Ergò ambo, quia iuſſa Patris data contempſerũt,
Et ueſci uetito ſuſtinuere cibo.
Protinus eiecti conceſſi finibus horti,
Et præſtructa noua ianua clauſa ſera eſt.
Atq; ita in exilium damnato corpore pulſi,
Heu nimium terras mox coluêre graues.
Nam neq; ſic placido currebant ſidera cælo

Amplius

Amplius, aut ſegetem læta ferebat humus.
Sed lolium, ſteriliſq́ue filix enata per agros
Miſcebat fibris ſemina culta ſuis.
Ipſe etiam genitor uultu conuerſus amaro,
Nūc grauibus pluuijs, nūc premit arua gelu.
Addit et omnigenos morbos, triſteq́ue ſenectam,
Et longas hyemes, & mala damna famis.
Præcipuè accenſus contempti numinis ira,
Subijcit æternæ corpora cuncta neci.
Hāc neq; noſtra ualent, neq; ſæcula longa priorū
Virtute aut meritis ulla leuare ſuis.
Ac niſi cœleſti ueniſſet origine natus,
Humanum uellet qui reparare genus.
Iampridem cæca totus caligine mundus
Obrutus, æternum uergat in exitium:
Sed tu ſancte Deus, noſtros miſerate labores,
Soluiſti mortis uincula morte tua.
Tu patris è gremio terræ demiſſus in oras
Extinxti humanum ſanguine Chriſte nefas.
Nam noua præmiſsis qui ſæcula uoce præirent,
Qui canerent regni præuia ſigna tui,
Mox ſacer æthereα delapſus ſpiritus arce,
Impleuit partu uiſcera clauſa nouo.
Hinc puer in lucem naſcendi lege nouata
Editus eſt nullo, uirgine matre, uiro.
Ac Deus humana ueſtitus carne, tuliſti
Cenſeri è populo quilibet eſſe tuo.

Mox paſſus, quæcunq; genus mortale ſolemus,
Imbrem, æſtus, hyemes, frigus, & eſuriem.
Præterea & ſæuo cædem intendente tyranno,
In Peluſiacum miſſus ut exul, agrum.
Fatorum poſtquàm ſeries labentibus annis
Venit, & ad metam tempora ducta ſuam,
Innumeris imples totum uirtutibus orbem,
Teq; tuis meritis arguis eſſe Deum.
Nam cæcis oculos reficis, ueſtigia claudis,
Et mutis linguam reddis, & eloquium.
Nec ſolum mentes hominum, uitiataq; purgas
Pectora, & immundo dæmone preſſa leuas.
Verùm etiam uitã reddis iam morte peremptis,
Et reuocas tumulis membra ſepulta ſuis.
Ergò ubi iam totis conſtant tua numina terris,
Et Deus è uero crederis eſſe Deo.
Quò tãdem à ueteri luſtrares crimine mundum,
Firmaretq; Patrum uerba, ſecuta fides.
Ipſe tua crimen factus pro gente, tuliſti
Qualia damnati quantaq; ferre ſolent.
Vtq; olim cæſa ueteri de more ſacerdos
Vel boue, uel uitula, noxia facta luit.
Sic tu ſublimi patiens fera funera ligno,
Pro noxis hominum uictima facta Patri es.
Atq; ita placato genitoris numine magni,
Soluiſti letho, ius necis omne, tuo.
Hinc repetens cæca uinctos ſub nocte parentes,

Effractoq; nigri carceris imperio.
Exiſti ſuperas iterum rediturus in oras,
Tertia dum Phœbo lux redit orta nouo.
Et mox firmatis, quos ſors tibi fecit amicos,
Et iuſsis certa uiuere pace pijs,
Ipſe triumphato uectus ſuper æthera mundo,
Intraſti liquidos regna paterna polos.
Hic cum Patre ſedens per ſæcula cūcta gubernas,
Quicquid habet tellus, quicqd olympus habet.
Ergò quos propria ſeruaſti morte redemptos,
Pro quibus innocuus factus es ipſe, nocens.
Hos apud æternum placabilis aſſere Patrem,
Et tege præſidijs nunc quoq; Chriſte tuis.
Ac gemino amborum uenientem à numine flatū,
Lumine qui reparat pectora, mitte, nouo.
Illius accenſas ardoribus imbue mentes,
Vt uera agnoſcant teq;, Patremq; fide.
Nec tot deficiant inter diſcrimina rerum,
Quæ paſsim cunctos & ſine fine premunt:
Nec metuant ſummam, cum tu iuſtiſsimus, horam
Cenſebis merito fanda, nefanda ſuo.
Sed pariter iuncti concordi fœdere pacis
In te confidant, & tua iuſſa colant.
Per te factorum ueniam de Patre precentur,
Auxilioq; leuent territa corda tuo.
Per te uenturi ſperent noua gaudia mundi,
Cūm ſurgent tumulis corpora uiua ſuis.

Et mox perpetuæ carpentes gaudia uitæ,
Lætentur uultu tempus in omne tuo.

PRECATIO DOMINICA,
Matth. 6.

O Pater, ô rerum ſola, atque æterna poteſtas,
Sub pedibus cuius ſidera clara micant.
Da precor ut ſancto cuncti uenerentur honore
Nomen in hoc toto, quà patet, orbe tuum.
Da quò te uera tandem pietate colentes,
Fiamus regni pars quotacunque tui.
Ac pariter toto cœlo, totumque per orbem,
Cuncta tuo arbitrio conuenienter eant.
Nec non præſenti uictum Pater optime, uitæ
Suffice, & hæc ſolito corpora paſce cibo.
Atq; uti nos alijs, ſic tu commiſſa uiciſsim,
Et noſtrum nobis quæſo remitte nefas.
Nec nos tentari patiaris ab hoſte, nec ultrà
Quàm tolerent uires, pectora noſtra premi.
Sed ſimul à cunctis uitæque animæque periclis
Præſidio fretos ipſe tuere tuo.
Solus enim regnas, ſoli tibi ſumma poteſtas,
Gloriaque in nullos emoritura dies.

SALVTATIO ANGELICA,
Lucæ 1.

O quæ uirgineo peperiſti uiſcere natum,

Plena

Plena patris ſummi numine, mater aue.
Fœlix quæ mundi Dominum, cœloq́ue potentem
Infantem gremio iuſſa fouere tuo.
Sola parens patris, naturæ lege nouata,
Atq; eadem nati filia facta tui.
Quanta tuæ fulget uirtutis fama per orbem?
Quàm uera, & nullo commoritura die.

SYMBOLVM APOSTOLICVM.

PRincipio Patrem cœli terræq́ue potentem,
Ingenitum, æternum credimus eſſe Deum:
Cuius in immenſum patet, & ſine fine poteſtas,
Qui regit, ac paſcit, quicquid ubiq; uides.
Credimus & ſanctum, Chriſti cognomine natum,
Prædictum oraclis, carminibusq́; Deum.
Quem Mariæ clauſa generauit ſpiritus aluo,
Mox hominem peperit neſcia Virgo uiri.
Qui quondam diræ paſſus ludibria mortis,
In cruce pro nobis uictima facta Patri eſt:
Venit & ad Stygios tumulato corpore manes,
Infernaſq́; nouo terruit ore domos.
Mox iterum ſuperas abijt rediuiuus in oras,
Tertia cum Phœbi redderet ora dies.
Firmatiſq́; ſuis, cœlum conſcendit, & altâ
Scandibilem nobis fecit ad aſtra uiam.
Hîc cum Patre ſedens regnat, dum luce ſupremâ
Pro meritis prauos iudicet, atq; bonos.

Tunc cũ flagrantem rapient incendia mundum,
Et ſtabunt tumulis corpora uiua ſuis.
Nec non amborum de numine credimus ortum,
Qui ſuper æquoreas ſpiritus ibat aquas.
Idem qui mentes regat, & conſeruet in æuum,
Chriſti quas eadem iunxit amore fides.
Hinc ueniam culpæ factam, claueſq́ue relictas,
Soluere quæ noxas, quæq́ue ligare queant.
Et reduces animas in corpora, morte ſepulta,
Vltima cum ſummum finiet hora diem.
Ac tandem ſine fine datam per ſæcula uitam,
Gaudiaq́; in tempus mentibus omne pijs.

DECALOGVS, Exod. 20.

TEMPORE *quo Dominus Iudææ*
ſtemmata gentis
Duxit Erythræi per uada ſicca maris.
Pollicitus regni ſedes, atq́; arua beata,
Quæ fluerent lactis, quæq́ue liquore faui.
Conſtitit in celſo Sinæi uertice montis,
Et dedit hæc populis iura tenenda ſuis.
En ego ſum Dominus uerus tuus, inquit, & unus,
Eripui Phario qui tua colla iugo.
Ne tu diuino quenquam uenereris honore,

Me

Me dempto, aut ulli thura preceſq; feras.
Neue tibi ſtatuæ uel eburnea ſigna colantur,
Nõ aurum, aut ſollers quod dedit ulla manus.
Quidqd habet tellus, quidqd mare, quidqd & æ-
Effugiat cultus omne, preceſque tuas. (ther
Nãq; ego ſum Dominus uindex pietatis, et ultor,
Nec patior quenquam nomen habere meum.
Sed mea qui uiolat non æquo numina cultu,
Quærit & externos impius ipſe Deos.
Hunc ego cum natis, & qui naſcentur ab illis,
Supplicio in quartum proſequor uſq; genus.
At me ſi quis amat, ſi quis mea iuſſa capeſsit,
Meque unum uera cum pietate colit.
Hunc ego cum natis, cum longa ſtirpe nepotum
Eueho, & in maius nomen, opeſque fero.
Ergo unum me ritè colas, mihi ritè frequentes
Thuricremos inter, thura, preceſq;, focos.
II. Nec tibi uile puta noſtrum interponere nomen
Verbis, aut titulo fallere dicta meo.
Hũc quoq; enim Dominus pœna multabit acerba,
Ipſo qui tentat frangere teſte fidem.
III. Septimus à ſolito ceſſet tibi quiſq; labore,
Sitq; idem noſtro plenus honore dies.
Nam tibi longa ſatis ſeries conceſſa laborum,
Per ſenos toties continuanda dies.
Septima lux Domino ſacra eſt, operiſq; negata,
Hanc uacuam rebus fœmina uirq; colant.

Nă pater omnipotēs magnū cum conderet orbē,
Digereretq; ſuis prima elementa locis.
Principio ſuperas patefecit lumine ſedes,
Et lucem mundo iuſsit adeſſe nouo.
Mox cœlum uarijs diſtinxit & æthera ſtellis,
Iuſsit & ad certas ire redire uices.
At ſtabilem medio ſuſpendit in aëre terram,
Et folijs ſyluas, gramine texit humum.
Poſt etiam pulchro cum Luna Sole creato,
Annis hinc ſtatuit, menſibus inde modum.
Atq; ita compoſitis, cœlo, terraq;, mariq;,
Has coluit ſedes alite, piſce, feris.
His ſuperimpoſuit madida tellure creatum,
Qui regeret manibus cætera cuncta ſuis.
Atq; hæc per ſenos operum diſtincta labores,
Sex intra abſoluit conditor ille dies.
Septima finitis lux attulit ocia rebus,
Hæc requies Domino eſt, iſta ſacrata Deo.
Quo neq; tu peragas, nec quiſq̃ è plebe tuorum,
Quæcunq; admota ſunt peragenda manu.
Sed ſimul abſtineant liber, ſeruuſq; labore,
Et puer, & domui nata puella tuæ.
Non tibi tunc duro perarctur uomere tellus,
Aut ſemen uerſa ſpargat arator humo.
Non tibi maturas decerpat uinitor uuas,
Condat & in uaſis dulcia muſta nouis.
Ipſe etiam poſitis requieſcat nauita uelis,

Tutaq;

Tutaq; ſtet portu feſſa carina ſuo.
Nec iaculum miles, gladiũ nec ſtringat in hoſtẽ,
Omnia ſint placida pace quieta Deo.
Atq; hæc ſacrarum Domini pars altera legum,
Cultibus hac cauit, numinibusq; ſuis.
Altera quæ ſequitur noſtris eſt condita rebus,
Illa pudicitiam, iuſtitiamq; docet.
IIII. Namq; tuos, addit, qui te genuere parentes,
Ante alios ſummo fac ut honore colas.
Quo tibi fœlici peraguntur tempora curſu,
Annuat & fuſis Parca benigna tuis.
Aruaq; poßideas placida cum pace beata,
Quæ tibi cœleſtis donat habere Pater.
V. Hinc neq; cæde tuam, nec ſanguine pollue dex-(trã,
Sit tibi ab humano pura cruore manus.
VI. Nec thalamos auſis unq̃ temerare iugales,
Aut precio caſtas ſollicitare nurus.
VII. Ipſe tua uiuas contentus ſorte, nec ulla
Fraude mala, aut tacitis rem tibi quære dolis.
VIII. Nec uerbis furare fidem, neq; crimine falſo
Vicini famam, aut opprime facta tui.
IX. Nec ſubeant animos alienæ commoda ſortis,
Aut ea ſint oculis inſidioſa tuis.
X. Sed pariter ſenſus pariter tua cõtrahe uota,
Ne mens externis inhiet ægra bonis.
Siue igitur uideas alienæ coniugis ora,
Seu uideas oculis ſplendida tecta tuis.

Siue quis ingentes perarabit uomere campos,
Condet & immodicis dulcia muſta cadis.
Seu puer aut pulchro ſpectabilis ore puella,
Seruabit Domini *proxima rura ſui.*
Deniq; ſeu pulcher paſcetur taurus in aruo,
Aut nitidi ueniant ſub iuga panda boues.
Quidquid erit cuius precio te uicerit alter,
Abſtineas animos hinc oculosq́; tuos.
Omnis enim praua eſt alieni, crede, cupido,
Quamlibet exigua eſt, hãc fuge, crimen habet.
Sic ait, & geminis hæc omnia ſcripta tabellis,
Propoſuit populis inſpicienda ſuis.
Vt ſi quis pura ſeruaſſet ſingula mente,
Viueret & regni pars foret ille noui.
Sin animo demens uiolaſſet talia cæco,
Ipſe ſua lueret crimina tanta nece.

POENITENTIA, *Matth. 3.*

VIR *fuit antiquo clari de ſanguine Iudæ,*
Zacharia, Solyma natus in urbe, patre.
Nomen Ioannes *erat huic, ſed mater* Eliſſa,
Pontificum ueteri progenerata domo.
Hic contemptor opum, & uitæ ſectator honeſtæ,

Auia

Auia Iudæi rura colebat agri.
Hic ubi Iordanis gemino ſpectabilis ortu,
Deſertos hominum diuidit amne locos.
Veſtis erat pellis rapido detracta camelo,
Cingebat lumbos hiſpida Zona uiri.
Non uino, aut dulci gaudebat munere Bacchi,
Mel erat, & uilis parua locuſta cibus.
Hic igitur Domini diuina concitus aura,
Tingebat liquidis corpora merſa uadis.
Et iußis ueniam ueteris deponere culpæ,
Narrabat Chriſti regna futura noui.
Ad quem tum paßim totis ueniebat ab oris,
Quanta eſt Iudæi tota propago ſoli.
Et quotquot ueteris Solymorum mœnia regis,
Iſaideq́; tuos incoluere domos.
Quos ille acceptos, ueniam noxæq́; rogantes,
Iordanis liquido flumine tinxit aquæ.
Atq; ait, ipſe quidem tingo fluuialibus undis,
Quos ueteris culpæ pœnitet eſſe reos.
At ueniet poſt me longè præſtantior alter,
Filius antiquos editus ante dies.
Cuius ego indignus crepidæ qui uincula ſoluam,
Aut tangam ſacri tegmina ſumma pedis.
Ille inſtauratos æterni numinis aura,
Imbuet, & mentes tinget in igne nouas.
Ille tenet dextra palam, ſcopasq́; ligatas,
Aream ut expurget ſedulus ipſe ſuam.

Et mox triticea ſua reppleat horrea fruge,
Aeterno paleas ſed cremet igne leues.
Quare agite à ueteris ſomno reſipiſcite noxæ,
Quoſq; decet fructus edite quiſq; nouos.
Nec freti Abramo gentis genitore uetuſto,
Iactetis ueſtræ ſtemmata priſca domus.
Namq; poteſt Dominus de quouis, credite, ſaxo
Abramo ſobolem progenerare nouam.
Atq; adeo in dura iam ſtat radice ſecuris,
Amputet ut uanas arboris illa comas.
Ergo ni fructus faciat, quos conuenit, arbor,
Reppleat & dulci fertilitate ſolum.
Protinus icta cadet, totaq; à ſtirpe reciſa,
Addetur ſtructis igne cremanda focis.

ABSOLVTIO, Ioan. 20.

TEMPVS *erat liquidas quo Sol feſtinat in undas,*
Illa quæ ſequitur ſabbata prima dies.
Diſcipuloſq; recens factæ formidine cladis
Seruabat tacitæ ianua clauſa domus.
Dum metuunt Solymæ fraudes & uincula gẽtis,
Scribarumq; malos, Pontificumq; dolos.
Ecce uenit, ſocijs tum primum uiſus, Ieſus,

Mortis

Mortis ut indomitas morte reſoluit opes.
Atq; aulæ in medio foribus ſtans undiq; clauſis,
Pace ſalutatos iuſsit auere ſua.
Hinc manuum plagas, inquit, ſpectate mearum,
Et nuper lateri uulnera facta meo.
Nec uos terrifico deludi credite ſpectro,
Idem ego ſum ueſter qui modo ductor eram.
Aſt illis Domino ſoluuntur pectora uiſo,
Et plauſu complent atria tota ſuo.
Ad quos tum placidis iterum ſermonibus infit,
Pace ſalutatos ſed tamen antè ſua.
Vt Pater omnipotens cœlo me miſit ab alto,
Et iuſsit regni pacta docere noui.
Sic ego nunc totum uos hinc emitto per orbem,
Nota eadem ut fiant omnibus illa locis.
Ergò iter ad ſuperas quà ſit remeabile ſedes
Eloquio & factis notificate pijs.
Iuſticiamq; homines, & fœdera ſancta docete,
Sit genus ut conſors muneris omne mei.
Sic fatus, uultus illorum afflauit, & ora,
Numinis & partem iuſsit habere ſui.
Atq; ait, afflatu repleti pectora ſancto,
Ite, Deus quò uos & mea fata uocant.
Quorumcunq; nefas ſoluetis & improba facta,
Soluentur nexu criminibusq; ſuis.
At quorum noxas Stygio damnabitis igni,
Hos manet æternæ pœna luenda necis.

BAPTISMVS, *Marci ultimo.*

AT Dominus poſtquam deuicta morte reſurgens,
Exhibuit ſocijs corpora uiua ſuis.
Illi ut erant iuſsi Galilæa per arua ſecuti,
In tumuli certo ſe tenuere iugo.
Ad quos tunc idē poſt tempora pauca reuerſus,
In medio noti conſtitit orbe gregis.
Pars igitur Domini conſpecto protinus ore,
In terram flexo procubuere genu.
Pars dubitant, an uera uident, animoq; pauētes,
Ad Domini ſubitos obſtupuere gradus.
Quos ille accedens propius, ſaluereq; iuſsis,
Diuino tales edidit ore ſonos.
Tradita tota mihi eſt cœli terræq; poteſtas,
Imperioq; iacent ſubdita cuncta meo.
Vos igitur terras hinc nunc exite per omnes,
Quos Sol Eous, quos uidet Heſperius.
Atq; ea quæ primo de me dediciſtis ab æuo,
Quæq; pater uoluit ſancta tenere ſuos:
Illa docete omnes nullo diſcrimine gentes,
Expers ne noſtri nominis ullus eat.
Et pariter liquida merſantes corpora lympha,
Abluite antiqui criminis omne nefas.

Quo patris & nati nomen, flatuſq; profeßi,
Accipiant uitæ myſtica dona nouæ.
Nam cuicunq; aderit noſtri fiducia regni,
Credat ut eloquijs pollicitiſq; meis.
Et memor antiqui ſceleris, noxamq; peroſus,
Abluet in uitam corpora merſa nouam.
Hic patrias inter capiet noua gaudia ſedes,
Viuet & æthereis pars ſocianda choris.
At qui damnati repetet ueſtigia mundi,
Nec dabit hanc nobis, quam decet eſſe, fidem.
Illius æterna damnantur corpora nocte,
Incolet & Stygios tempus in omne lacus.

EVCHARISTIA, *1.Corinth.11.*

Veſper erat, ſummamq; dies exegerat horam,
Funera qui Domini proximus ante fuit.
Conuenere loco patrio de more parato,
Quos uitæ ſocios legerat ille ſuæ.
Quáq; olim Phariæ fugerunt uincula gentis
Inter Erythræi ſtantia dorſa maris.
Hanc epulis celebrant lucem, cæſaq; bidente
Imponunt tepidis oſſa cremanda focis.
Et iam finis erat, Dominus cũ lege peracta

Accepit manibus farrea liba ſuis.
Et ſolita, in medium, genitorem uoce precatus
Fregit, & hos ſacro protulit ore ſonos.
Accipite, ô ſocij fidiſsima pectora, noſtri.
Atq; edite, hæc manibus fercula prōpta meis.
Corpus nāq; meū, pro uobis quod datur, hoc eſt,
Hoc facite, & caſus commemorate meos.
Mox idem abſumptis epulis, menſaq́; remota,
Accepit ſacra pocula plena manu.
Atq; ait, en noſtri ſunt hæc noua fœdera regni,
Sanguineq́; & letho conſtabilita meo.
Hinc bibite & noſtros pariter memorate labo=
Et quæ pro ueſtra probra ſalute tuli. (res,
Sitq́; ea perpetuo noſtris lex addita pactis,
Hæcq́; eadem obſignet fœdera noſtra nota.
Vt quoties huius carpetis fragmina panis,
Et quoties huius pocula ſacra meri.
Vos toties Domini lethum celebretis, & illam
Veſtram quæ propria uictima morte luit.
Donec ad extremam uoluentur ſingula lucem,
Et claudet ſummos ultima meta dies.
Ipſeq́; de cœlo deſcendens arbiter alto,
Digna malis reddet præmia, digna bonis.

SVMMA LEGIS,
Matth. 22.

TVRBA

TVRBA *fuit Solymas quondam memorata per urbes,*
Duritia uitæ, & relligione potens.
Quam patria ciues Phariſæam uoce uocabant,
Diſsimilem reliquis ueſte, ciboq́;, uiris.
Hinc quidam exortus morum, legiſq́; peritus,
Atq; idem in tota maxima fama ſchola.
Tentandi ſtudio Dominum rogat, atq; Magiſter,
Quæ tibi nam legum ſumma uidetur? ait.
Aſt hic, cunctarũ quam quæris maxima legũ eſt,
Quæ iubet ex toto pectore amare Deum.
Quæ iubet ut cunctos animi cordiſq́; labores,
Vnius impendas huius in officia.
Huic omnis ſenſus, huic omnis pareat ætas,
Huic quantum eſt uitæ ſeruiat omne tuæ.
Nec tua ab illius diſcedat uerſa uoluntas,
Nec fieri quidquam, quod uetet ille, uelis.
Deniq; & ingenij uires, mentiſq́; poteſtas
Omnis ad illius ſe paret arbitrium.
Hæc, inquã, prima & reliquarũ maxima lex eſt,
Sinæis uiua prodita uoce iugis.
Proxima, quã longo ſequitur ſed proxima paſſu,
Lædere uicinum qua prohibêre tuum.
Quæ iubet ut cunctos æquo dignêre fauore,
Ceu tibi quiſq; homines proximus inter erit.

Nec temere aut factis lædas aut uocibus ullum,
Sed facias alijs quæ tibi facta uelis.
Legibus his etenim conſtat doctrina duabus,
Quanta eſt Moſaicis tradita tota libris.
Hucq; etiam uatum ſpectant monumenta priorũ,
Quotquot adhuc æui res cecinere ſacras.

SVMMA EVANGELII,
Ioan. 3. & 6.

HAEC autẽ Patris eſt uera, atq; æterna uoluntas,
Qui me ſiderei miſit ab arce poli.
Vt quicunq; uidet natum, & creditq; per illum
Sublatum ueteris crimen, onuſq; mali.
Viuat, & æternos æuum perducat in annos,
Liber ab æternæ conditione necis.
Et cum ſumma dies extremam finiet horam,
Mutabuntq; ſuas, terra fretumq; uices.
Ipſe ego ſopitos placida de morte reſoluam,
Et ſtatuam tumulis corpora uiua ſuis.
Atq; ut Erythræis Moſes in uallibus anguem
Sublimem in celſam ſuſtulit ante crucem,
Sic modo in humana, natum de uirgine, carne,
Suſpendi è ligno fata, Deuſq; iubent.

Quo quicunq; illi totum ſe credit, & omni
Illius æterno pendet ab arbitrio.
Nec mala uenturi metuat diſcrimina lethi,
Nec gemat igniferæ gurgite merſus aquæ.
Sed peragat lætæ fœlicia tempora uitæ,
Cumq́; animis carpat gaudia parta pijs.
Nam pater omnipotẽs mundũ ſic æquus amauit,
Sic hominum ſemper fouit amore genus.
Mitteret ut natum, qui ſolus & unicus illi,
Aeterno conſors degit in Imperio.
Qui ſibi confiſis, ac tradita iuſſa ſecutis
Exueret Stygiæ uincula dura necis.
Regnaq́; firmaret nullum moritura per æuum,
Lactea quâ geminos diuidit ora polos.

PRECATIO AD DEVM PATREM.

AT tu Diue Pater qui celſi culmina mundî,
Qui regis imperio cuncta creata tuo.
Da tandem ſtabilem mentem, da ſobria uota,
Et certo hæc firma pectora conſilio.
Namq; uelut nauis nullo moderante magiſtro,
Huc, illuc, quouis pellitur acta Noto.
Sic miſer ipſe feror, naue incoſtanntior omni,
Hei mihi, & incertus ſpeq́; metuq́; premor.
Hinc uxor, natiq́; trahunt, notiq́; penates,

Atq; propinquorum non maleſida manus.
Illinc ingenium rapit, atq; innata camœna,
Et modico ſpacio cura gerenda minor.
Quæq; animū ſtimulāt aliorum exēpla iacentē,
Et maior celebri fama paranda loco.
Et quod præcipuum eſt, ſtudiorum turba meorū,
Quæ mea non fama ſed ratione probat.
Hei mihi cur uno uideo tot tempore portus,
Nec uideo curſu quem ſequar ipſe meo?
Cur mihi iudicium deſit, ratioq; petendi,
Et mens tot certas fluctuat inter opes?
Alme Pater, uera qui proſpicis omnia mente,
Quiq́ue ortus rerum, quiq́ue uides obitus.
Qui ſcis uenturi quidquid fert temporis hora,
Quæ bona ſint homini, quæq́ue futura mala.
Reſpice nos manuum quondam figmenta tuarū,
Reſpice quos regni ſpe trahis ipſe tui.
Et tādem in ſtabilem, tibi qui placet, optime portum
Alite fac ſubeat noſtra carina bono.
Sic tua cœleſtes uenerentur numina mentes,
Sic tua mortales tradita iuſſa colant.

ALIA PRECATIO AD DEum Patrem pro auertenda peſte.

ERgo iterū indomito graſſatur Parca furore,
Et rapit hinc iuuenes, et rapit inde ſenes?

Nec

Nec ſuper ulla fugæ ſpes, aut ſuper ulla ſalutis,
Atq; iiſdem premitur diues, egensq; malis.
Fruſtra Theriaci ſumuntur Pharmaca ſucci,
Fruſtra eſt Armenij nota medela luti.
Nec Mithridacei proſunt decocta ueneni,
Nec ſolitæ ueteris pyxides Andromachi.
Quin artes ſuperat morbi inclementia cunctas,
Et trahit inſolitis obuia quæq; modis.
Nempe iſtud noſtræ meruerunt crimina uitæ,
Penſat & admiſſum debita pœna nefas.
Nam quid non facimus, quid non audemus iniqui?
Vita eſt omnigenis noxia noſtra malis.
Impius hic aris libat ſua uota prophanis,
Et facit ex ligno quolibet eſſe Deum.
Alter adulterijs totam contaminat urbem,
Nulla illi mulier, nulla puella ſat eſt.
Defraudant alij uiduas, inopesq; colonos,
Inuaduntq; dolis arua aliena ſuis.
Nil tutum ſupereſt uſquàm, genus omne malorũ
Conſequimur, noſtrum uertimus inq; caput.
Sed tu magne Pater, qui cœli ſidera torques,
Qui quod fit toto conſpicis omne ſolo.
Da ueniam miſeris, & quæ malè geſſimus ipſi,
Illa tua clemens pro bonitate leua.
Namq; aliud quidnã ſumus, aut quæ gratia noſtri (eſt,
Quàm q̃ opus dextræ nos ſumus, Alme, tuæ.
Autorem te primus Adam, te noſcitat Heua,

Et quanta eſt hominum cætera progenies.
Ergo parens generis, genitor miſerere tuorum,
Et nos à ſubita morte tuere Deus.
Afflictosq; animos cruciataq; reſpice corda,
Quæ miſerè anticipat ſæua gehenna metu:
Ac uelut Amaridæ precibus placatus Achabi,
Feciſti Syrios uertere terga duces.
Et uelut antiqui ſeruaſti mœnia Nini,
Dum propriũ agnoſcunt ſupplice corde nefas:
Sic placido, qui te ueneramur, ſuſcipe uultu,
Et populo facilis nunc quoq; parce tuo.
Per, te qui fuſo placauit ſanguine, natum,
Per genitum caſta uirgine matre Deum.

AD DEVM PATREM DE- *precatio pro peccatis.*

NE quæſo indueris, ne quæſo ſumme creator,
In famulos unquam iudicis ora tuos.
Neue ea quæ iuuenes deliquimus, & malè cauti,
Tecum etiam memori uoluere mente uelis.
Sed ceu nota tua, & miſerendi larga poteſtas,
Soli cui totum quod ſumus hoc ferimus.
Reſpice nos miſeros manuum figmenta tuarum,
Et ueniam ſeruis da pater alme tuis.
Nam ſi iudicio ſiſtas, pœnamq; repoſcas,
Hei mihi, tot pœnis quis ſatis unus erit.

AD

AD EVNDEM PRO PACE.

TEmporibus pacem dona Pater optime no- (ſtris,
Et prohibe à populo bella minaſq; tuo.
Nec ſine ut infeſto miſeri pereamus ab hoſte,
Noſtraúe nunc laceret bellicus arua furor.
Numine quo freti ſancto genitiq;, tuoq;,
Seruemus pacti iura fidemq; tui.
Et patrios inter gaudentes pace penates,
Fungamur uitæ munere quiſq; ſuæ.
Nam niſi tu curam noſtri ſuſceperis æui,
Armaq; pro populo geſſeris ipſe tuo.
Nemo alius ſupereſt, q̃ tẽpora noſtra gubernet,
Aut nos à Stygij liberet ore canis.

AD EVNDEM PRECATIO.

DVM medio uitam ſecuri ducimus æuo,
Et placido lætos pax fouet alma ſinu.
Ante pedes aſtat rapida mors improba falce,
Quæ tradat celeri corpora noſtra neci.
Quanq̃ igitur noſtrũ ſcelus & peccata meretur
Supplicium, atq; iram conditor alme tuam.
Pace tua tamen, & freti bonitate paterna,
Imploramus opem ſupplice uoce tuam.
Quare age ſumme Pater, fortis Deus atq; perẽ-
Et letho Chriſti conciliate tui. (nis,

Da ueniam miſeris, precibus placare piorum,
Et populum à ſæua peſte tuere tuum.

PRECATIO AD CHRISTVM.

CHRISTE Patris ſummi uera atq; æterna propago,
Venturum uates quem cecinere Deum.
Quem domus Iſacidæ quem natus uidit Ieſſe,
Quem Daniel regno captus in Aßyrio.
Mox ueniens clauſo generauit ſpiritus aluo,
Et peperit nullo tacta puella uiro.
Idem qui noſtros indutus carne labores
Senſiſti, hinc æſtum, hinc exitiale gelu.
Et pro peccatis ſuſpenſus es hoſtia mundi,
Funere dum redimis funera noſtra tuo.
Hinc ſuperas iterum ſurgens rediuiuus in oras,
Tertia cum rutilo fulſit in orbe dies.
Duxiſti lætos deuicta morte triumphos,
Victrici referens ſigna reuulſa manu.
Ac tandem magna uolitãs ſuper æthera pompa,
Thesbiius ut quondam raptus in igne ſenex.
Eſſe iter ad placidum nobis remeabile Patrem,
Facto oſtendiſti filius ipſe tuo.
Da precor ut uero te complectamur amore,
Excitet & flatus pectora noſtra tuus.
Quo te credentes uitæ Dominumq; Deumq;,
Extra

Extra quem nec ſpes, nec ſuper ulla ſalus.
Tecum ijdem reduces ſomno ſurgamus ab alto,
Cùm dabit horrendos buccina rauca ſonos.
Placatumq́; Patrem, & cœlos uideamus apertos,
Inter fœlices pars numeranda choros.
Tunc cum defuncti repetent ſua corpora manes,
Vltimaq́; extremum finiet hora diem.
Sic tua per cunctas crebreſcant numina terras,
Quâ Sol Eous lucet, & Heſperius.
Sic tua perpetua celebret præconia laude,
Humanumq́; genus cœlicolûmq́; genus.

PRECATIO AD CHRISTVM.

SIC *tua cœleſtes metuant ſic numina manes,*
Sic celebrent omnes nomen ubiq; tuum.
Aſpice ut in dubijs uerſemur Chriſte periclis,
Imminet, atq; omni nititur hoſtis ope.
Nam ſua quando iterum credit ſe poſſe parare
Imperia, & priſca ſceptra tenere manu.
Quos non ille dolos, quàs non excogitat arteſ?
Aut quod non animo concipit ille malum?
Illic in medijs committit prælia campis,
Hîc laqueos tacita callidus arte premit.
Et quocunq; etiam referas oculosq́; pedesúe,
Inſtat & aduerſas occupat ante uias.
Lumina nec ſomnum capiunt, nec mēbra quietē,

Ille, malum; noctes excubat, ille dies.
Nec ſecus ac pelago ſi qua eſt ſine remige puppis
Fertur, & emiſſis fit noua præda Notis.
Sic tua progenies nullo prohibente uagamur,
In nos certatim uentus & unda ruunt.
Ah bene ſub priſcis currebant patribus anni,
Cum genus in uerbo credidit omne tuo.
Tunc neq; diuitiæ, neq; amor regnabat habendi,
Parebant uni pectora ſancta Deo.
Hoſtis erat tenuis, raraq; ad prælia uires,
Tranquilla quiuis pace quietus erat.
Nunc malè cum longis perierunt omnia ſæclis,
Spreta iacet pietas, ſpreta iacetq; fides.
Nũc pudet eſſe bonos, nũc eſt malè uiuere uirtus,
Nunc quidquid facias turpiter, omne decet.
Scilicet hæc rerum ſeries, ea gloria mundi eſt,
Hei mihi, quis finis temporis huius erit?
Atq; ea cum ſpectat, qui nobis imminet hoſtis,
Ocia quæ lentum ducere poſſe putem?
Concipit imperium, & regni ſibi firmat habenas,
Inhiat & prædæ, ceu lupus, ille ſuæ.
Forſitan & merito patimur nunc omnia noſtro,
Et ueniunt factis præmia digna ſuis.
Sed tu cui cœlum, cui pontus, & æthera ſeruit,
Arbitrio cuius menſis, & annus eunt.
Aſpice nos oculis (quibus aſpicis omnia) blandis,
Et nos è tantis erue Christe malis.

Aſſere nam penes eſt te ſolum cuncta poteſtas,
Aſſere nate Patris uindice iuſſa manu.
Ipſe uides hoſtis quas cogat ad arma cohortes,
Has niſi tu uincas uincere nemo poteſt.
Ergo fer auxilium, & tandem res excipe feſſas;
Quaſſatis pelago portus & aura ueni.

ALIA AD EVNDEM.

Ieſu creator omnium
Mortalium & uiuentium,
Qui pro reatu innoxius
Noſtro dediſti ſanguinem,
Et corpus humanum tibi
Sumpſiſti, ut eſſemus pares
Tecum in tui regno Patris
Lucis cohæredes nouæ.
Da mitis obſecro Deus
Ne noſtra nos præceps ruant
Commiſſa malè ſub tartara,
Vbi nos dolor perennis, &
Cruciatus æternus manet.
Vbi perpetua mors imperat,
Et dira regna poßidet.

IN NATALEM CHRISTI

FERuida iam ſummo conſiſtit uertice bruma,
Et reuocat gelidas uerſus Apollo uias.
Incipiunt ſacri Iani properare calendæ,
Dicite Io patres, dicite Io pueri.
Ecce iterum magni cœlo natalis Ieſu
Voluitur è niueis lux memoranda notis.
Illa dies alto uidit deſcendere cœlo
Vita pro noſtra qui moriturus erat.
Illa dies hominem uidit de uirgine naſci,
Qui regit has terras, qui regit aſtra, Deum.
Salue feſta dies, omnem celebranda per orbem,
Sidera dum cœlum, dum uehit amnis aquas.
At tu ſancte puer, hominum ſeruator & author,
Reſpice ſeruatos ſanguine Chriſte tuo.
Ac nos, qui trahimur per tot diſcrimina rerum,
Aſpice, & in tantis auxiliare malis.
Vndiq; nos tentat, nos undiq; territat hoſtis,
Quò non perueniat, nullus in orbe locus.
Omnibus ille dolis, atq; omni nititur arte,
Ille potens fraude eſt, uiribus ille potens.
Nulla ſalus miſeris, tu ſola atq; unica ſpes es,
Ad te confugimus, fer miſeratus opem.
Per, te qui talem nobis genuere parentes,
Per, quibus exempti, uulnera, morte ſumus.
Da noſtris animis pacem, da Chriſte quietem,
Noſtraq; tranquillo numine corda regas.

PRECA-

PRECATIO AD SPIRItum ſanctum.

Spiritus alme parens triplicis pars tertia regni,
Qui noua ſediſti fonte columba ſacro.
Tunc cum ſe tingi uoluit Iordanis in amne,
Quem genitum è ſumma miſerat arce Pater.
Huc ades atq; animis clemens illabere noſtris,
Et renoua accenſos luminis igne tui.
Quo uelut omnigenæ linguarum munere gentes
Vnanimi per te conualuere fide.
Sic nos unanimi ſociati pectora pace,
Noſcamus ueri nomen opusq; Dei.

IDEM ALITER.

Alme ſator rerum, diuini numinis aura,
Qui ſuper æquoreas uolitaſti ſpiritus undas,
A Patre & genito ueniens æquæua poteſtas,
Huc ades, & noſtras diuino lumine mentes
Accenſas renoua, & flammis cœleſtibus imple,
Numine ut afflati ſupero, natumq; Patremq;
Per te noſcentes, animo credente colamus.
Languidaq; æthereа firmemus pectora pace,
Ceu quondam toto diuiſas orbe, mariq;,
Imbutasque nouo fidei melioris amore,
Linguarum obſequio gentes in regna uocaſti.

PRECATIO MATVTINA.

CHriſte potẽs rerũ, melioris conditor æui,
Qui mundo lucem ſufficis, atq; diem.
Accipe nos tenebris iterum, ſomnoq; ſolu
tos,
Et ſolo incolumes numine ſancte tuo.
Vtq; diem pulſa cæcæ caligine noctis,
Excipiunt orto lumina ſole noua.
Sic tenebras animi, ſic nubila diſcute mentis,
Pectoraq; illuſtra lumine noſtra tuo.

PRECATIO VESPERTINA.

ALme parẽs hoĩm, cui rerũ ſumma poteſtas,
Qui miſeros noctu nos tegis, atq; die.
Reſpice quos cæcis operit nox atra tenebris,
Quosq; iterum dubiæ mortis imago premit.
Et nos pacato facias requieſcere ſomno,
Tutaq; præſidio membra leuare tuo.
Quo ſimul à tenebris liceat nos atq; periclis,
Incolumes reducem mane uidere diem.

ANTE CIBVM PRECATIO.

OMnia qui paſcis, quæ totus continet orbis,
Qui paſcis modico millia multa cibo.
Reſpice nos Pater, & quibus hic te dãte fruemur,
His

His benedic epulis, muneribusq́; tuis.
Vt tua quæ totum ſœcundat gratia mundum,
Nos eadem famulos recreet illa tuos.

ALITER.

Omnia qui paſcis quæ totus continet orbis,
Aſpice, & hæc famulis annue dona tuis.
Vt quibus hîc iterũ fragiles reparabimus artus,
Sumamus grata uina dapesq́; manu.

POST CIBVM PRECATIO.

Corpora qui ſolito reparaſti noſtra cibatu,
Grates alme tibi ſoluimus ore Pater.
Teq́; tui famuli, qua fas eſt uoce precamur,
Paſce idem uerbo pectora noſtra tuo.
Vt pariter membris ægra cum mente refectis,
Fungamur proprio quiſq; miniſterio.
Atq; hinc præſentis uitæ poſt fata peracta,
Carpamus tecum gaudia parta pijs.

ALITER.

Corpora qui ſolito pauiſti noſtra cibatu,
Paſce Pater uerbo pectora feſſa tuo.
Quo tua nos olim liceat ſuper æthera uectos,
Inter cœleſtes ora uidere choros.

SEQVVNTVR PSALMI ALIQVOT DAVIDIS COMPOSITI.

PSALMVS I. *Beatus uir.*

FOElices hominum quos fœdera nulla malorum,
Nulla dolo ſociāt pectora plena malo.
Nec mala peccantis perdunt conſortia turbæ,
Vitaq́ue cum uanis turpiter acta uiris.
Impiaúe oblectant tacitæ ludibria ſannæ,
Cùm ſummum lacerant ora proterua Deum:
Sed Domini puro qui ſeruant pectore legem,
Et mandata Dei nocte dieq́ue colunt.
Qualis enim placido flauentis Iordanis amni
Conſita, fœcundis eminet arbor agris:
Et ramis latè ſpargit frondentibus umbras,
Et ſolito fructum tempore læta refert.
Talis erit Domini quiſquis mandata ſequetur.,
Et quæret ſummi noſcere iuſſa Patris.
Huic Dominus curſum facilis moderabitur oēm,
Diriget & placidis uela ſecunda Notis.
At ſi quis uano rerum ſeductus amore
Deſpicit æterni ſceptra uerenda Iouis.

Non

Non ille aſpiciet fortunæ tempora læta,
Nec rebus cernet fata benigna ſuis.
Sed ueluti puluis quem magno turbine uenti
Corripiunt, ſparſus tota per arua cadit.
Sic ruet, & uano fretus molimine rerum
Concidet, & terræ uile iacebit onus.
Et nec honore ullo dignus, neq; nomine certo
Sanctorum populos inter habendus erit.
Nec ueniet, ſedes ubi conſociata piorum
Dulcia perpetuæ gaudia pacis habet.
Nam Dominus greſſum nouitq; regitq; bonorum,
At ſceleratorum ſponte peribit opus.

PSALMVS 2. *Quare fremuerunt gentes, &c.*

CVr uideo tanto gentes concurrere motu?
Vanaq; conſilijs condere pacta nouis?
Cur properant reges & magnæ culmina terræ?
Indicuntq; diem, conciliumq; uocant?
Scilicet æthereum libet expugnare tonantem,
Et Chriſtum regni pellere iure ſui.
At non efficient, & ſpes cadit irrita cœpti,
Compoſitiq; ruent uincula rupta iugi.
Nam Pater excelſi qui regna gubernat Olympi,
Aeterna cuius cuncta mouentur ope.
Ille hominum ex alto ridet conſulta malorum,

Et firmata malis irrita pacta dolis.
Quin etiam iuſta ſi ſors exarſerit ira,
Concitaq; ad ſtultos uerterit ora uiros.
Cuncta ſuis regum turbabit fœdera dictis,
Deſtruet & uultus illa furore ſui.
Tunc etiam ueterum repetens præſagia uatum,
Nulla meum reuocant fœdera, dicet, opus.
Ipſe ego conſului qui regna futura gubernet,
Qui ſtatuat ſancta ſigna Sione mea.
Hic genus à noſtra deducet origine natus,
Regnantis cœlo ſancta propago Dei.
Spiritus in cuius noſter uerſabitur ore,
Edoceat rectos ut mea iuſſa uiros.
Regnaq; fœlici repetant cœleſtia greſſu,
Quos hominis quondam depulit inde nefas.
Hunc & ab extremo populus ſectabitur orbe,
Quàm latè radios ſpargit Apollo ſuos.
Hunc etiam metuet regum firmata poteſtas,
Quàm longè curſum Rhenus & Indus habent.
Ipſe fame, bellisq; premet crudelibus hoſtes,
Lethaliq; dabit corpora tabe neci.
Ac uelut olla leui figulus quam fecerat arte,
Contactu lapidis quolibet icta ruit.
Sic etiam modica proſtratus corruet hora,
Quiſquis uenturo mouerit arma Duci.
Quo uos qui latè geritis moderamina terræ,
Qui populos ueſtro cogitis imperio.

Aeterni

Aeterni memores Domini ſeruate timorem,
Diuinoqúe leues ſpes cohibete metu.
Ac date uenturo laudum ſua præmia Chriſto,
Et pia naſcenti munera ferte Deo.
Ne laſciua ſuo diſperdat corda furore,
Et ſpes ueſtrarum concidat omnis opum.
Nam ſolet hic ſubito uultum mutare calore,
Fulmina cumq́; times nulla, repente iacit.
Fœlices animæ quibus eſt ſpes omnis in illo,
Quas aliunde ſalus nulla petita iuuat.

PSALMVS 3. Domine quid multiplicati ſunt, &c.

CVr tua, ſumme Pater, tā lōgè dextera ceſſat?
Cur hoſtes ullo me ſine fine premunt?
Aſpice quot paßim conſurgunt millia, uitæ
Qui tendunt laqueos, inſidiasq́; meæ.
Spicula qui torquent, & uincula ſæua minantur,
Et requiem nulla ducere parte ſinunt.
Nec deſit duro qui ſe temerarius ore
Opponens, animæ ſpes, ait, ecce tuæ.
Ecce ſalus magni, quam iactas uane, tonantis,
Quàm cito, cui credis te, tibi miſit opem?
Et tamen haud alius noſtras depellere curas,
Aut mala, te dempto, noſtra leuare poteſt.
Tu decus humanis, tu ſpes, tu gloria, rebus,

Solamen capitis præſidiumq́; mei.
Tu placidè exaudis ſancto de monte precantem,
Auxiliumq́; ſuo tempore mite refers.
Tu recipis lapſos, & corda dolore ſepulta
Erigis, atq; hominum pectora feſſa leuas.
Non igitur metuam populorum mille cateruas,
Quæ ueniant animæ noxia ferre meæ.
Dũ modo tu ſaluũ facis, & Pater optime ſeruas,
Nam te qui poßit uincere, nullus erit.
Sed quicunq; tuum cupierunt perdere ſeruum,
Aut huic occulta fraude parare necem.
Illorum per te cecidere oppreſſa ruinis
Corpora, & incœpto ſuccubuere ſuo.
Namq́; ſalus Domino proficiſcitur omnis ab uno,
Solus hic incolumem, quem uolet eſſe, facit.
Hunc metuat ſi quis pacatam ducere uitam,
Et rebus cupiat fata benigna ſuis.

PSALMVS 4. *Cum inuocarem.*

SI mea non uanis anguntur pectora curis,
Nec metus ex nihilo quo premor iſte uenit.
Aſpice & ad noſtras oculos aduerte querelas,
Exaudiq́; meas conditor alme preces.
Nec ſine quo noſtras dum gẽs uidet impia clades,
Quæ patimur, iuſtè nos putet illa pati.
Solus enim tacitæ ſpectas abſcondita mentis,

Atq;

Atq; bonos inter diſpicis atq; malos.
Qui curſus hominumq; regis, uitamq; gubernas,
Noſtraq; iudicio corrigis acta tuo.
Nam quoties ſæuos tempeſtas impulit Auſtros,
Et laceram quaſſant uentus, & unda ratem.
Antè quoq; auxilium facilis præbere ſolebas,
Atq; aliquam miſeris addere rebus opem.
Quo nunc alme uelis Pater exaudire precātem,
Atq; referre oculos ad mea uota tuos.
Diuitias igitur qui latè quæritis orbis,
Quo ſpes magnarum ducit inanis opum.
Ne mea iudicio damnetis pectora ueſtro,
Si qua oppreſſa, graui triſtia ſorte ferunt.
Hinc etenim noſtris accedit gloria rebus,
Atq; hac à Domino corda probantur ope.
Qui quo plus hominum fauet, attenditq; ſaluti,
Pluribus hoc uexat pectora noſtra malis.
Qui quoniā, mundi retinet quos uana uoluptas,
Rident, pro meritis damna uenire putant.
Ac ſibi dum quærunt tranquillæ commoda uitæ,
Aes, aurum, ſeruos, arua, domoſq; parant.
Atq; his conſpicui, procurant gaudia uentris,
Hic deus, hæc illis eſtque manetque ſalus.
Cum Pater interea qui cœli præſidet arci,
Miris exercet pectora ſancta modis.
Et modò peſte grauat, modò ſæuo territat hoſte,
Aut dira cruciat corpora noſtra fame.

Atq; alijs onerat, quorum pars plurima, damnis
Quæue premant animos, corpora quæue pre(mant.
Scilicet ut moneat, ſe ſolum poſſe iuuare,
Omnia ſeq; ſua uertere fata manu.
Auxiliumq; ſuæ doceat nos quærere dextræ,
Atq; ſuæ tantum fidere ſemper ope.
Cernit enim, uitamq; hominũ miſeratur egentẽ,
Et noſtras lachrymas inſpicit, atq; preces.
Quo uos quos urget grauibus fortuna procellis,
Aequo, quæ fertis, pectore ferte mala.
Nec Domino quiſquam ſuccenſeat, aut mea dicat
Ecce ſalus nulla eſt, nec mouet iſta Deus.
Sed tacito ſperate animo, finemq; laborum
Credite, qui noſtras ſpes facit, ille dabit.
Nam Pater ex alto qui cuncta tuetur Olympo,
Idem hominum curas ſubleuat, atq; facit.
Quaſq; probat mentes aliquo diſcrimine tentat,
Et ſinit aduerſa conditione premi.
Non tamẽ ut perdat, ſed ut ocia nulla relinquat,
Altior, & lapſos firmet, agatq; fides.
Quo decet hanc oẽm Domino permittere laudẽ,
Et ſua cœleſti cedere iura Deo.
Noſtraq; diuino committere uota parenti,
Omnis ut illius res eat arbitrio.
Sed tamẽ unde animo ueniat ſpes tã bona, dices,
Pectora quæ ſolito liberet ægra metu?
Summa mihi præſtat Domini ſolatia ſermo,

Erigit

Erigit ille animos, feſſaq; corda leuat.
Mulcet & affectas longo diſcrimine mentes,
Et tutos quamuis per mala multa facit.
Dumq; alij ſpectant flauentis munera ſpicæ,
Et Cereris cumulant horrea plena nouæ.
Vinaq; ſpumanti laudant manantia prælo,
Et curant omni gaudia uentris ope.
Me dubias inter tutabitur ille procellas,
Et teget in medijs pectora noſtra malis.
Sermo Dei præſens rerum tutela mearum eſt,
Ille mihi cœli ſpem facit, ille fidem.

PSALMVS 9. Confitebor tibi Domine in toto corde meo.

ASſiduo Domini celebrabo pectore laudes,
Artificis dextræ miraq; facta canam.
Inq; tui superûm genitor, ſpe gaudia ducam,
Atq; tuum cœli nomen ad aſtra feram.
Qui fera conturbas inimici prælia noſtri,
Et celeri terres arma, uiroſq; fuga.
Vt pereant animæ qui tendunt uincula noſtræ,
Corruat & uultus impius ante tuos.
Nam placidus noſtras audiſti fronte querelas,
Tutaq; præſidio ſtat mea cauſa tuo.
Qui reſides ſolio iudex ſublimis in alto,
Diſcernens æqua faſq; nefaſque manu.

Arguis & gentes, atq; impia deſtruis auſos,
Aeternaq́; horum nomina nocte premis.
Hoſtilesq́; enſes, & tela minantia mortem
Corripis, & miſeris arma parata uiris.
Cumq́ue ſuis ualidas ſtrauiſti mœnibus urbes,
Inclyta cum rebus famaq́ue preſſa iacet.
Ac tua ſancte manet genitor ſine fine poteſtas,
Sedes iudicio ſtatq́ue parata tuo.
Vnde reges magnum terrarum legibus orbem,
Et populis certo fœdera iure dabis.
Et miſeras placito mentes ſolabere uultu,
Atq; inopum rebus mite leuamen eris.
Propterea ſperant in te Pater optime, nomen
Eſt quibus, & dextræ gratia nota tuæ.
Semper enim curas illorum ſuſcipis ægras,
Qui tua ſincero pectora iuſſa colunt.
Dicite laudantes superûm præconia regi,
Qui locat in ſummo caſtra Sione ſua.
Atq; omnes inter populos extollite facta
Optima, quæ miti perficit ille manu.
Vltor enim ueſtri ſtat ſanguinis ille, nec unquam
Quæ ueniunt, ſpernit pauperis ore preces.
Parce Pater miſero, ſortemq́ue tuere iacentis,
Aſpice quàm multo qualis ab hoſte premor.
Qui portas Erebi claudis, maneſq́; profundos,
Nec ſpolium Stygio me ſinis ire duci.
Vt tua frondoſa ueteris ſub rupe Sionis

Ciuibus

Ciuibus in medijs clara trophæa canam.
Et mea, ſancte, tua lætentur corda ſalute,
Et referam læto talia uerba ſono.
Effodêre cauas hominum irreticula foſſas
Gentes, & proprijs interiere dolis.
Quiq; alijs tectos conſuêrant ponere caſſes,
Ecce ſuos ipſi præpediere pedes.
Quo Domini melior clareſcit ſemita recti,
Et perit à factis impius ipſe ſuis.
Imaque trudentur Stygij ſub tartara regni,
Quæ ſpernunt placidum pectora cæca Deum.
Nam neq; præſidio Dominus fraudabit egentes,
Nec bona non ueniet ſpes, quia tarda uenit.
Alme creatarum qui uerſas tempora rerum,
Diſijce pollenti corda ſuperba manu.
Imperioque graui populos cohibeto rebelles,
Iudicio agnoſcant ut ſua facta tuo.
Et laſciua pio frenati colla capiſtro,
Spes hominum diſcant quàm ſit inanis opum.

PSALMVS 10. Vt quid Domine, &c.

CVr tua tã longè Pater à me cura receßit?
Quo mihi præſidiũ ſubtrahis uſq; tuũ?
Atq; hoc cum tantis tumuerunt æquora nimbis,
Et mea ſub medijs cymba fatiſcit aquis.

Nam quoties ualidas gens contulit impia uires,
Proterit heu ſæuo pauperis ora pede.
Inſultat miſeris, & rerum uexat egenos,
Et quodcunq; monet dira cupido facit.
Iactat enim duro quidquid facit impius ore,
Fœdaqúe non ullo facta pudore tegit.
Atq; ſuis animo cœptis benedicit auarus,
Et turpi ſummum prouocat ore Deum.
Dumqúe ſuis rebus cedat bene, cætera ſpernit,
Atq; agit auerſo numine, quidquid agit.
Inſiſtitqúe uiæ quam cœpit, nec tua curat
Iudicia, aut dextræ fulmina certa tuæ.
Atq; ferox hoſtem contemnit, & omnia credit
Perpetuo eiuſdem ſortis itura gradu.
Et quis, ait, noſtros poterit ſubuertere curſus?
Stultum eſt ut metuas fingere multa tibi.
Quin potius ſecurus agam, neq; triſtia uitæ,
Quæ ueniant unquam damna timebo meæ.
Sic fretus, uim, furta, dolos, periuria, fraudes,
Et quodcunq; leui perficit ore nefas.
Et ſedet in ſpeculis pro notæ mœnibus urbis,
Retiaqúe incautis inſidioſa premit.
Et ferit occultis innoxia corda ſagittis,
Et tacito obſeruat pauperis ore gradum.
Ac uelut occulta Leo prædaturus ab arce
Egreſſas ſtabulis lumine ſignat oues.
Quo mox ſiue fames, ſeu dira libido coegit,

Occiſi ſpolijs impleat antra gregis.
Sic quoq; in inſidijs tacita ſedet impius arte,
Fortunas inopum dum rapit atq; uorat.
Deſtruit, imminuit, labefactat res miſerorum,
Omnia ui quaſſat roboris ille ſui.
Fretus enim tanto ſucceſſu, ſcilicet inquit,
Quæ facio credam, curet ut iſta Deus?
Iam pridem ſua dimouit procul ora, nec unquam
Conuertet uultus ad mea facta ſuos.
At tu ſurge Pater ſacro de uertice montis,
Exalta dextræ numina ſancta tuæ.
Nec ſemper miſeræ Deus obliuiſcere turbæ,
Atq; aliquam afflictis cordibus affer opem.
Cur etenim toties tua prouocet impius ora?
Et ſecum dicat, non uidet iſta Deus?
Cùm tamen iſta uides, hominum pericula uerſas,
Pergat ut arbitrio ſpeſq́ue metuſq́ue tuo.
Ad te ſuſpiciunt miſeri, tua numina poſcunt,
Orbaq́ue te Patrem turba parente uocat.
Deſtrue quas tumido uires mouet impius ore,
Diſijce fulminea tela uiroſq́ue manu.
Vt mala dum iuſta percellis corda ſecuri,
Mox ſcelus ante oculos concidat omne tuos.
Solus enim Dominus toto regnabis in orbe,
Tempora dum menſes, dum reget hora diem.
Et modo ueſanæ quæ tollit cornua gentis
A regni tolles nomina fine tui.

Nam deſiderium populi tu cernis egeni,
Et tua ſtat uotis auris aperta pijs.
Vt tua ſubueniat deſertis dextera rebus,
Stentq́; patrocinio pauperis acta tuo.
Deſinat & tantæ miſeros inuoluere cladi
Impius, & regni contrahat arma ſui.

PSALMVS 12. *Vſq; quo Domine.*

ERgóne perpetuò capies obliuia noſtri?
Et famuli deges immemor uſq; tui?
Nec, Domine, aduertes oculos quãdoq; benignos
Vt releues caſus ore fauente meos?
Sed ſine fine feres, ut edant mea pectora curæ,
Et mihi conſumat tabidus oſſa dolor?
Læticiaq́; animos exultans impleat hoſtis,
Gaudiaq́; è luctu comparet ille meo?
Reſpice de celſo miſeram Pater optime ſortem,
Et moueat uultus noſtra querela tuos.
Atq; aliqua adflictæ perfer ſolatia menti,
Vt uideant lucem lumina noſtra tuam.
Nec mea ſuccumbant deformi pectora letho,
Et Stygiæ uadam pars quota factus aquæ.
Atq; aliquis rebus qui noſtris inuidet, euge
Obtinui dicat, uotaq́; noſtra ualent.
Summa etenim capient inimici gaudia noſtri,

Læticiæ

Læticiæ illorum nec modus ullus erit.
Si mea ſortè aliquo labantur pectora caſu,
Et peream curis obrutus ipſe meis.
Sed tamen alme tua fretus bonitate creator,
Perferam, & in melius ſpes reuocabo meas.
Mœſtaq; ſolabor promiſſa corda ſalute,
Qua non ulla magis certa uenire poteſt.
Ac tua ſublimi referam præconia cœlo,
Qui bona fœcundas numine cuncta tuo.
Atq; tuum noſtro celebrabo carmine nomen,
Qui regis æterni lucida regna poli.

PSALMVS 24. *Domini eſt terra, &c.*

Solus in hoc Dominus res oẽs tẽperat orbe,
Et mundum imperio continet ipſe ſuo.
Atq; hominũ curſus, pecudes, pictaſq; uolucres,
Atq; regit Pontus quidquid & æther habet.
Primus enim magno fundauit in æquore terram,
Et ſtabili in medijs pondere fixit aquis.
Quæq; prius dubio pendebat in aëre niſu,
Immotum uentis iuſſit habere locum.
Non igitur Domini quiuis penetrabit ad arcem,
Aut poterit ſummi regna uidere Patris.
Non animo quiſquis uiuit corruptus auaro,
Aut quem magnarum uexat Erynnis opum.

Nec qui perniciem, fraudemque intendit egenis,
Aut miſeros falſa circuit arte uiros.
Aut cui relligio populi ſimulata fauorem
Conciliat, blandis miſtaque uerba dolis.
Sed quem cana fides, & fuluo carior auro
Commendat pietas, cordaque ſancta Deo.
Qui faciet quodcunq; Deo placuiſſe uidebit,
Votaque diuino ponet in arbitrio.
Hunc Dominus placido quondam ſolabitur ore,
Et ſolitum ad uitam ferre docebit iter.
Hunc teget, & rerum per tot diſcrimina tutum,
Tranquillis faciet tendere uela Notis.
Deniq; talis erit qui ſummi iuſſa parentis
Seruet, & æterna fœdera pacis amet.
Atq; tua Iſacidæ ueſtigia ritè ſequendo
Ardua non uanam ſternat ad aſtra uiam.
Pandite ſublimes terrarum culmina portas,
Atriaque ætherei ſtate recluſa poli.
Vt ſubeat Dominus ſolito ueſtitus honore;
Cui cedat ſoli gloria, fama, decus.
At quis erit Dominus ſolito ueſtitus honore,
Cui cedat ſoli gloria, fama, decus?
Scilicet æterno qui uerſat tempora motu,
Lucidaque artifici dirigit aſtra manu.
Fulmina qui ſumma cœli iaculatur ab arce,
Atq; ſolum nutu concutit omne ſuo.
Qui ualidas hominum uires contundit, & unus

Contemnit regum prælia, tela, minas.
Cuius & æternum uiuet per ſæcula nomen
Ventura, atq; omni gloria fine caret.

PSALMVS 43. Iudica me
Deus, & age, &c.

Rerum ſumme parens, hoim̃ qui pectora ſolus
Noſcis, & æterna dirigis illa manu.
Inſpice res noſtras, ſortemque tuere iacentis,
Et mea iudicio protege facta tuo.
Nec ſine quæ capiti ſuper imminet undiq; noſtro,
Opprimat ut cauſam turba prophana meam.
Sed tacitas hominũ fraudes, arteſque malignas,
Cordaque fallaci diſÿce plena dolo.
Solus enim cum ſis rerum tutela mearum,
Atq; ſalus uitæ præſidiumque meæ.
Cur age ſancte tui diuino numine uultus
Auxilioque carent pectora noſtra tuo?
Cur ſinis incedam perculſo mœſtus ut ore,
Atq; animo uirtus, quæ fuit, omnis eat?
Triſtia quando parant inimici uincula nobis,
Et damna intendunt rebus acerba meis.
Quin Pater excelſa lucem demittis ab arce,
Atque aperis dextræ robora uera tuæ.
Vnica ut illa meas reparet fiducia uires,
Et teneat feſſas anchora ſacra rates.

Ducat et ad ſummum, genitor, tua limina montẽ,
Inq́; ſacra templi collocet æde tui.
Vt Domini ingreſſus pacatam lætus ad aram
Aſpiciam uitæ gaudia mira nouæ.
Et Patris æternæ qui donat tempora pacis,
Exaltem citharis nomina ſancta meis.
Ne mea ſollicitas ne ducite pectora curas,
Nec mihi tam ſæuis corda dolete modis.
Sed potius ſummo rerum confidite Patri,
Veſtraq́; cœleſti credite uota Deo.
Namq; erit iſta dies, meritis cum laudibus illum,
Arduaque illius nomen ad aſtra uehам.
Dignaque ſublimi referam præconia cœlo,
Lumina cùm uultus proferet ille ſui.
Et faciet ueri noſcatur ut ipſe parentis,
Solus & æterni nomen habere Dei.

PSALMVS 52. *Quid gloriaris in malicia, &c.*

TAlibus ergo tibi quæſita eſt gloria factis,
Tuque modò egregiæ nōia laudis habes?
Perfide cui toto probitas in corpore nulla eſt,
Qui ſimul ingenio uiuis & arte nocens.
Omnia qui falſa confundis ſœdera lingua,
Inuigilasque malis nocte dieque dolis.

Ac

Ac uelut in dura renouata nouacula cote
Non obſtante rapit ſubdita quæq; mora.
Sic tua dũ miſeros qbus opprimat inuenit artes,
Mens furit, atq; omni ſæuius enſe ferit.
Omnia poſt fraudem qui ponis, & omnia fallis,
Nec uerbum toto fundis ab ore bonum.
Sed quæcunq; tuo ſoluuntur gutture dicta,
Cuncta uenenato felle ſubacta madent.
Dum trahit in uarios improuida pectora caſus,
Inuoluitq; atris lingua doloſa malis.
At non effugies, & erit, qui uindicet iſta,
Qui ſedet, & ſumma deſpicit arce ſolum.
Ille tibi inuentas euertet ſcilicet artes,
Teq; tuos inter ſupprimet ipſe dolos:
Et tibi quas pulchrè credis conſiſtere uires
Deſtruet, ac faſtus finiet ille tuos.
Auferet imperium, & ſolio detrudet ab alto,
Ne ſedes profugo certa ſit ulla tibi.
Sed iaceas atræ preſſus caligine noctis,
Excidat & toto nomen ab orbe tuum.
Vt te qui cernent meritam dependere fraudem,
Dignaq; patratis præmia ferre malis.
Cæleſtes metuant in ſeſe accerſere pœnas,
Et timeant magni fulmina certa Iouis.
Atq; malas aliquis deridens impiger artes,
Contigit, en, dicet debita pœna uiro.
Sic datur immani quiſquis temerarius auſu

Effert contempto, corda ſuperba, Deo.
Atq; opibus fidens, & mundi uiribus huius,
Crudeli peragit multa nefanda manu.
Quo neq; diuitiæ, nec me numeroſa poteſtas
Suſtineant, nec me uis tueatur opum.
Sed uelut humentes expectat frondibus imbres
Ante fores ſacræ pinguis oliua domus.
Sic mihi ſic ueniat cœleſtis gratia Patris,
Dirigat & uitæ tempora cuncta meæ.
Hanc precor, hanc æui partes ſperabo per oẽs,
Dum claudant curſus ultima fata meos.
Ac te, ſancte Pater, qui me, qui cuncta creaſti,
Ac tua, perpetua numina laude feram.
Aeternoq; tuum ſperabo nomen amore,
Quo nihil immenſius maius Olympus habet.

PSALMVS 67. Deus miſereatur.

Aſpice de celſa ſuperûm, Pater optime, ſede,
Et clemens populi ſuſcipe uota tui.
Annue ſollicitis patrij pia lumina uultus,
Feſſaq; diuino corda fauore leua.
Quo noua deiectas fœcundet gratia mentes,
Proſperaq; eueniant numine cuncta tuo.
Ac tua mox toto clareſcat in orbe uoluntas,
Certaq; ſancte tuæ fœdera legis eant.
Atq; nouam populi mirentur corda ſalutem,
Cunctaq;

Cunctaq; te dignis laudibus ora ferant.
Nam tua gratãtes celebrãt quoq; munera gẽtes,
Et tua ſublimi nomina uoce canunt.
Et noua concipiunt recreata gaudia mente,
Et plauſu paßim lætíciaq; fremunt.
Cùm cernunt hominũ quanta eſt tibi cura tuorũ,
Quoq; fauore tibi dedita corda tegis.
Qui cauſas inopum, qui res defendis egentum,
Cunctaq; præſidio iuſta tuere tuo.
Vltimus extremi quantum patet angulus orbis,
A iubare Eoi ſolis ad occidui.
Omnes te celebrãt populi, ac tua uoce frequẽtãt
Numina, perpetuis illa canenda modis.
Nam tua uera manẽt genitor promiſſa per æuũ,
Irrita nec uerbi ſpes cadit ulla tui.
Ceu quoq; iuſſa ſuos repetunt elementa labores,
Et generat fructus terra benigna ſuos.
Gratia nos Domini recreet, nos recreet illa,
Quæ uenit à noſtro gratia parta Deo.
Huius ut euentum uideant bonitatis, & omnes
Te genitor populi corde uerente colant.

PSALMVS 68. *Saluum me fac Deus.*

QVI *regis æterno cœleſtia ſidera motu,*
Auxilium miſero fer Pater alme tuum.
Auxilium Pater alme fer, & miſerere id-
centis: l 2

Obruitur ſæuis heu mea puppis aquis.
Nec ſupereſt uitæ, nec ſpes ſuper ulla ſalutis,
Vndiq; mors oculis obuolat atra meis.
Ipſa ſuos in me conuoluunt æquora montes,
Quacunq; aſpicio uentus & unda fremunt.
Et diducta ſuas oſtendunt Tartara fauces,
Iam uideor Stygias iam ſubiturus aquas.
Clamo, ſed in tantis audit me nemo procellis,
Qua premor, hæc adimit uocibus unda uiam.
Atq; hebetata ſuos amittunt lumina uiſus,
Auxilium ſpectant dum ſine fine tuum.
Dum, Pater, obſeruant cœlo tua donec ab alto
Afferat afflictis dextera rebus opem.
Quantus enim noſtro dependet uertice crinis;
Tot numero teretes non habet ille pilos.
Quot ſunt immeritis qui triſtia uincula nobis
Tendunt, exitio turba parata meo.
Qui neq; iuſticiam, neq; fas, aut fœdera curant,
Nec ſi quid dignè commereare uident.
Sed tantum proprio quærunt ſeruire furori,
Et capere ex noſtris gaudia parta malis.
Qui magis, ut lædāt, id habēt quod lædere poſſūt
Quæq; gerunt dextra tela potente gerunt.
Vulneraq; incutiunt ualidas teſtantia uires,
Qualia per noctes ſentio, perq; dies.
Dum miſer illa luo, quæ nunquam facta peregi,
Atq; aliena malis damna rependo meis.

Non ſecus ac catulos alter cum forte leænæ
Abſtulit occulto greſſus ad antra pede.
Alter quem miſerum ſors caſu traxit eôdem
Dependit rabidæ furta aliena feræ.
At tu ſancte Pater, uitæ mea facta prioris
Et quidquid ſtultè fecimus, omne tenes.
Nec quidquam toto ſic clam peccatur in orbe
Sublatum ex oculis poßit ut eſſe tuis.
Neúe igitur noſtris offendi pectora damnis
Hæc ſine, quæ recta te coluere fide.
Aut mala ſuffundi turpi patiare pudore,
Qui quærunt legis fœdera ſancta tuæ.
Dum mala fortunæ ſpectant ludibria noſtræ,
Et nimium rebus fata maligna meis.
O Pater, ô Princeps, ô magni gloria mundi,
Cui parent acies, agmina, caſtra, Duces.
Te propter ſiquidem patimur ludibria uulgi,
Te propter nobis quod dolet omne uenit.
Aſpice me opprobrÿs, multoq; pudore rubẽtem,
Non color eſt oculis, qui fuit antè, meis.
Qui mecum tectis geniti uixere ſub ÿſdem,
Quos gremio mecum ſuſtulit una parens.
Hi neq; me norunt, neq; qui ſim, natus & unde,
Scire uolunt, greſſus diffugiuntq; meos.
Heu mihi quàm uario tabeſcunt oſſa dolore,
Dum miſer aſpicio qui tua iuſſa negant.
Dum probris horum ceu multis obruor undis,

Recta qui nunquam te coluere fide.
Ecce uelut iugi manant mea lumina fonte,
Horreſcunt lachrymis uultus, & ora, meis.
Pallida conſumit languentia corpora tabes,
Deficiunt longa membra ſoluta fame.
Et lacer incedo ſquallenti tectus amictu,
Vt me uix uſquam turpior alter eat.
Et tamen illa tuos genitor quæ ſpernit honores,
Cùm uidet hæc riſum turba proterua mouet.
Atq; meos greſſus laſciuo exibilat ore,
Et paßim in tota fabula plebe feror.
Quin etiam rerũ domini, qui ſceptra gubernãt,
Arbitrio ſummas qui moderantur opes.
Hi quoq; de noſtro quærunt ludibria caſu,
Et mala pro ludo, quæ fero, tanta putant.
Ac quoties ſera ducunt conuiuia nocte,
De rebus canitur fabula ficta meis.
Quo tua, ſumme Pater, tua ſupplex numina po-
Qui lapſas hominum reſpicis unus opes. (ſco,
Tu noſtris ſuccurre malis, & uertice ab alto
Afflictis placidam mitte uocatus opem.
Serua nos Stygiæ tutos à morte paludis,
Ne rapiant animam flumina cæca meam.
Neúe meis unquam lætetur cladibus hoſtis,
Expleat & noſtris inuida corda malis.
Verte procul pelagiq; minas, fluctusq; furentes,
Repprime lethiferi flamina ſæua Noti.

Nec

Heu mea uentoſis euerſa carina procellis,
Demergat cæcis arma,uirumq;,uadis.
Sed ceu larga tua eſt clementia, notaq; cunctis,
Qua nihil hic totus pulchrius orbis habet.
Sic placidas aures noſtris aduerte querelis,
Et miſeros patria pro bonitate leua.
Nec uultus auerte tuos,aut ora reconde,
Sed famulis pateant aſpicienda tuis.
Qualis enim miſeram uexat tribulatio mentem?
Ah Pater auxilium ne remorare tuum.
Suſcipe labentes animas,& ab hoſte receptas,
Da Pater optata poſſe quiete frui.
Nec ſine perpetuò tumidus quo gaudeat hoſtis,
Et ſibi pro ſpolio noſtra pericla putet.
Solus enim opprobria, & noſtræ ludibria uitæ
Cernis,& hæc quanto corda pudore gemant.
Atq; tot in noſtram qui quærunt noxia cladem
Cognoſcenda oculos turba ſtat ante tuos.
Heu mihi quàm uarijs ſoluuntur pectora curis,
Et iacet aßiduis mens mea uicta malis.
Scilicet aſpexi ſi quem mala noſtra mouerent,
Sed mea quem moueant tot mala,nemo fuit.
Aſpexi uerbis qui me ſoletur amicis,
Sed neq; qui uerbis me leuet,ullus adeſt.
Quinetiam miſcent ſitienti pocula felle,
Et quibus extinguam dantur aceta ſitim.
O pereant ipſas inter mala pectora fraudes,

Et recidant proprijs illaqueata plagis.
Atq; his, quæ capiti contendunt uincula noſtro,
Impia turba ſuos implicet ipſa pedes.
Et uelut obſcura uadant caligine ſepti,
Nec uideant oculis obuia damna ſuis.
Atq; trahant ægros pedibus nutantibus artus,
Nec niſi diſtorti, quo gradientur, eant.
Tuq; Pater, celſis effunde ex arcibus iram,
Et furor euertat corda prophana tuus.
Effice deſertos horum cultoribus agros,
Ne ſit qui propius iungere tecta uelit.
Sed quicunq; procul uaſtas aſpexerit oras,
Sic fugiat, rapidum ceu fugit agna lupum.
Nam mala nil meritis faciunt, pœnisq; fatigant,
Pœna correptos ô Pater ante tua.
Et quos tu patria caſtigas, optime, dextra,
Vt rurſum patria pro bonitate leues.
Hos ſcelerum dignas iactant perſoluere pœnas,
Præmiaq; ex merito quenq; referre ſuo.
Ergo ſubinde alia genitor ſine labe grauatos,
Incidere ex alijs in noua damna malis.
Vt neque te noſcant, neque ſanctæ fœdera legis,
Aut ulla æternæ parte fruantur opis.
Sed uelut à toto reſecantur corpore membra,
Si qua ſolent uitijs perdere ſana ſuis.
Sic abole ex omni uiuorum nomina cœtu
Horum, pro ludo qui tua facta putant.

Me miſerum quantis animo mœroribus angor,
Quàm grauis attenuat languida corda dolor.
Porrige, ſancte, tuam celſo de uertice dextram,
Et placidam affectis mentibus affer opem.
Ipſe tua feriam cœleſtia ſidera laude,
Et tua perpetua numina uoce canam.
Nec tibi tũ uitulus pedibus qui ſparget arenam,
Candidaq́; aurata cornua fronte geret.
Adductus patrio ſacra ad penetralia ritu,
Tam cadet ante aras uictima grata tuas:
Quàm mea, quæ grata pſallã tibi carmina lingua
Et quibus ipſe tuum nomen ad aſtra feram.
Reſpicite ô ſæculi paßim mala fata prioris,
Reſpicite & ſortis ſpem reparate nouæ.
Accipite æthereæ genitor quem mittit ab arce,
Veſtraq́; gaudebunt numine corda nouo.
Nam Pater afflictos audit, longoq́; labore
Subleuat oppreſſos, auxilioq́; iuuat.
Nec ꝙ lentus opem differt, dextramq́; retardat,
Aeterna miſeros morte perire ſinit.
Huic igitur laudes, cœlum, mare, ſidera, tellus,
Et quidquid toto uiuit in orbe, canant.
Et ſanctum æterno celebrent modulamine nomẽ,
Dum cœlum ſtellas, dum uehet æquor aquas.
Nam Dominus pulchræ firmabit regna Sionis,
Eriget & populis mœnia, Iuda, tuis.
Et ſtabilem placitis ſedem dabit, illa, miniſtris,

Quam minuent nulla ſæcula longa die.
Sed nati natorum, & qui naſcentur ab illis,
Perpetuæ teneant poſteritate domus.
Dum memores ſancti ſeruabunt fœdera pacti,
Et puro Domini nomen amore colent.

PSALMVS 69. *Deus in adiutorium meum.*

RESpice de ſumma cœli, pater optime, ſede,
Et mea de ſubitis eripe corda malis.
Reſpice, & auxiliũ ne ſubtrahe, ſancte, precãti,
Appropera, & celerẽ, qui potes, affer opem.
Vt pereant noſtræ qui quærunt noxia uitæ,
Intenduntq́; animæ uincula dira meæ.
Vtq́; ſuo ſeſe contaminet ipſa pudore,
Quæ ridet caſus improba lingua meos.
Et contrà exultent animis, & gaudia tentent,
Qui conſtante tuum nomen amore colunt.
Et tua perpetua peragant præconia laude,
Nulla quibus cordi quàm tua Chriſte ſalus:
At deſertus ego, quem rerum nulla facultas,
Nullaq́; conſilij ſpes aliena iuuat.
Quo mea, ſancte Pater, celſa miſeratus ab arce
Suſcipe ſollicito pectora feſſa metu.
Solus enim noſtros releuare & tollere caſus
Tu potes, ac ſæuæ uim prohibere necis.

Quare age de ſumma cœli, Pater optime, ſede
Appropera, & celerem, qui potes, affer opē.

PSALMVS 103. *Benedic anima mea Domino.*

HVC *ades æternū celebremus laude parentē,*
Huc ades ingenij cura Thalia mei.
Quantus alit teneros hos intus ſpiritus artus,
Alta creatoris nomina laude uehat.
Donáq; cœleſtes attollat gratus ad auras
Plurima, quæ larga contulit ille manu.
Omnia qui patria condonat crimina mente,
Et mala præſenti uulnera curat ope.
Qui uitam Stygijs hominum conſeruat ab undis,
Atq; ſuæ miſeros ſpe bonitatis alit.
Qui tua fœcundis ſaturat prouentibus ora,
Et prohibet miſeræ noxia damna famis.
Nec ſecus atq; ſolent aquilæ, quas nulla uetuſtas
Attenuat, uires ſemper habere ſuas.
Sic facit ille meos iuueneſcere uiribus annos,
Et reparata nouo membra uigore leuat.
Aequa qui iudex examinat omnia lance,
Atq; ſuo cauſas temperat arbitrio.
Nec fraudes hominū patitur ſuperare malignas,
Atq; aliquem iniuſta conditione premi.
Qui Moſi placidæ mandauit fœdera legis,

Altaq́; ducentem pandit ad aſtra uiam:
Et genus, Iſrael, per tot diſcrimina rerum,
Illæſum quouis texit ab hoſte tuum.
Nam Dominus placido pia corda fauore tuetur,
Gratiaq́; illius tempus in omne patet.
Noſtraq́; ſæpe licet pœnas delicta merentur,
Rara tamen mittit uindice tela manu.
Ac ſi quando leui peccantes uindicat ira,
Atq; luunt merito crimina noſtra ſuo.
Non tamen in cũctos uindictam prorogat annos,
Fitq́; iterum placidus qui modo ſæuus erat.
Nec quãtas hominum meruerunt crimina pœnas,
Exigit, aut ſceleris pro grauitate refert.
Sed quantum eſt ſpacium fulgentis ſidera cœli,
Inter & immoti culta uireta ſoli.
Tanta patet Domini bonitas, & gratia tanta,
Pectora quæ ſancto plena timore leuant.
Et quanta eſt curſus inter uia ſolis Eoos,
Et curſus inter, qua patet, Heſperios.
Tam longè à nobis remouet delicta, nec ullum
In noſtrum illorum ius ſinit eſſe caput.
Deniq; ceu charos genitor ſua uiſcera natos
Aſpicit, & ſummo ſemper amore fouet.
Sic hominum genus ille fouet, patrioq́; fauore
Protegit, & tutos per mala multa facit.
Nam quales ipſi ſumus, & quo ſemine nati,
Qui nos de nihilo condidit, ipſe uidet.

Et memor agnoſcit manuum figmenta ſuarum,
Qui nil quàm cinis, & labilis umbra ſumus.
Talis enim miſeris reſtat mortalibus ætas,
Qualia uernanti gramina rure uirent.
Quæ modò cum primi floreſcunt tempore ueris,
Mollia multiplici prata colore micant.
Mox ſi fortè nocens exuſſerit arua pruina,
Aut premit arentes Sirius ignis agros.
Decidit omnis honos, & picti gloria campi,
Neſcit & ipſa ſuum, quo ſtetit, herba locum.
Atq; aliquis digito morientia gramina carpens,
Quàm cita uis tantas abſtulit, inquit, opes.
Sic quoq; in humanis nihil eſt durabile rebus,
Currunt incerta tempora noſtra fide.
At Domini bonitas totum manſura per æuum
Perſtat, qua mentes erigit ille pias.
Et placida ſeri gaudebunt pace nepotes,
Qui Domini uero iuſſa timore colunt.
Ac memores ſanctæ ſeruant ueſtigia legis,
Vt mandata Patris non negligenter agant.
Nam Dominus ſolium ſummo ſtabiliuit Olympo,
Aeterno ſedes iſta parata Deo eſt.
Cuius & imperium toto dominabitur orbi,
Et uentura omni tempora fine carent.
Quo uos cœleſtes animæ, pia plectra mouete,
Carminaq; æthereo dicite digna Deo.
Et ſacrum Domini uerbum, quarum eſt ea uirtus

Efficite, ut toto uocibus orbe ſonet:
Carmina digna Deo cœleſtes dicite cœtus,
Totaq; tam ſanctum caſtra ſecuta ducem.
Et quicunq; Dei colitis præcepta parentis,
Atq; pio facitis iuſſa miniſterio.
Carmina digna Deo, diuinæ opera oĩa dextræ,
Dicite, quæ nutu condidit ille ſuo.
Ac latè quicunq; tenet uos angulus orbis,
Illius hinc ſummis nomina ferte polis.
Huc ades, & Domino dicemus carmina noſtro,
Huc ades ingenij cura Thalia mei.

PSALMVS 110. Dixit Dominus Domi no meo. *παραφραςικῶς.*

QVAE *noua cœleſti ſuperũ regnator ab arce*
Promittit Domino ſceptra tenẽda meo?
Qualia uenturæ laudabunt ſæcula gentes?
Quæ facies rerum? qui ſtatus orbis erit?
Cùm ueniet noſtra qui quõdam ab origine natus,
Et uindex ſcelerum, & pacis amator erit.
Qui uictor medios inter dominabitur hoſtes,
Et premet impoſito colla ſuperba iugo.
Fœlix ô nimium, nimiumq; Sionia rupes,
Auſpicium regni prima datura noui.
Primaq; uictoris lætos uiſura triumphos,
Inq; tuis iterum fixa trophæa iugis.

Nam

Nam ſubito patrias ſimul ac moderator habenas
  Ceperit, & regni creſcet honore noui.
Et iam purpureo conſurgens clarior ortu,
  Viuendi leges, iuraq́; ſancta dabit.
Impia Iudæa ueniet de gente propago,
  Quæ caput hoc ferro contemerare uolet.
Audebitq́; illi ſceleratam intendere mortem,
  Vnde ſalus, uirtus, gloria, uita, uenit.
Quiq́; fuit precibus toties, uotisq́; petitus,
  Siue Abrame tuis, Iſace ſiue tuis.
Ille ubi poſt longos optatus uenerit annos,
  Occumbet populi fraude doloq́; ſui.
Et quod nulla unquam poterit delere uetuſtas,
  Suſtinet hoc ſoboles noſtra ſubire nefas.
Heu rabies hominum, & cæco gens cōcita motu,
  Sic oblita tui nominis eſſe potes?
Nec te tanta noui quondam miracula regis,
  Nec præſens pietas, & benefacta mouent?
At non longa tui durabunt gaudia cœpti,
  Teq́; grauis multo fœnore pœna manet.
Nam ſimul ac poſito gaudebit uana timore,
  Et credet portum uota tenere ſuum.
Ecce inter medios ſurget rediuiuus ouantes,
  Et petet ultrici caſtra relicta manu.
Et te ſecurum premet inter cœpta, nouusq́;
  Victori uerſo Marte triumphus eris.
Tum uelut amotis ueniens aurora tenebris,

Cum reuehit pulchrum pulchrior ipſa diem.
Roſcidus è ſummo paßim cadit humor Olympo,
Plurimaq; in tenero gramine gutta ſedet.
Sic ubi puniceo ductor ſublimis in Oſtro
Signa triumphato proferet hoſte noua.
Innumeri paßim uictoris caſtra ſequentur,
Qui ductu tanti principis ire uolent.
Ipſe quidem ſolio reſidens ſublimis auito,
Conſtituet populis fœdera certa ſuis.
Sæuaq; propellens fragilis diſcrimina uitæ,
Tempora tranquilla pace beata reget.
Omnia prima Sion, quæ tu pulcherrima quondã
Aſpicies oculis (euge beata) tuis.
Atq; tua primum factis clareſcet in urbe,
Qui nos uult ſummo conciliare Deo.
Nam non ſceptra modò geret atq; inſignia regũ,
Aut pacis princeps exterioris erit.
Sed uelut æterno placuit ſententia Patri,
Quam uis annorum ſoluere nulla poteſt.
Ipſe ſacerdotis faciet quoq; munera ſummi,
Grataq; pro noſtro crimine ſacra dabit.
Ac ueterem læſi placabit numinis iram,
Soluet & æternæ uincula ſæua necis.
Atq; iter ad placidum faciet remeabile Patrem,
Quod petulans morſu clauſerat Eua ſuo.
Dumq; pijs animis reparet cœleſtia regna,
Occidet æthereo uictima grata Deo.

Nec

Nec tamen aut pecudum torrebit uiſcera flãmis,
Aut dabit accenſis exta cremanda focis.
Aut procul à nigris uenientia thura Sabæis
Offeret, aut frugis munera ſalſa nouæ.
Qualia fama refert ſacros Aarona nepotes
Quondam Sinaceis erudijſſe iugis.
Sed nouus ille Patri faciet noua ſacra ſacerdos,
Sublato ueteris more miniſterij.
Ac uelut Abramo ſpolijs hoſtilibus aucto,
Cùm peteret Solymi regia tecta ducis.
Obuius & rerum ſucceſſu lætus ouanti
Melchiſedec uerbis dicitur iſſe pijs.
Multaq́; gratando uictori, multa precando,
Vatidico tales ore dediſſe ſonos.
O nimium dilecte Deo, cui militis enſes,
Et ualidæ regum ſuccubuere manus.
Cuncta tibi superûm uertet fœlicia rector,
Et cedent uotis omnia cœpta tuis.
Has mihi non uano de te ſpes omine firmat,
Qui tua corda regit, qui tua facta regit.
Qui ſeruat quodcunq; tui eſt, qui fata gubernat,
Teq́; inter uitæ mille pericla tegit.
Talia pro nobis noſter quoq; uota ſacerdos,
Et faciet tales ore fauente preces.
Orabitq́; Patrem, per tot diſcrimina uitæ
Vt faciles curſus præbeat atq; uias.
Vt ueniam miſeris donet, culpamq́; remittat,

Et faciat regni parte ſedere ſui:
Hæc ſeries rerum nullo mutabitur æuo,
Dum ſummi ſtabunt lucida regna poli.
Sed ſimul incipiet per ſæcula cuncta nepotum,
Idem hominum princeps, atq; precator erit:
Idem pro noſtro placabit crimine Patrem,
Atq; potente reget tempora cuncta manu.
Quo uos ô Domino placidè parete futuro,
Et tanti quondam iuſſa timete Ducis.
Nec facite ut populum cum uenerit ille rebellem
Cernat, & ad leges pectora ſurda nouas.
Tempus enim ueniet cum ſpreti nominis ultor
Supplicio ſontes puniet ipſe graui.
Et fretus patriæ diuino numine dextræ
Proteret obtutu corda ſuperba ſuo.
Hei mihi, quas cædes, quot corpora ſtrata uide-
Qualia tum fuſo prata cruore fluent? (bo?
Cum fera contundet tumidorum prælia regum,
Et premet obſtantum uindice tela manu.
Altaq; ſuſpendens ſuperatis hoſtibus arma
Virtutis ponet clara trophæa ſuæ.
Nam licet ærumnas hominum perferre iubetur,
Atq; idem noſtræ fata ſubire necis.
Hunc tamen ad ſuperos deuicta morte reducet,
Et regum ſummo ponet honore Pater.
Huius & arbitrio leges uitæq; necisq;
Stabunt, hic Dominus totius orbis erit.

PSALMVS

PSALMVS III. Confitebor tibi Domine.

ALme parens rerum toto te corde canemus,
Et dabimus laudis carmina plena tuæ.
Blanda tibi reſonent omni præconia parte,
Per fora, per taciti limina ſancta gregis.
Certa tuæ ſiquidē dextræ, atq; immenſa poteſtas,
Miraq; uirtutis cernimus acta tuæ.
De numero quorū nihil eſt, quoniam undiq; totū
Præcellit reliquis arte, decore, modo.
Et breuiter, Domini ſunt ornamenta labores,
Et ſummè quidquid condidit ille, decet.
Fecit enim ſanctæ nobiſcum fœdera legis,
Et ſtabilem pactis iuſſit adeſſe fidem.
Gratiaq; illius terras manifeſta per omnes,
Rebus quæ uerbo dixerat ille probat.
Humanæ genitor ſtirpis, placiduſq; redemptor,
Omnia pacifica temperat ille manu.
Ille pijs animis fœcunda alimenta miniſtrat,
Et largas homini donat, & auget opes.
Iuratiq; memor ſeruauit fœdera pacti,
Fœdera per nullos interitura dies.
Cum ſua dilectæ pateſecit robora genti,
Atq; hominum ſolo numine fregit opes.
Lætaq; promiſſæ terræ dedit arua tenenda
Depulſis populo gentibus inde ſuo.

Manſura ſiquidem firmat Pater omnia lege,
Nil huius tacitæ fœdera fraudis habent.
Nec temere illius quiſquam mandata neglexit,
Pro meritis reddit præmia cuiq; ſuis.
Omnia ſed ſtabunt promiſſæ uerba ſalutis,
Dum ſtabunt alto ſydera clara polo.
Puniceos dum pulchra uehet Tytonia currus,
Et reget inſtabiles roſcida luna uias.
Quare idem populo ſolatia mittet egenti,
Et captiua ſua corda leuabit ope.
Regnaq; fundabit longos promiſſa per annos,
Et regem ſupera mittet ab arce nouum.
Sanctum cuius erit, nulliq; effabile, nomen,
Percutietq; ſui millia multa metu.
Talem igitur placido poteris cognoſcere uultu,
Si Domini uero iuſſa timore coles.
Vnicaq; iſta quidem multos doctrina beabit,
Dum tamen hæc moniti non negligenter agēt.
Virtutū Domini manet inclyta fama per æuum,
Non illa quidquam maius hic orbis habet.

PSALMVS 113. *Laudate pueri Dominum.*

DIuinum ſuperi nomen celebrate parentis
Omnes quos grauibus ſors premit atra malis.

Nec

Nec ceſſate Deo præconia dicere laudum,
Tempora dum cœlum, dum reget hora diem.
Sed quàm lata patent magni confinia mundi,
Inter fulgentis ſolis utramq; uiam.
Aeternum Domini *canite & memorabile numẽ,*
Atq; ſub extremi ſydera ferte poli.
Nam quis adhuc toto Domino *par extat in orbe,*
Aut ſaltem dici proximus eſſe poteſt?
Cuius & exterret gentes immenſa poteſtas,
Quæq; colunt terras, æquora quæq; colunt:
Gloriaq; aſtriferi tranſcendit culmina cœli,
Clara magis curru lucide Phœbe tuo.
Atq; ſedens alti ſuper ipſe uolumina mundi,
Vlterius ſenſu quàm penetrare licet.
Et tamen ex illa mortales reſpicit arce,
Atq; hominum affectas inde tuetur opes.
Erigit afflictos, & de ſquallore ſituq;
Alleuat oppreſſos, auxilioq; iuuat.
Et quos dira fames quondam aut immanis egeſtas
Mœnibus & patria deſtituere ſua.
His inter natos & dulcia pignora uitæ
Lætitia donat proſperiore frui.
Nec ſinit ut ſæuis penitus fortuna procellis
Obruat, aduerſis pectora feſſa malis.
Sed tandem ſolidæ præbendo gaudia pacis,
Cum populis regni collocat ipſe ſui.

PSALMVS 117. *Laudate Dominum omnes gentes.*

QVā patet extremū tellus habitata p axē,
Quâq; per immēſi littora uaſta maris:
Aetherei laudem populi celebrate Tonantis,
Gloriaq; in toto perſonet orbe Dei.
Qualis enim noſtros uenit miſeratus ab alto
Caſus? quàm patria nos pietate fouet?
Qui nos è medijs ſcelerati ſordibus æui
Sublatos regno collocat ipſe ſuo.
Et quos infœlix tenebroſi pœna manebit
Carceris, & Stygiæ uincula dura necis:
Hos ille aſſeruit cœlo, ſuperûmq; beatis
Sedibus æternum uiuere poſſe dedit.
Pactaq; dum præſtat Patribus promiſſa uetuſtis,
Mutauit placida triſtia pace mala.
Neu foret ulla ſui poſthac dubitatio uerbi,
Atq; eadem dictis eſſet ubiq; fides.
Quare agite æthereū populi celebrate parentē,
Et reſonet toto nomen in orbe Dei.

PSALMVS 119. *Beati immaculati in uia.*

ARdua qui ſanctæ ſequitur ueſtigia legis,
Fœderaq; æterni diſcit, amatq; Dei:
Altaq; diuini ſeruat præcepta parentis,

Et

Et puro uiuit corde, beatus erit.
Ac mala nulla trahent illum conſortia, donec
Tradita ſincero pectore iuſſa colet.
Almus enim genitor cœlo demiſit ab alto,
Præcepitq; animis iſta tenenda pijs.
Ah tua ſi noſtro genitor ueſtigia greſſu
Conſequar, & placidus pectora noſtra regas.
Ad tua ſciſſus enim quoties mea lumina tollo
Fœdera, ſtat nullis mens mea uicta malis.
At dum certa tuæ cognoſcam uerba ſalutis,
Sublimi referam nomina laude tua.
Atq; tuis nunquam reuocabo pectora iuſsis,
Tu modò labentis dirige uela ratis.

B. In quo emendabit adoleſcens.

Barbara quo iuuenum miteſcant pectora cultu,
Si genitor uerbum corrigat illa tuum.
Blanda meo ſemper tua cordi iuſſa putaui,
Quæ mihi ſi liceat diſcere ſaluus ero.
Baiulat & ſecum circum tua condita iuſſa
Fert animis, pœnas dum timet ille tuas.
Balſama ceu corpus, ſic tu quoq; pectora ſanas,
Dummodo placatus nos tua iura doces.
Balba licet noſtra eſt, reſonat tamē omnia, lingua
Eloquij, genitor, uerba ſacrata tui:
Brachiaq; ut cunctas mea complectantur in orbe
Diuitias, animus plus amat illa meus.
Barbitus & cithara, & quidquid mea plectra
mouebunt,

Te canet, atq; tuas conditor alme uias.
Baſiáq; ipſa tuæ mihi ſunt promiſſa ſalutis,
Pectore quæ memori nocte dieq; colam.

C. Retribue ſeruo tuo.

Certa mihi redeant placidæ fac tempora pacis,
Iuſſáq; ſeruabo conditor alme tua.
Cernere daq; oculis dempta caligine noſtris,
Et uideant legis fœdera mira nouæ.
Cingor ab ignotis peregrini gentibus orbis,
Neu mihi præcepti ſubtrahe uerba tui.
Certat enim deſiderio, & mens ægra fatiſcit,
Iudicijs inhiat dum ſine fine tuis.
Ceratis autem quos gloria ſubuehit alis,
Odiſti ut pereant qui tua iuſſa negant.
Cedant ergo, tuas quoniam cuſtodio leges,
Qui mea ſuffundi corda pudore uolunt.
Centimanûm quoq; enim cõtra me turba Gigantū
Ecce ruit, ueras dum ſequor ipſe uias.
Cætera dura tamen uincunt tua mollia iuſſa,
His ego delitijs, conſilijsq; fruor.

D. Adhæſit anima mea.

Da Pater ut poßim cæleſti uiuere uerbo,
Namq; anima in cinerem uertitur ecce mea.
Debilis audiſti quàm ſit mea uita fatentem,
Ergo tuæ fac nos ire ſalutis iter.
Duc mea quo rectos agnoſcant pectora greſſus,
Et tua ſublimi nomina laude canam.

Deficit

Deficit extremo mea mens liquefacta dolore,
Hinc uerbo, & uiuet, ſancte, medere tuo.
Deſtrue quæ rectos uertunt mendacia ſenſus,
Per uerbumq́; animæ tu miſerere meæ.
Decreui nam uera tuæ cognoſcere legis
Iudicia, & iuſſu ſtabo, cadamq́; tuo.
Diuinæ quæram, dum uiuo, fœdera pacis,
Tu me confundi, conditor alme, ueta.
Debitaq́; inſiſtam iuſsi ueſtigia curſus,
Nam mea tu reficis pectora lætitia.

E. Doce me uiam Domine.

Ede Pater quæ ſit mandatæ ſemita legis,
Hanc uolo per noctem carpere, perq́; diem.
Elue quæ mentis confundunt lumina ſordes,
Et tua ſincero pectore iuſſa colam.
Et mea corda doce, quoniam eſt ea noſtra uoluptas
Vnica, quæ uitæ ſit uia recta piæ.
Effice diuitias ne quærant noſtra doloſas
Pectora, ſed ſanctæ munera legis ament.
Et rege ne ſpectent oculos terreſtria noſtros
Gaudia, ſed uitam quam dabis ipſe tuis.
Elabiq́; uetes ſeruis tua munera, ſed te
Et tua cum recto iuſſa timore colant:
Exime de medio noſtræ ludibria uitæ,
Namq́; tuis cedunt omnia iudicijs.
En mea ſermonum retinet ſpes corda tuorum,
Viuifica uerbo me Pater alme tuo.

F. Accedant ad me miſericordiæ tuæ.

Fac Pater ut uideam uenturæ dona ſalutis,
Gaudebuntq́; noua pectora pace mea.
Falſaq́; confundam tumidæ mendacia linguæ,
Quippe tuæ fretus ſpe bonitatis ago.
Fida ſed haud unquã noſtro Pater aufer ab ore
Eloquia, hæc animos ſpes alit una meos.
Firmaq́; ſacratæ ſeruabo fœdera legis,
Vlla reuertentes dum reget hora dies.
Fortis & amotis ſoluam mea pectora curis,
Nam præter leges nil moror ipſe tuas.
Fœderaq́; altorum tua, ſancte, per atria regum
Eloquar, & monitus abſq́; pauore tuos.
Fulcit enim una meos hæc conſolatio ſenſus,
Scilicet æterni quòd colo iuſſa Patris.
Fœcundisq́; manus attollens legibus ambas,
Scrutabor uitæ condita pacta nouæ.

G. Memor eſto uerbi tui.

Gaudeam ut euentu genitor ſic optime uerbi,
Cuius ſpe ſeruus ſtatq́; manetq́; tuus.
Gratia nam dubijs hæc nos beat unica rebus,
Atq; ſalus uitæ ſunt tua dicta meæ.
Grandiloqui mea uota ſolent ridere Tyranni,
Nec tamen à monitis retrahor ipſe tuis.
Grata ſed æterno conſolor pectora uerbo,
Et mihi fortunæ ſpes uenit inde nouæ.
Grandi ſoluuntur noſtri formidine ſenſus,

Cum

Cum tua contemni fœdera cerno Pater.
Gentis enim externæ dum uiuo extorris in orbe,
Delitiæ uerbi ſunt mihi iuſſa tui.
Gnauiter uſq; tuas animoq; recenſeo leges,
Et tua nocte meum nomina pectus agunt:
Gloriaqúe iſta mea eſt, æterni quippe parentis
Condita ſincero fœdera mente colo.

H. Portio mea Domine.

Hæc mihi ſemper erit pars debita, fœdera ſacra
Scilicet ut caſto pectore legis amem.
Horreo cum uitæ ſpecto diſcrimina, uultus
Imploroq; tuos, ah miſerere Pater.
Hauſi oculis noſtræ quàm ſit ſpes irrita uitæ,
Conuertiq; pedes ad tua ſacra meos.
Haud paſſusqúe morã, properaui atq; oĩa feci,
Vt poſſim leges ipſe tenere tuas.
Hei mihi quas prædas de nobis impius egit,
Ipſe tamen uerbi ſum memor uſq; tui.
Horaqúe dum mediam diſcernit frigida noctem,
Iudicijs refero carmina grata tuis.
Hisqúe libet populis ſociuſqúe comeſqúe uideri,
Qui tua ſincero pectore uerba gerunt.
Heſperios inter bonitas tua, & inter Eoos
Nota eſt, ſumme Pater me tua iuſſa doce.

I. Bonitatem feciſti Domine.

Irrita dicta cadunt nunquam tua ſancte creator,
Nam famulo fulſit gratia larga tuo,

Indue iudicio, & recto mea pectora cultu,
Namq; fidem uerbis credimus eſſe tuis.
Ipſe meos animos dum tollo, deuius ibam,
Nunc humilis ueram cerno, coloq́; uiam.
Imbue noſtra tua languentia pectora lege,
Nam bonus es genitor, ac bene cuncta facis.
Impia ſæpe ſua tentat me abducere fraude
Turba, ſed à recta non trahor ipſe uia.
Incraſſata gerunt alij ut pinguedine corda,
At me iudicij ſpes alit una tui.
Ite aliò tumidi, deiectas gratia mentes
Hæc beat, ut diſcant fœdera ſancta Patris.
Innumeris auri potior mihi ſermo talentis
Qui uenit æterni factus ab ore Dei.

I. 2. Manus tuæ fecerunt me.

Iudicium ſanctæ fac me cognoſcere legis,
Namq; opus ecce manus ſum, Pater alme, tuæ.
Iam ſcio gaudebunt quotquot tua iuſſa uerentur,
Quòd feror in uerbo ſpem poſuiſſe tuo.
Iuſta equidem quæ ſunt genitor tua fœdera noui,
Quodq́; humilem uera me facis eſſe fide.
Iuxta hanc facta tuo mõ quæ promiſsio ſeruo eſt,
Soletur bonitas pectora noſtra tua.
Iucundasq́; tuas quoniam mihi iudico leges,
Recreet hæc uitam gratia larga meam.
Iure ſuo ut pereant tumidi, qui crimine falſo
Me uexant, monitus dum ſequor ipſe tuos.

Iactent

Iactent inq; meos iuſti ſua lumina caſus,
Teq́; tuis coràm ſemper adeſſe ſciant.
Iugiter æternas mea uoluite pectora leges,
Non mihi confundat conſcius ora pudor.

C. 2. Deficit ad ſalutem anima mea.

Corda tuæ genitor tabeſcunt noſtra ſalutis
Spe, quoniam uerbi munere fido tui.
Conſtantiq; uident ad te mea lumina uiſu,
Atq; tua, dicunt, quando leuemur ope.
Corrugatus eo, pellis uelut arida fumo,
Et tamen eloquij ſum memor uſq; tui.
Conditaq́; exegi tot acerbæ tempora uitæ,
Securus noſter cum tamen hoſtis agit.
Componitq; mihi laqueos, fraudemq́; ſuperbus,
Vltra præcepti iura, modumque tui.
Cuncta etenim tua iuſta manent præcepta per æuum,
Ergo mihi iniuſtè hæc qui fero perfer opem.
Conſumpſere mei quantum eſt quod uiuit in orbe
Hoſtes, at legem perſequor ipſe tuam.
Conditor alme, tui ueniat mihi gratia uultus,
Pactaq́; ſeruabo tempus in omne tua.

L. In æternum Domine permanet.

Lucida dum claro fulgebunt ſidera cælo,
Diuini ſtabunt iuſſa uerenda Patris.
Lætaq́; florebit, ceu floret condita uerbo
Terra tuo, genitor, tempus in omne fides.
Latus enim mundus tibi ſeruit, & omnia cedunt,

Arbitrio ex omni ſubdita parte tuo.
Languida noſtra graui periiſſent corda dolore,
Ni tuus hæc placida ſermo leuaret ope.
Lapſa igitur p̃ te quia pectora noſtra reſurgũt,
Hinc tua perpetuo iuſſa tenore colam.
Largire ipſe modò auxiliũ, famulumq́ue tuere,
Qui, genitor, tuus eſt, ac tua iuſſa facit.
Legis enim ipſe tuæ dum quæro fœdera, tendunt
Inſidias hoſtes uitæ, animæq́ue meæ.
Longa tamen nunquam q; uis, ſcio, perſtitit ulla,
Mandati ſed enim ſtat uia lata tui.

M. Quàm diligo legem tuam.

Maius in hoc habeo quod amẽ nihil orbe, creator
Lege tua, hanc noctu perſequor, atq; die.
Me ſiquidem ipſa ſui nullo dum fine recordor,
Hoſtibus inuictum perficit eſſe meis.
Multa meis ſoleo melius ſentire magiſtris,
Atq; bona grandes uincere mente uiros.
Maxima dum ſacræ cura eſt mihi, et unica, legis,
Cæteraq́ue eloquijs poſt puto habenda tuis.
Munera tanta tui nam dum cuſtodio uerbi,
Greſſus obſeruo ſedulus uſq; tuos.
Mandatiq́ue uia, nec latum abſcedo per unguem
Ipſe tui, curſus nam regit illa meos.
Mellaq́ue ceu mulcent hominum dulcore palata,
Sic animi ſenſus recreat illa pij.
Mente odi tota conſortia praua malorum,

Nam

Nam lex prudentes nos facit eſſe Dei.

N. Lucerna pedibus meis uerbum.

Non ſecus atq; regunt nocturnos lumina greſſus,
Sic tuus eſt pedibus ſermo lucerna meis.
Nomine quæ uoui certo facienda, tenebo,
Iuſticiamquè tuam, iudiciumquè ſequar.
Nunc tamen in toto nihil eſt me uilius orbe,
Viuifica uerbo me, Pater alme, tuo.
Neu mea reijcias turbatæ uerba querelæ,
Sed ſine quo diſcam quæ tibi, ſancte, placent.
Namq; etiam in medio ſæuæ diſcrimine uitæ,
Præcepti, genitor, ſum memor ipſe tui.
Nec mala dum tendunt inimici uincula nobis,
A recta quoquam deuius erro uia.
Noſtra ſed æterni patrimonia uerba parentis
Semper erunt, animæ delitiumquè meæ.
Nullaquè propoſitū mutabunt tempora noſtrū,
Sed ſequar imperium quo uocat usq; tuum.

O. Fanaticos odi, & legem tuam dilexi.

Odi ueſana qui turbant omnia mente,
Pura equidem legis diligo ſenſa tuæ.
Omnis & in ſacro mea ſtat fiducia iuſſu,
Hoc ſcutum uitæ præſidiumquè meæ eſt.
Ocyus à nobis greſſus auferte maligni,
Præceptum Domini nam ſequor ipſe Dei.
O tua ſi reddant, genitor, mihi uerba ſalutem,
Nec ſpe confuſidi pectora noſtra ſinas.

Oſtende ex alto dextram, uultusq́; ſerenos,
Et uiuam, & pacti fœdus amabo noui.
Obteris ipſe tua quicunq; à lege recedunt,
Vt qui plena mala pectora fraude gerunt:
Oppreſſosq́; leui pedibus pro puluere linquis,
Quare iudicijs pareo ritè tuis.
Oraq́; præ gelida uix tum formidine tollo,
Præcepti quoties cogito iuſſa tui.

P. Feci iudicium & iuſticiam.

Puro ſancte tuam genitor colo pectore legem,
A falſa prohibe nomina labe mea.
Præſidijsq́; tuis dextraq́; tuere iacentem,
Nec ſpolium ſæuis hoſtibus ire ſine.
Penè tui longa ſpe lumina noſtra fatiſcunt,
Auxilium ſperant dum ſine fine tuum.
Porrige de celſo dextram Pater, & tua iuſſa
Quo ſint, erudias me, peragenda modo.
Prudentemque tuum fac ſeruum, animiq́; fidelẽ,
Legis ut agnoſcam iura tenenda tuæ.
Poſtulat, ecce dies, quæ tam mala ſæpe recurrit,
Vt tua defendas uindice iuſſa manu.
Propterea ſummi præſtabo fœdera Patris,
Hæcque Arabum regnis anteputata colam:
Perſequar, & quidquid legum eſt ubiq; tuarum,
Namq; uias odi turba prophana tuas.

Q. Mirabilia teſtimonia tua Domine.

Quàm tua mira Pater populis promiſſa uidẽtur,

Attamen

Attamen hæc animus ſpectat, amatq́ue meus.
Quanta tuo nobis paritur ſapientia uerbo?
Quæ mentes hominum format alitq́ue rudes.
Qualis & ipſe meos ad te Pater erigo uultus,
Quo potiar tanti muneris auxilio.
Quare age quos patrio miſeratus reſpicis ore,
Me quoq; de famulis quemlibet eſſe ſine.
Quaq́ue meos uerſum tendam, tu dirige greſſus,
Nec ſine deceptum fraude perire mala.
Quærentemque probris turbã me abducere falſis
Diſsipa, & intentus legibus ibo tuis.
Quaſſataſq́ue tuo res aſpice lumine noſtras,
Et tua cognoſcam fœdera iudicij.
Quo mihi ſollicito tentantur corda dolore,
Dum precium uerbi cerno iacere tui.

R. Iuſtus es Domine & rectum iudiciũ &c.

Rectus es ô magni facilis regnator Olympi,
Rectaq́ue iudicij ſtat uia tota tui.
Res, ſola, ante omnes tu præcipis eſſe tuarum
Legum perpetua iuſſa colenda fide.
Rurſus ego immenſi pereo inter damna doloris,
Hoſtes contemnunt dum tua iuſſa mei.
Reſplendet tua ſic, purgatũ ut in ignibus aurum,
Lex, genitor, ſeruis ſemper amanda tuis.
Rara igitur noſtro ſupereſt de nomine fama,
Præcepti ſoleo dum memor eſſe tui
Reſtabunt tamen æternos tua dicta per annos,

Franget & humanos lex tua uera dolos.
Raptus & in ſæuos patiar licet omnia fluctus,
Me tamen eloquij ſpes alet una tui.
Regnaq; dum cœli ſtabunt, tua uerba manebunt;
Quæ uiuam ſaluus ſi, Pater alme, ſciam.

S. Clamaui toto corde.

Surge Pater, totoq; exaudi corde uocantem,
Præcepti ut poßim iuſſa tenere tui.
Saluum de medio fac me diſcrimine rerum,
Dictaq; ſeruabo tempus in omne tua.
Siue etenim ſeram clauſere crepuſcula lucem,
Spes animum uerbi detinet una tui.
Seu iungit roſeos rediens aurora iugales,
Exercet ſermo pectora noſtra tuus.
Sollicitas igitur uoces miſerare precantis,
Et mihi uiuificæ redde ſalutis opem.
Stant prope ceruici qui nectunt uincula noſtræ,
Longè à iudicijs turba remota tuis.
Sed neq; tu genitor procul es, placidoq; iacentes
Erigis auxilio, & lex tua uera manet.
Semper enim ipſe tuæ ſic noui fœdera legis,
Vt quæ non ulla ſtent moritura die.

T. Vide humilitatem meam.

Te ſine commoneant noſtræ ludibria uitæ,
Et tua ſeruantem iuſſa tuere Pater.
Tute patrocinium labentis ſuſcipe cauſæ,
Et ueniat per te reddita uita mihi.

Turpis enim abſq; omni iacet impia turba ſalute,
Dum te contemnit, nec tua iuſſa colit.
Terra tuæ, genitor, plena eſt bonitatis, et æther,
Noſtra age præſidio ſuſcipe fata tuo.
Tot licet inſidias tendit gens impia nobis,
Deſerui legem non tamen ipſe tuam.
Torqueor immo magis mentes cũ ſpecto propha
Qui tua non ullo uerba timore colunt. (nas,
Tanta igitur legum cum ſit mihi cura tuarum,
Verbo me differs uiuificare tuo?
Tota tui ſiquidẽ ſumma hæc, atq; unica uerbi eſt,
Verum ut perpetuos ſit, maneatq; dies.

V. 1. Principes perſequuntur me.

Vndiq; et immeritò uis me premit arcta potentũ,
Et tamen eloquij fœdera ſeruo tui.
Vtq; ſolet ſpolijs qui gaudet onuſtus opimis,
Sic Pater ex uerbo gaudeo ſancte tuo.
Vltro mendaces quoniam deteſtor, & odi,
Solaq; iudicij diligo uerba tui.
Vna dies igitur laudum ſeptena tuarum
Dona capit, leges hoc meruere tuæ.
Vti quæ placidè faciunt hos tempore pacis,
Quicunq; à recta non abiere uia.
Vllaq; diſpeream, placidè ſi uiuere poſſum,
Quæ non ſpe uerbi tempora duco tui.
Vrget enim deſiderium, & pia cura tuarum
Legum, quas puro ſemper amore colo.

Vnica meq́; tui tenet obſeruatio uerbi,
Solus qui recte, qui malè facta uides.

V. 2. Appropinquet clamor meus.

Vultus ante tuos ueniat mea, ſancte, querela
Conditor, ab uerbi uim mihi trade tui.
Votaq́; commoneant animæ tua pectora noſtræ,
Et mea iudicio protege facta tuo.
Voce mea laudum præconia plena tuarum
Cantabo, ſi quæ ſit uia recta, ſciam.
Verbaq́; ſublimes fundam ferientia cælos,
Nam tua iuſticiæ fœdera pondus habent.
Vertice ab excelſo placida modò protege dextra
Quem ſpes eloquij ſuſtinet una tui.
Venturam ſiquidem, Pater optime, ſpero ſalutẽ,
Solaq́; delitiæ ſunt tua dicta meæ.
Viuat age, & merita celebret tua nomina laude
Mens mea, iudicij tuta fauore tui.
Verè equidem ſolis erro uelut agnus in hortis,
Præcepti memorem ſuſcipe ſancte tui.

PSALMVS 125. *Qui confidit in* Domino.

QVI *ſua cæleſti commiſit uota parenti,*
Fixit & in ſummo ſpemq́; fidemq́; Deo,
Non illi tumidis fortuna inimica procellis,
Non uires hominum, non nocuere minæ.

Sed

Sed uelut immoto ſtant uertice clara Sionis
Caſtra, nec ullius uim timuere Noti.
Sic ſtabunt Domini quorum fiducia mentes
Erigit, & dextræ ſpes ſouet alma piæ.
Aſpice quæ clarum cœlo caput extulit urbem,
Quæ gaudet Solymi nomine ſancta Ducis.
Quàm bene munita eſt, quali circundata muro,
Tutáq; quàm multo mœnia colle gerit.
Hanc Dominus placidi tutatur numine uultus,
Et populum patria protegit ipſe manu.
Nam neq; iuſtorum terrebit corda Tyranni
Vis, aut innocuos impia ſceptra prement.
Nec pia ſupplicio pendebunt pectora diro,
Aut pœnas quales qui meruere luent.
Dum modò non uano mundi retinentur amore,
Peruerſis animos adijciuntq; uijs.
Quo metuant iuſti, quantumuis læta malorum
Sors erit, iniuſtis iungere corda uiris.
Nec rerum placidis capti ſucceſsibus, iram
Accerſant in ſe, teláq; certa Dei.
Nam Pater omnipotens ſeruabit pectora iuſta,
Omniáq; his faciet, quæ bene facta iuuant.
At qui diuerſo declinant tramite greſſus,
Et uanas hominum ſponte ſequuntur opes:
Non illis uitæ curſum, non facta ſecundat,
Non illis ulla tempora pace regit.
Perfida ſed diro condemnat corda timore,

Impiaq́; æterna pectora nocte premit.
O genus Iſrael ſummo confide tonanti,
Et uenient rebus tempora læta tuis.

PSALMVS 129. *Sæpe expugnauerunt me.*

DIC *age diuinas Iſrael carmine laudes,*
Et dic à puero talia multa tuli.
Triſtia multa tuli teneris mox natus ab annis,
Et ſtat adhuc nullis mens mea uicta malis.
Sed quæcunq; ſtruunt inimici uincula nobis,
Tempus ad hoc capiti nil nocuere meo.
Illi ſæua quidem diſcrimina ſæpe minantur,
Intenduntq́; animis retia mille pijs.
Ac uelut impreſſo proſcindit uomere terram,
Et latè innocuam ſulcat arator humum.
Sic tacitè noſtrum perarantes uulnere tergum,
Deducunt ſulcis iugera multa ſuis.
At Dominus iuſtus uires diſiecit iniquas,
Rupit & impoſiti uincula uana iugi.
Ah pereant omnes, meritoq́; pudore rubeſcant,
Inq́; dies recidant longius, inq́; dies.
Qui tua ſancta Sion oderunt fata, tuumq́;
Nobile pro nihilo nomen habere ſolent.
Atq; ijdem modica uaneſcant temporis hora,
Et ſubitò expertes omnis honoris eant.

Non ſecus ac ſummis naſcentia gramina tectis,
Vltro quæ nulla falce reſecta cadunt.
Vnde leues nũquam potuit complere maniplos,
Horrea qui fœnum condit in alta nouum.
Nec ſit qui ueniens uicinis hoſpes in agris,
Vlla iuuet ueſtrum gratia, dicat, opus.
Inuocet aut Domini peragendis munia rebus,
Aut cœptis optet proſpera fata uijs.
Sed fera ſupplicio dependant facta carentes
Præſidioq; hominum, præſidioq; Dei.

PSALMVS 130. De profundis clamaui ad te.

HAS miſer ex imis ad te Pater alme tenebris
Mitto ſollicitas ore gemente preces.
Aſpice qui curas hominum, caſusq; leuare,
Et feßis præſens rebus adeſſe ſoles.
Et te ſi qua mouet uocis querimonia noſtræ,
Exaudi lachrymis uerba liquata meis.
Nam neq; confugij locus, aut ſpes ulla relicta eſt,
Nec quo ſe referant lumina noſtra uident.
Sed uelut obſcuræ preſſus caligine noctis
Erro, nec eſt uirtus roboris ulla mei.
Nec, niſi larga tuæ ueniat clementia dextræ,
Auxilium totus, quod ferat, orbis habet.
Siue etenim noſtræ cenſebis crimina uitæ,

Crimina quo tolli iudice noſtra queant?
Siue uoles merita damnatum plectere pœna,
In pœnas equidem non ſatis unus ero.
Quo tua nunc ſupplex diuinæ numina mentis
Imploro, dextræ præſidiumq́; tuæ.
Namq; ſoles omnes tu ſolus tollere clades,
Et facilem dubijs addere rebus opem.
Nec ſinis ut noſtræ ualeant magis horrida uitæ
Crimina, quàm uultus gratia larga tui.
Scilicet ut uideant omnes Patremq́; Deumq́;,
Et tua perpetua nomina laude colant.
Aßiduis igitur ſperent mea pectora uotis,
Atq; animos Domini ſpes alat una meos.
Verbaq́; turbatæ referant ſolatia menti,
Qualia diuino protulit ore Pater.
Hæc mihi ſeu ueniet, ſeu clarus Apollo recedet,
Quæ faciat curas, cura ſit una, meas.
Inclyta dilecti Domino domus Iſraelis
Feſſa creatori pectora trade Deo.
Qui tibi læta dabit mutata tempora ſorte,
Et referet pacis munera grata bonæ.
Et mala depellet, quæ te modò plurima lædunt,
Et ueniet cœptis aura ſecunda tuis.
Solus enim feſſas hominum res excipit ille,
Aegraq́; multiplici pectora ſanat ope.

PSALMVS 131. Domine non eſt exaltatum.

Languide

LAnguida q placido ſolaris pectora uultu
Aſpicias oculis me Pater alme tuis.
Nā neq; ſublimes agitāt mea pectora curæ,
Ardua nec ſenſus cogitat ulla meus.
Nec mea ſe tollunt odioſo lumina faſtu,
Vltra quàm uires, fataq; noſtra ſinunt.
Sed iaceo ſupplex animo deiectus egeno,
Vix tenuis magni puluis, & umbra ſoli.
Expectoq; leni dum ſors affulgeat aura,
Et Domini ueniat gratia larga mihi.
Nec me diuitiæ, nec me terrena poteſtas,
Nec toga purpureo tincta cruore iuuat.
Qualia mirantur quorum fiducia mundo,
Et ſpes humana nititur omnis ope.
Sed uelut ad gremium matris ſe colligit infans,
Vbere quem nuper depulit illa ſuo.
Atq; ſitim lachrymis teſtando, alimēta repoſcit,
Et ſolitam mœſta uoce precatur opem.
Sic tua perpetuis depoſco fletibus ora,
Auxilium ſpero dum, Pater alme, tuum.
Hoc precor, hoc unum mœſtæ ſolatia menti
Afferet, atq; animæ robora uera meæ.
O genus Iſacidæ, Domini dilecta propago,
Ne tibi ſpes ullo concidat iſta metu.
Sed Dominum totis expecta uiribus, uſq;
Sidera dum cœlum, dum mare paſcet aquas.

PSALMVS 132. Memento Domine Dauid.

OMnipotens genitor reru cui ſumma poteſtas,
Quas uel habet tellus, quas uel Olympus habet.
Sis memor Iſaidæ poſt tempora tanta parentis,
Quo mala uix alter, damnaq; plura tulit.
Dum ſequitur iuſſas à te, Pater optime, leges,
Mandatiq; uias itq; docetq; tui.
Scis etenim tecum quæ quondam fœdera iunxit,
Qualia promiſit pacta tenenda Deo.
Atria, cum dixit, nunquàm ſpectabo meorum,
Aut noſtræ cernam limina nota domus.
Lumina nec placidam capiãt mea feſſa quietem,
Aut thalami tangam mollia ſtrata mei.
Donec quæ placeant Domino tentoria noſtro
Inueniam, & forti debita templa Deo.
At modo in Ephratis audita eſt fama, repertum
Quæ talem Domino diceret eſſe locum.
Et nos frondoſo Libani ſub uertice montis
Hanc fidem, genitor, uidimus, ecce, tuam.
Et nunc ſubnixi cellas intrabimus altas,
Ante tuos dabimus uotaq; noſtra pedes.
Quare age, tanta bona ſubeas habitacula pace,
Et tege præſidijs hæc noua templa tuis.
Atq; tuam exalta placido ſub limine dextram,
Hæcq; tuos currus hæc gerat arma domus.

Hic noua iuſticiæ faciat tibi uota ſacerdos,
Et cadat ante aras hoſtia uiua tuas.
Hic noua læticiæ carpant quoq; munera ſancti,
Et ducant animæ gaudia uera piæ.
Tu modo promiſſi ne mutes fœdera Chriſti,
Neúe trahas regni tempora ſera noui.
Per tua Dauidem qui nunquam iuſſa neglexit,
Per ſi quid placitum hic quod tibi fecit erat.
Sed tua lata ſemel maneat ſententia, donec
Euentus uideat ſpes rata facta ſuos.
Hæc etenim genitor iuratus fœdera quondam
Diceris Iſaidæ certa dediſſe patri.
Nata tuo ueniet (dixiſti) ſanguine proles,
Cui ſolium regni, cui tua ſceptra dabo.
Qui patrijs totum pacabit legibus orbem,
Ponet & in celſa caſtra Sione ſua.
Hinc tua poſteritas ſi fœdera noſtra tenebit,
Nec colet externos, numina uana, Deos.
Et tua poſteritas, & qui naſcentur ab illa,
Accipient regni ſceptra gerenda tui.
Hisq; ego nec metã rerum, neq; tempora pono.
Hæc eadem ſeries unaq; ſemper erit.
Nam magis umbroſa placuit mihi nulla Sione,
Nec ſedes animo gratior ulla meo eſt.
Hãc ego delegi, hanc omnes habitabo per annos,
Dum repetent curſus ſidera clara ſuos.
Hinc ego fœcundæ donabo tempora meſſis,

Annua ſpumanti prælaq́; plena mero.
Hîc mihi pro parta facient noua ſacra ſalute,
Et peragent ſancti gaudia læta uiri.
Hîc pia Dauidis florebunt regna beati,
Eriget hîc cornu roboris ille ſui.
Et nouus incipiet toto inclareſcere mundo,
Qui ſedeat regni Chriſtus in arce mei.
Cuius ego multis ſuperatos cladibus hoſtes,
Contũdam, & tenebris arma uirosq́; premã.
Solus ut æterno per ſæcula cuncta gubernet
Imperio, & fines neſciat ipſe ſuos.

PSALMVS 133. *Ecce quàm bonum.*

Optima cunctarũ longè eſt concordia rerum,
Quæ parit innumeris gaudia miſta bonis
Namq́; uelut Solymis redolent naſcentia terris
Atq; ſalutifero balſama rore fluunt.
Balſama quæ ſacro ſtillant Aaronis ab ore,
Atq; replent totum corpus odore ſenis.
Aut uelut arentes reficit ros humidus agros,
Excelſa Libani ſi quis ab arce uenit.
Lethali quoties exurit Sirius æſtu
Campos, & flammis proterit arua ſuis:
Sic hominum tenues reparat concordia uires,
Et ſecum multis commoda rebus agit.

Nam

Nam Pater ex alto qui cœli uertice regnat,
Qui tenet imperio cuncta creata ſuo.
Diligit è cunctis, placidoq́; fauore tuetur,
Mutua quos pacis iunxit amore fides.
Illis ex alto fortunam præbet Olympo,
Et cumulat multa proſperitate domum:
Illis & natos, & pignora cara nepotum
Multaq́; magnarum gaudia donat opum:
Et regit euentus, & curſus dirigit omnes,
Et mala depellit numine cuncta ſuo.
Dum placidam uitæ contingant tempora metam,
Et ueniat ſero grata ſenecta pede.

IDEM ALITER.

Omnibus humanis præſtat concordia rebus,
Dulcius hac nihil eſt, utiliusq́; nihil.
Nec magis ambroſio quondam liquentia melle,
Spirant Inda tui Balſama cara ſoli:
Balſama Leuidæ quæ ſummo uertice patris
Manant, & ſuaui membra liquore rigant.
Aut etiam arentes urit cum Sirius agros,
Et longa pereunt languida prata ſiti.
Gratior è celſa Libani ros funditur arce,
Qui reparet pluuia gramina fiſſa ſua.
Quàm fœlix hominum aſpirat concordia rebus,
Et malè quaſſatas fulcit & auget opes.

Summus enim liquidi qui cœli regna gubernat,
Qui regit & terras, & freta longa Pater,
Reſpicit ex alto concordes æthere mentes,
Et iunctas firma pacis amicitia.
His largitur opes, & longæ tempora uitæ,
Auget & optata poſteritate domum.
His dulces uuas, & lætas præbet ariſtas,
Et quodcunq; boni commoda pacis habent.

FINIS LIBRI QVIN=
ti Syluarum.

Apelles Ægy=
ptius, ſeu calum

NIA, FABVLA SCENICA, AN
TEHAC NONDVM
EDITA.

AVTORE IACOBO MICYL
lo Argentoratenſi.

1 5 6 4.

GENEROSO COMITI
AC DOMINO, DOMINO GEORgio *Comiti Erbacenſi, Eberhardi filio, Domino ſuo.*

SVperiòribus menſibus cùm ex Italia reuerſus, parentis mei dilectiſsimi Syluarum libros imprimendos Typographo dediſſem, eoſque ſub patris tui tutela ac patrocinio publicandos exiſtimaſſem, Generoſe Comes, hòc quoq; eiuſdem aütoris breue & dramaticum poema, paulò poſt repertum, ijſdem addendum, ac tibi potiſsimum dedicandum putaui, cùm quòd Comicum hoc dicendi genus, & in eo conuerſatio, ætati tuæ gratior, & congrua magis futura uidebatur, tum quòd per ſe nihil aliud, quàm communis ac humanæ uitæ ſpeculum, Comœdiæ nobis quaſi in-

tuendum exhibeant. Nam præter ſermonis elegantiam, ac uerborum & ſententiarum copiam, quæ in ijs iuuentutem plurimum delectat, & ingenia hominum acuit, etiam uarias fortunæ, ac uitæ humanæ uiciſsitudines, uarios & inſperatos rerum euentus, uarios deniq; hominum mores, qui & ipſi pro præſentis uitæ qualitate & conditione ſubinde uariantur, ſpectandos ob oculos nobis ſiſtunt. Etſi autem hoc præſens poema, ueterum in dicendo facilitatem & elegantiam, non ita omnino fortaſsis exprimet, aut lectioni tuæ ſatiſfaciet, argumentum tamen certè non minus elegans, & in communi hominum uſu poſitum, continet. In quo legendo tu quoque lubentius uerſaberis, ut ſiue ipſe in alijs regum aut principum aulis aliquando exiſtes, ſiue propriam ipſe aulam reges ac gubernabis, ad omnes fortunæ euentus uitam accommodare, & uarios hominum mores,

ex

ex hoc quaſi ſpeculo quodam, præuidere aliquando poſsis. Peculiare hoc eſt, cùm in omni uitæ genere, tum in aulis præcipuè, ut pręclara hominum uirtus, interdum æmulorum inuidia ſupprimatur, opprimi tamẽ non poſſit. Quin ut Cicero pro Seſt. ait: uirtus in tempeſtate ſæua quieta eſt, & lucet in tenebris, & pulſa loco manet tamen, ſplendetque per ſe ſemper, nec alienis unquam ſordibus obſoleſcit. Eſtque, ut idem alibi ait, altiſsimis defixa radicibus, quæ nunquam ulla ui labefactari poteſt, nunquam dimoueri loco. Perinde enim ut Sol nubibus interdum tegitur, nũquam tamẽ lucem amittit, ſed pluuijs ac nebulis depulſis, magis magiſq; eluceſcit, ac ſplendore ſuo terram ac res humanas clarius illuſtrat: ita interdum præclarorum uirtus, æmulorum inuidia ſuppreſſa, ueritate, quæ temporis eſt filia, tãdem patefacta, omnes prioris uitæ maculas abſtergit, & innocẽ

tiam ſuam declarat. Quę omnia in eo potiſsimum ſita ſunt, pro eo atque regum ac principum animi, uel bene uel malè ab ijs, qui circa èos ſunt, informãtur, qui ut facilè cum inſtructi malè fuerint, etiam benemeritis iraſcuntur, ita quoq; facilè, re melius cognita, conceptam animi indignationem remittũt, & ad priorem clementiam redeunt. Nam, ut ille ait,

Quo quisq; eſt maior, magis eſt placabilis iræ,
Et faciles motus mens generoſa capit.

Sic in præſenti hoc poemate, Ptolemæus hic Aegyptius, tametſi ſummopere amplecteretur ſcientiã & artem Apellis, nec de eius uita quidq; mali ut ſuſpicaret, perſuaderi diu poſſet, tamen Calumniæ tandem blanditijs, & aliorum confirmatione uictus, ut uehemẽtiſsimè erga innocentem illum & inſcium Apellẽ excandeſcebat, ita rurſum poſtea ueritate cognita, indignatione remiſſa, eundem in gratiam recipiebat, ac uiuum eum,

cuius

cuius perſuaſu ad eam indignationẽ adductus erat, poteſtati ac ſeruitio Apellis dedebat. Quam quidem fictionẽ idcirco tibi dedico, Generoſe Comes, ut ſi eam legens, ac dubiam huius Apellis fortunam, qui ſummo in loco, & in gratia apud regem conſtitutus erat, intuens, ipſe aliquãdo iſta tecum animo uoluas, & inconſtantiã & inſtabilitatem fortunæ in utramqꝫ partem perpẽdas, nec à uirtutibus æmulorum inuidia deterreri, nec à clementia erga ſubditos, maleuolorum conſilijs abſtrahi te, & ad celerem uindictam incitari unqꝫ patiaris. Quod te, pro eo ut es pręclara indole, illuſtri & generoſa progenie natus, & ſub fideli pręceptore bene ac liberaliter inſtitutus, etiã non admonitum facturũ facilè, uti re ipſa declaras, ita inprimis ad idem faciendum te adhortantur pręclariſsima tuorum exempla ob oculos tibi poſita, patris tui Eberhardi, & patruorum Georgij & Valentini,

uirorum Illuſtrium et generoſorum. Domeſtica enim talium exempla in utranque partem plurimum habere ponderis ad incitandos animos ſuorum, eleganti hac Aeneæ ad Aſcaniũ filium oratione Vergilius oſtendit:

Diſce puer uirtutem ex me, uerumq; laborem,
Fortunam ex alijs. iam te mea dextera bello
Defenſum dabit, & magna inter præmia ducet.
Tu facito, mox cum matura adoleuerit ætas,
Atq; animo ueterum repetẽtem exempla tuorũ,
Te pater Aeneas, & auunculus excitet Hector.

Hoc ego ad te, Generoſe Comes, non meum quidem, ſed tamen obſeruantiæ erga te meæ, munus offero, quo tibi ego me commendo, & ut id ipſum in tutela ac patrocinio tuo eſſe patiaris, etiam atq; etiam uehementer oro. Heidelbergæ Calend. Ianuarij, Anno 1564.

Iulius Micyllus
Iacob. fil. D.

Iacobi Micylli

APELLES AEGYPTIVS.

Fabula Scenica.

Perſonæ Dramatis ſunt.

Antiphilus	pictor
Chromylus	ſeruus
Phthonides	ſenex
Diabole	meretrix
Mneſilochus	ſeruus
Hypoleptor	
Anoëmon	aulici.
Colacides	
Ptolemæus	Rex
Apelles	pictor
Veritas	Dea
Metanœa	anus.

ARGVMENTVM.

Pictorem habebat rex, Apellem, Aegyptius,
Quem muneribus ornabat ipſe plurimis,
Id alter Antiphilus Apellis æmulus

Aegrè ſerens, fraudem huic parauit clanculum,
Phthoniden rogat, qui filiam Calumniam
Subornat, ut apud regem Apellem deſerat,
Tanquàm Theodotæ proditoris conſcium.
Commotus igitur rex Apellem in carcerem
Compingit, ut occideret: ſed ueritas
Delapſa cœlis, rem patefacit & dolos.
Antiphilus ergo in ſeruitutem deditur
Apelli, & ipſe à rege lætus recipitur.

ACTVS PRIMI,

SCENA I.

CHROMYLVS *ſeruus.*

EGO, *ſpectatores, huic Antiphilo ſeruio,*
In hiſce qui habitat, quas uidetis, ædibus.
Puero nomen dedere æquale Chromylo:
Quoniam operoſus, & pingendo deditus
Aſtragalos, chartas, tabulas, & quodcunq; erant
Nactus, ſolebam uariegare coloribus.
Primaq; ætate ſpecimen tum illius dabam
Artis, cuius me gratia herus nunc poßidet.
Sed cur exierim, ſi placet, accipite auribus:

Non

Non ita nuper, huc alter pictor uenit
Apelles, arte excellens, atq; gloria,
Quam illi maximam peperit ſcientia.
Hunc rex Ptolemæus diligit præ cæteris,
Eumq; muneribus donat, & honoribus
Amplis, & ut ne multa dicam, regijs
Exornat. Id meus hic herus poſtquam uidet,
Seſe contemni putat, & pro nihilo ſuam
Operam duci atq; artem, patitur ægerrimè.
Ideoq; iam diu ſecum deliberans,
Nec ullum certum conſilium ipſe reperiens,
Quo pacto ulciſceretur contemptum ſui, (ret,
Fraudemq; aliquã, aut damnũ huic Apelli intẽda
Quem ſibi putat uerſari ante oculos æmulum:
Vocauit ad ſeſe intrò neſcio quem ſenem,
A quo conſilium accipiat, & tacitos dolos,
Quibus inopinatum illum miſerè ſupprimant:
Vt ſemper figulus odit figulum, & artifex
Quo ipſe nequit peruenire animi ob inertiam,
Demens, eò perueniſſe alteri inuidet.
Nam quanquam meus herus ſuæ èſt artis ſatis
Peritus, illius, ut audio, tamen aſſequi
Ingenium, & artem, & uirtutem minimè poteſt,
Quamobrem iratus hæc nunc peßima cogitat.
Quæ neúe audire, neúe queam cognoſcere,
Foras me ablegauit in arcem ad ſocerum ſuum,
Quem dixit nunc habere neceſſe opera meæ.

Eò nunc eo, uos interea quid captent ij conſilij
Cognoſcite, & miſero perniciem quam ſtruunt.
Nam eccos hîc ambo progrediuntur foras.

II. SCENA. ANTIPHILVS ET PHTHONIDES.

QVID *igitur ut faciã ſuades, quidúe capiam*
Conſilij, aut quid nunc primum Phthonide
perſequar?
Ego ut ita me contemni, & indignis modis
Artem meam eſſe deſpicatui, feram?
Nec preciũ aliquod deinceps ſperem laboribus,
Quos hactenus tanta cum laude pertuli?
Non patiar, et ſi magnum pro hac re malum mihi
Sciam futurum. Nam ubiuis gentium uolo
Potius quàm hîc nũc contemptus uiuere. PHTH.
Scilicet
Eſt miſerum & indignum hoc, neq; homini libero
Vllo ferendum pacto. Ita enim & uulgò monent,
Vbi non ſis, qui fueris, non eſt cur uelis
Viuere. ANT. *Egon' illum ut patiar coram mi-*
hi ob oculos
Obambulare diutius, nitidum, bene
Veſtitum, cultum, diuitem, charum omnibus:
Mori ſatius puto. Proinde dum licet,
Dumq; eius eſt fortuna recens, nec dum noua

Radices

Radices egit ubiq; amicitia, dare
Operam uolo, ut ne perpetua hæc illi ſient.
Scilicet illius inueniam exitium bonis,
Aut lucem hanc oculis meis aſpicere deſinam.
PHT. Rectè me Hercle tute tecum, & fortiter.
Namq; hoc ſi poſſis, neq; prius, neq; melius
Quidquam faciendum cenſuerim. Nam te quidem
Vel turpiter eſurire, uel hunc expellere
Omnino oportet, hîc nihil eſt iam tertium.
Quid enim illi reſtat, aut quid deſit amplius,
Cur non protinus apud regem ſummum locum
Summamq; gratiam omnium conciliet ſibi:
Cuius opera non hominis, ſed alicuius dei
Rex ipſe, & regis aſſentatores putant.
Nec longè abeſt, quin pro artifice uel Satrapa
Præclarus ille nobis redeat, ſcilicet:
Tanta illi quotidie præbentur munera,
Argentum, aurum, ueſtis, regum donaria.
Quapropter niſi maturè proſpicias, tui
Mox, ut Megarenſium, nulla futura ratio eſt.
ANt. Id quidem uideo, et id eſt cur me excrucio miſer,
Eaq; te hîc conuentum uolui gratia,
Vt ſi quid poſſes, conſilium dares mihi.
Nam & antè fidẽ expertus aliquoties ſum tuam,
Quamq; paratus promptusq; iuuando ſis, ſcio.
Proinde ſiqua cura tui Antiphili tibi eſt,
Conſilium properè reperi, quo me retineas

Saluum incolumemq́;, qui niſi iſtum potuero
Sceleſtum ulciſci, uitam deſpondeo meam.

PHT. *Dij melius, nam quanq̃ eſt difficilè, non tamen*
Patiar, ut hic inultus eat, & tu mihi
Pereas, ſed potius omnes intendam meas
Vires, animumq́; dum te conſilio iuuem.
Atq; adeo, ſi audire uoles me, iam repperi
Quo pacto in inſidias præceps mittamus hunc,
Vt dum bene atq; rectò habere ſe putat,
Imprudens omnium pereat, atq; inſciens,
Citiusq́; extinguatur quàm ſe extingui æſtimet.

ANT. *Hoc eſt quod cupio, ſicq́; exoptem maximè:*
Nam quiſquis eſt in magno apud magnos loco,
Ei aperta nemo facilè nocuerit uia,
Semper enim quod uidet uitat facillimè,
Splendore dum ſuo uultus regum occupat.
Proinde melius nihil, aut efficatius,
Ad hoc quod uolumus, erit, quàm ſi tacito modò
In inſidias trahi queat, atq; clam opprimi,
Quare hoc quodcunq; eſt conſilij, narra obſecro.

PHT. *Auſculta igitur. Eſt mihi gnata hic in proximo,*
Diabole græcis dicta, nos Calumniam
Vocamus, facie pulchra, moribus elegans,
Venuſta corpore, atq; inceſſu regia,
Facilis loquendo, ac prompta, uerbis callida,
In abſentes quodcunq; facinus fingere
Docta, ac diſerta adeo, ut quoties ſua

Oratione

Oratione uera falſis miſcuit,
Hominum animos graui uelut œſtro concitos,
Quocunq; libet impellat, atq; pertrahat.
Perquàm familiaris, conſuetaq; regibus,
Regumq; ſeruis, nec non omnibus aulicis,
Et quoties uult, facilè quidquid uult impetrat
Ab illis, ſic hanc omnes æquè diligunt.

ANT. Nimirum hanc dicis, nuper quæ in regia
Ornata ueſte, quali conſpicimus ferè
Reginas, aut reginarum ire pellices,
Cum rege plurima aſsidebat quæritans,
Commota uultu, atque animo inflammata admo-
dum.

PHT. Nempe hanc. ANT. ſed quid facies illi Phtho-
nide cedo?

PHT. Tace audies. Diebus hiſce proximis
Audiſtin' quale facinus auſu'ſt Theodotas
Is quem Tyro præfectum rex huic fecerat,
Qui ciues concitans ad arma, arripuerat
Regnum ſibi, ſuiſq; fraudem machinis
Regi ſtruebat, & toti Phœniciæ,
Siue ambitione, ſiue auaritia æſtuans,
Quæ duo homines in omne præcipitant ſcelus.

ANT. Audiui, & illud eſt quamobrem, ut arbitror,
In carcerem abductu'ſt, uinctuſq; nunc iacet,
Mox prædam canibus daturus, & uolucribus.
Sed perge porrò, haud dum etenim intelligo.

Quid ſibi uelit de Theodota hæc narratio.

PHT. *At mox intelliges. Nam poſtquam in uincula*
Is coniectu' ſt, ut omittam alia, atq; redigam
Ad pauca, cœpit ilico rex inquirere
Vndiq;, quicunq; dicebantur conſcij
Fuiſſe ſceleris, & participes conſili,
Eosq; colligat, & paßim uinctos necet:
Tantaq; regi eſt ulciſcendi cupiditas,
Vt neq; purgantes, neq; precantes audiat,
Sed mox ut quiſq; eſt nominatus conſcius,
Cauſa indicta, rapitur ad ſupplicium miſer.

ANt. *Non mirum iratus iſta ſi ipſe rex facit,*
Nam nunc nihil æquè optarim, quàm ſi poßiem
Vlciſci, damnum qui dedit rebus meis.
Sed loquere porrò. PHT. *Filiã igitur hãc meam*
Subornabo dictis, & cauſam ei ſcilicet
Omnem narrabo, & compellam æquè callidè
Confiсto crimine, compoſitisq; fraudibus
Apellem deferat, ut Theodotæ conſcium:

ANt. *Theodotæ conſcium, qua ratione poterit*
Quoúe argumẽto hoc perſuaderier? PHT. *Tace,*
Quaſi ratio deſit illi, Dicet ſcilicet,
Tyri fuiſſe Apellem, atq; ibi cum Theodota
Conſilia uiſum ſerere crebrò clanculum,
Noctuq; illius ſectatum conuiuia,
Atq; inter conuiuandum in aurem colloqui
Solitum, ſecreta qualia plerunq; ij ſolent,

Animum

Animum quicunq; ad facinus impellunt malum.
Nam poſtea ſic euentum docuiſſe omnia,
Defeciſſe Tyrios authore Theodota,
Peluſiumq́; Apellis ſuaſu deditum
Captumq́; fuiſſe, quid? niſi conſilio foret
Adiutus ille huius, nunquam captum foret.
Hæc atq; alia, quoniam ad regem illa deferet
Meditata, atq; ipſa ornata corpore,
Quali ſolet exornari tunc, cùm maximè
Impellere regem uult, & amore accendere,
Facilè obtinebit, ut damnatum eliminet
Saltem ſi pœnam nolet, ut à ſonte, capere.

ANT. *Placet conſilium, ſed quemnam uerbis dabit*
Colorem, quam ùe cauſam ſatis idoneam
Inueniet, ut de abſente, & tam charo omnibus?
Quid illa regi dicet, ut hæc perſuadeat,
In animum ut inducat, uera eſſe, credere?

PHT. *Atqui iſtud eſt, ubi magnificè effert illa ſe,*
Hîc poſitum habet palmarium illa quod petat,
Oratione ut ficta animos impellere
Et concitare, quantum & quo libitum eſt, queat,
Vera ut quæ dicit eſſe, qui audit, æſtimet.
Prætereà docta eſt, tempus quærere commodum,
Locumq́;, & cauſas proſpicere, ut regẽ occupet
Semotum à rebus atq; hominibus cæteris,
Quando abſq; teſte & arbitro ipſa audirier
Poteſt, nec adeſt coràm ut cauſam ſuam

Defendat, is quem petimus. Hic igitur ſua
Illa artes expediet, uiamq; reperiet,
Ex hac miſeria quæ leuet te, & illius
Exitium capiti, atq; ærumnas ferat malo:
Nec uerò ut ſatis iraſci aduerſus hunc queat
Dubites. Nam modò qui tantis fremuit æſtibus
Tantoq; furore tot ſtrages hominum ædidit,
Cuiusq; recenti adhuc ab igne animus calet,
Eum facilè uerbis, ut uolet, accendet ſuis.
Nam ut ignis facilè flammas recipit ſuas,
Qui modò ſopitus ſub cinere tenui latet,
Sic ira facilè renouari poteſt, ea
Cuius adhuc recens animo hæret memoria:

ANt. Pulchrũ me hercle, conſiliũ atq; inuentũ, optimè,
Cuius equidem compos ſi fiam, ſcilicet
Reuiuiſcam. Proinde Phthonide quàm potes
Appropera, gnatã hortare, & conſilio inſtrue,
Hanc nobis ſpem ut efficiat properè ac ſedulo,
Qua una effecta ſeruabor, fruſtrata occidam.

PHT. Seruabere, rectè ſpera. Atq; ipſe adeo tibi,
Vt ne quid ubiq; officij in me deſideres,
Gnatæ præibo, hærentem ſubmonebo. age
Num ſatis, amicum quod decet, agere uideor?

ANt. Imò optimè, atq; ob eam rem te iam plurimum
Amo. PHT. Credo. At nũc ibo, interea tu me domi
Expectes facito, læto ubi te mox nuncio
Reficiam rediens. ANT. I, atq; rem cura bene.

Non

Non dubium eſt, quin ex hoc conſilio maxima
Turba miſcebitur aula tota. Adeo quidem
Credibile nunc eſt, quidquid Phthonides inuenit;
Author conſilijs reperiundis omnium
Facilè aulicorum princeps atq; acerrimus.
Sed ego quid illic fiat non magni æſtimo,
Dum ulciſcendo illum animo geram morem meõ.
Namq; omnes quibus eſt animus accenſus aliquo
Dolore, ac feruet intus ægritudine,
Quodcunq; alijs mali eueniat, parum id quidem
Faciunt, dummodo dolorem ulciſcantur ſuum.
Ibo iam hinc intrò, ut redeuntem expectem domi.

ACTVS SECVNDI, SCENA PRIMA:

COLACIDES *Aulicus.*

PRofectò haud ſtultè ſapuit quiſquis is fuit,
Qui dixit: pulchrũ eſſe, ut equus portet, rex alat:
Nam nihil ubique eſt melius, quàm bene regibus
Seruire, & eorum cuſtodire gratiam.
Quæ duo qui poterit, is nimirum ætatem aget
Multo omnium ſuauiſſimam & pulcherrimam.
Nam ego quidem, qui natus ſic annos iam ferè

Quinquaginta, meliorem uitæ regibus
Partem ſeruiui, ac ſtudui rebus aulicis,
Neq; ibi me quidquam ſubijt hactenus odij,
Neq; aliquid adeo pertuli moleſtiæ.
Quoties officium poſcit, quod breue tempus eſt,
In aula ſto expectans, quod mihi rex imperat,
Id ubi confeci, (neq; enim ualde eſt arduum,
Vt nunc ſunt reges, iuſſa illorum perſequi)
Mox deinde foras quoquo lubitũ eſt, deambulo,
Aliâs amori, aliâs operam dans aleæ,
Breuiter quocunq; uoluptas me, aut animus rapit
Eò feror, atq; in eo me exerceri ſino,
Donec longum ocioſus exigam diem.
Veſtitus, cultus, nitidus, miniatus probè,
Diues, honoratus, notus, charus, deniq;
Animo, quàm rex ipſe, aliquanto beatior.
Atq; hoc mihi morum facilitate contigit,
Qui ſic me gero, ut offendam facilè neminem:
Arrideo omnibus, quod quiſq; facit probo,
Præſertim regi, quidquid ait aſſentior,
Eius conſilia, ut ſumma, laudibus euelo,
Nec quidquam reprehẽdo quod ille comprobat.
Namq; ij qui ſunt ſeueriores quàm decet,
Et qui nil niſi quod rectum eſt laudãdum putant,
Næ illi uehementer errant, ſi ſe exiſtimant
In aulis uſquam uiuere poſſe principum.
Itaq; fermè excidunt à regum gratia,

Priuſquam

Priuſquàm conſueuere, & beneuolentiam
Perdunt, in regia qui uiuunt, omnium.
Nam ius ac fas interdum negligere eſt opus,
Ei qui uult aulas ſectari principum,
Multaq́; uerbis collaudare atq; extollere,
Quæ pro malefactis damnanda in alijs forent.
Quæ quoniam iam inde à puero didici, ac ſedulo
Obſeruo, facilè uitam hanc nunc tutor meam.
Sed nunc in aulam tempu'ſt ut me recipiam,
Vt præſto ſim, ſi quippiam rex imperet.
Sed quis nam is eſt, qui me conſequitur? ſeruus eſt
Ni fallor huius in aula notæ Diaboles.

ACTVS II. SCENA II.

MNESILOCHVS *ſeruus,* COLACIDES *aulicus.*

VT *illum Dij deæq́; perdant peßimè,*
Qui primus hanc ſternẽdo planauit uiã,
Nã abſq; hac non ego toties corpus meũ
Hac curſitans conficerem laßitudine,
Qui debilitatos ægrè nunc moueo pedes.
COL. *Eheu Mneſiloche, quo properas?* MNE. *Hem Colacide,*
In arcem. COL. *Quid eò.* MNE. *Huc me hera iußit prouiſere,*

Ptolemæū regem, quid rerū gerat. COL. *q̄d boc?*
MNE. *Cupit ſcire ecqua ſolitudo in regia*
Sit, an frequentes regem teneant aulici
Cura occupatum, atq; arduis negocijs.
COL. *Quid eſt Mneſiloche, aut cur hoc ſcire poſtulat?*
MNE. *Pol neſcio, niſi q nunc ea cum Phthonide patre*
Apparat, ad regem ut eat, & ad illum ſi queat
Solum, ſola haud ſcio quæ conſilia deferat.
COL. *Non temerè eſt, illa quod fert, & mihi neſciò*
Quid mali animus præſagit. Sed uideo foras
Regem prodire, eccum cum conſiliarijs
Hypoleptore, et Anoemone, quos habet omnium
Familiariſſimos atq; facilè intimos.
Ego hac abeo, ut quidquid negocij eſt ſciam.
MNE. *Ita facito. Quàm uerò hic uoluit lubens*
Cognoſcere, quid nam ſit, cur mea hera in regia
Solum regem conuentum expetat, at nolui
Dicere, neq; enim neceſſe eſt hunc ſcire omnia:
Nam illa quidem hoc agit, ut Apellem deferat
Pingendi ſummum artificem in his regionibus,
Tanquam Theodotæ proditionis conſcium,
Videlicet Antiphilo nunc iſti morem gerens,
Communem ob artem Apelli qui malus inuidet;
Perdere cupiens eum, & fraude hinc expellere,
Apud regem qui nunc ſummum obtinet locum:
Vt ſemper malè præclaras uirtutes premit
Inuidia, nec licet eſſe bonis abſq; æmulis.

Atq; hanc rem, ſat ſcio, ſi ſciret nunc Colacides,
Vt eſt ingenium, ex parua faceret maximam.
Nam ſolet hoc, uerbis approbat, augetq; omnia,
Quæcunque ſemel ab aliquo audiuit dicier.
Sed cõcedã hinc pauliſper hera me quo iuſsit mea
Ex ſolo loco ut hinc facilius quid agant, ſciam.

ACTVS II, SCENA III.

PTOLEMAEVS *rex,* ANOEMON *&* HYPOLEPTOR *conſiliarij.*

ITáne uerò Anoemon & Hypoleptor ſuadea-
tis mihi?
Ego ut quẽ tãtopere amaui, nec dũ amare deſtiti,
Cuiq; tã bene multa feci, etiãq; facio, ab hoc mihi
Cauendũ putẽ? atq; ab eo nunc aliqd metuã mali?
Quopacto igitur tã ſubito aliẽare aĩm ab eo meũ
Poero? aut quã cauſam ſat idoneã usq̃ reperero?
Aut cur hunc eijciã, aut repellã? Nõ hercle ſcio,
Neq; honeſtè fieri puto. Nã amicũ quẽ ſemel rece-
pris, (cre-
Retinre decet, neq; de eo temere malè ſuſpicarier.
AN. *At poſt rex quãtũ aliàs amicis tribuere deceat,*
Quantumq; amicitiæ ſeruãda rõ ſit, nõ ita ſumus
Imperiti ut neſciamus. Sed ut nunc ſunt tempora
Moresq; oĩm, curã adhibere oportet oĩbusmodis
Ne quid te fallat, neúe negligas, quod poſtea tibi
Tuisq; rebus neglectũ, magnũ aliquod concilict

PTol. Scio equidẽ ſic eſſe ut dicis, & ipſe adeo animum induxi meum
Cura omni proſpiciendum mihi eſſe, ne quod denuo
De improuiſo nobis alicunde obrepat tacitè malum.
Sed tamẽ de Apelle hoc aliter me ſentire cõmnet
Pietas, quẽ ſic integrum, & ſolum ſuæ artĩ dditũ
Video, ut nihil mali in mores incidere illius eſtimem
Poſſe, atq; indignum putem, de illo mal ſi quis ſentiat.

ANo. At non nunc agitur, quàm modeſtus, & quàm ſtudioſus foris
Appareat aliquis; ſed quanta ſit fides hc tẽpore
Cuique tribuenda. Nam nonnunquam tiam bonum uirum
Locus & occaſio illectant, ut aliquid facere attentet mali.
Et quæ tute nunc de moribus illius, deq; meritis
In illum tuis narras, perquàm leuia int, ut retineant
Animum, qui ſponte ſua ad maliam & ſcelus prolabitur.
Etenim ut huc tibi exemplum ipſius afferam nunc Theodotæ, (exiſtimas,
Quo uideas, q̃ nihili hæc ſint, æ tu magna eſſe
Quis

Quis eo quæſo apud te, ô rex, uſquam uiuebat gratior?
Aut cui plura contuliſti, & ampliora munera?
Qui quidquid ſemel auſus poſtulare abs te, & quantum fuit,
Hoc omne auferebat, neque quod ei negares, quidquam erat.
Adeo illum in honore ſummo habebas, & ſummo loco.
Et erant tum quoque mores illius, ut poſſent facillimè
Amari, continentes, moderati, modeſti, ſobrij,
Ab omni cupiditate caſti, ut apparebat, & integri,
Nec ullam uel leuem ſuſpicionem ſceleris dabat
Eius, quod modò commiſit, auaritia & ambitione obrutus.
Proinde ne contemnas conſilium, quod damus: Adeoque te
Vigilantem oportet eſſe, nec facilè hominum cuiuis credere.
Nam quod de pietate ais, quam te admonère dictitas,
Ne quid mali ſentias de amico, quem ſemel receperis,
Næ illa me hercle uana religio eſt, pàrumqúe regia,

Velle regnum potius, quàm aliquē amicum abs te dimittere.

Namq; ſic etiam poeta ex illis, quos ſanctè colūt Græci, dixit. Si fas eſt uiolandum, regni gratia Violandum eſt, in cæteris pietatem tuearis licet.

Proinde ne cuius amicitia tanti tibi ſit, ut ob eam Regnum & rerum quidquid habes uſquam, ponas in periculo.

PTol. *Pulchrè mones tu quidem Anoemon, nec poſſum equidem quin tuo*

Conſilio accedam, atque iſta te dixiſſe ſapienter putem,

Verùm tamen nequeo, ut ita ſubito ac prorſus abducam meum

Animum ab illo, cuius amicitiæ tantum tribui hactenus.

Quanquàm ut fatear, labaſcit et paulatim flamma extinguitur

Amoris illa, qua antehac animus in eum flagrabat meus.

Vt neque tantum eius fidei poſthac dare libeat, aut credere,

Quātum antea dedi atq; credidi. Id opera factum eſt tua.

ANO. *Mea uero, quaſi non ipſæ res cogant, & tempora,*

Tuis te melius rebus proſpicere, neq; te omnibus

Dare

Dare fidem, atque amicitiæ cuiuſuis facilè credere.

PTol. Ita eſt ut dicis. Et eam ob rem, quæ dudum Hypoleptor mihi
Volebat indicare, & quæ dicebat collegiſſe ſe
Coniecturis, ac certis rationibus, & indicijs, ea
Audire denuo nunc uolo, & quibus argumentis hoc probet,
Quòd Apellem eſſe cauendum, ut malum & malè conſcium ſibi, dictitat.
Perinde enim ut graui ariete, aut catapulta concußit meum
Pectus oratio tua, ut audire iam poßim, et uelim
Id, à quo dudum cum ille diceret, ſenſus mihi abhorruit.
Proinde quidquid eſt Hypoleptor, quod modò deprehendiſſe te
Aiebas, eloquere, nec falſa me afficite ægritudine.

HYP. Egon' ut tibi, rex, temere & ſine ratione quidquam deferam,
Priusúe q̃ quid in rem ſit tuã, ſatis perſpexerim,
Aliquid tibi conſulam? ab perijſſe me multo ſatius foret.
Namq; unde æſtimare poſſes ipſe rẽ planißimè,
Primum ſimul atq; in carcerem eſt abs te coniectus Theodotas,
Comprehenſiq; ſunt alij quotquot fuerant cõſcij,

Nunquam ferè Apelles poſtea eſt conſpectus inter aulicos,
Sed ſemper cauſas inuenire cœpit, cur ſe abduceret,
Nunc operas, nunc amicos comminiſcendo haud ſcio quos nouos,
Dum ſe domi expectaſſe, aut tenuiſſe illos crebrò dictitat:
Id quod nunquam aliâs fecit, neque nunc faceret, niſi conſcius
Mali alicuius foret, & propterea conſpectum fugeret tuum.

PTol. *Vera dicis hæc, nam me quoque aliquoties, cùm ad cœnam eum*
Mecum ut maneat, retinere uellem, orare cœpit plurimum,
Seſe ut domum ſinerem redire, nam non poſſe ſe modò
Adeſſe, & multum ſe turbari ſtrepitu, qui hic ſit, aulico.
Quod tum tamen illi facilè concedebam, neque enim eiuſmodi
Quidquam in mentem mihi ueniebat, ut putarem animo hæc malè
Sibi conſcio fieri, aut metuente hæc, quæ tu dictitas.

HYP. *Atque hæc ut magis credas, ſi quãdo accidit, ut à regia*

Nullo ſeſe auellere pacto poſſet, quoties ſcilicet
Negocia illum eò traherent, aut ipſe expectaret tuum
Imperium, nunquam tenuit, quos habuit uultus antea:
Macilentus, pallidus, ſubmiſſus, obſcurusq; incedere,
Nunquam faciem attollere, ut poſſes facilè animaduertere,
Animi quoque prioris eſſe in eo cõmotum ſtatũ.
Sic enim & Græcus illorum poëta non temerè, ut puto,
Alicubi ait, Malorum ſubito conſueuit uerti color.

PTol. *Manifeſta me hercle inditia, & animi malè perverſi abſque dubio*
Signa hæc ſunt, adeoque de illo magis magiſque iam hæſito.
Quamuis enim dudum ſic liberalitate illum mea
Deuinxi, ac beneficijs, quæ contuli in illum plurimis,
Amicum mihi paraui, ut ſperarim aduerſus me nihil mali
Suſcipere illum, aut animo cogitare poſſe, tamen tua
Me dicta adeo mouent, ut illi quid faciam ipſe neſciam,

Planeq́; eſt animus erga illum nunc exacerbatus meus.

HYP. *At nondum audiſti quod eſt uel maximum.* PTO LE. *An quidquam amplius*

Maiusúe eſſe, quàm quod dixti modò, poteſt? HYP. *Hem uide.*

Fortè ipſo die euenit, quando huc captiuus Theodotas

In carcerem abductu'ſt, in aulam uenit Apelles *inſcius,*

Ibi cùm eſſet turba inſueta, atque inſolito more omnia

Inter ſe fremerent (ut fit cùm malum aliquod ſubito accidit)

Rogare cœpit quēpiam, quid hæc ſibi cōſternatio

Vellet, quidúe tumultus, qualem nunquàm uidi, ait, antea.

Mox igitur poſtquàm Theodotæ *audijt eſſe deprehenſum ſcelus,*

Ipſumq́; captum, quid tibi dicam, poſthæc quæ ſecuta ſunt?

PTol. *Hem quæ?* HYP. *expalluit attonitus, pauiduſq́ue adeo, ut ſi* Theodotæ

Conſiliorum particeps fuiſſet, non poſſet magis.

PTO. *Quid dixit?* HYP. *Quid diceret, qui mutus quàm piſcis magis*

Conſtitit, nō aliud ꝙ crebra ex imo agēs ſuſpiria,

Tantumq́;

Tantumq; non lachrymabundus, mox ſeſe corri-
puit domum,
Neq; toto triduo poſthæc uidit quiſquam illum
in regia.
PTol. O Iuppiter quid audio? Itaq; certum eſt hunc quo-
que conſcium
Defectionis, atq; participem eſſe tanti facinoris.
HYP. Non hoc nunc dico, neq; tanto implicitum illum
malo uelim,
Sed quod res nunc ipſa clamat, ut proſpicias, at-
que ab hoc
Caueas tibi, ut cuius mens alat aliquod tacitò ma-
lum.
PTol. Haud dubiè, ſiquidem iſta uera ſunt ex te modò
quæ audio.
HYP. Vel hunc Anoemonem, uel quemuis aulicum in-
quiras licet,
Egon' ut quidquam falſi ad te referrem, non faci-
am ſciens.
ANO. Non aliter eſt, atque equidem his oculis omnia
hæc uidi meis.
PTol. Quid igitur ſuadetis illi ut faciam, aut mihi con-
ſilij
Affertis, malum hoc uitare, atque illum talem ui-
poſſiem?
ANO. Quid facias? niſi ut illum obſerues, atque ſeruos
clanculum

Sciſcitari iubeas, atque indagare, ut quodcunque agat,
Cum quocunque, ſcias. Nam haud dubiè non procul tempus aberit,
Cùm ſeſe ipſe prodet, & cõſilia, quæ modò clam tegit.

PTol. *Ita faciam. Vos intro nunc abite, & eodem itidem modo*
Curate, ne quid nos prætereat, quod factum aliquando noceat.
Hei mihi, quantum nunc intus animus efferueſcit hic meus,
Quàm ægrè mihi eſt, cùm cogito, quis, quæ, quantaq́; in illum contuli.
Sed Colaciden uideo, illius quoque audire uolo ſententiam
Nam ſi quidquam modò ueri eſt, de Apelle, quod iſti dictitant,
Næ ille apprimè ſciet, ac memoriter, quæ diligentia eſt
Sedulitasq́; eius in rebus ac conſilijs omnibus.

ACTVS II. SCENA IIII.

COLACIDES *aulicus*, PTOLEMAEVS *Rex*.

INter eundum ultrò me remoratus ſum, ne mihi opus foret
Illorum adeſſe conſilio, ſed eccum adhuc regem aſtare uideo:
Adibo. nam diſſimulari ut diutius poſſim, metuo. PTOL. Ehem
Ades Colacide, oportunè atque in ipſo tempore. dic mihi
Vnde is modo? COL. E foro. PTOL. Ecquid inde affers noui?
COL. Nihil. PTOL. Atqui expectabam. Sed ſcis Colacide quid te uolo?
Vehementer mihi animus eſt commotus ſollicitudine,
Adeoque nunc in corde ipſe intus æſtuo, ut nihil ſupra.
COL. Heu q̃ metuo quid ſit. Sed dic quid eſt? PTOL. Apellem credo te
Nôſſe. COL. Quid ni nôſſem, pingendi artificem illum. PTOL. Nempe eum.
COL. Quid is fecit? PTOL. Hunc modo Anoëmon & Hypoleptor mihi
Cauendum eſſe monuerunt, & coniecturas eiuſmodi
Attulere, ut parum abſit, quin credam illum participem quoque
Et conſcium Theodotæ conſiliorum eſſe. Vſq; adeo omnia

Concurrunt ueriſimilia, quæ animum compel-lunt meum.
Sed tamen eum hactenus ita amaui, ut temerè in eum nihil
Statuere cupiam, priuſquàm rem exploratam hā-beam undiq;.
Proinde te quoq; ante audire uolui, ſi q̄d cognitū
De ipſo haberes, & quod modò dixerunt illi, e-tiam tibi
Credibile uideretur. Nam quanti te faciam, atq; ut tibi
Mea conſilia credere ſoleam omnia, omnes iam ſciunt.
Itaq; nil facilè incipio, quin tuum quoque conſili-um audiam.
COL. *Equidem, ô rex, ſi quid facio, aut feci aliquando quod tibi profuit,*
Aut ſi quo meo conſilio adiutus es uſquam, id gaudeo.
Sed quod ad hanc rem attinet, haud neglige̅dum id arbitror, quodcunque id eſt
Anoemon & Hypoleptor quod tibi dederunt conſilij.
Nam quanquam de rebus Apellis cæteris, non ita ſciam,
Tamen ſemper ſum admiratus, quid eſſet, cur tantum homini huic
Tribueres,

Tribueres, atq; huic te crederes. Namq; ut alia omnia
Omittam, Græcorum fermè ingenia ſcis quàm leuia ſint,
Vt quorum fidem eleuant etiam uulgò prouerbia.
Atqui hic non modo ex ipſis Græcis natus, & huc aduectus eſt,
Sed quod magis indignum eſt, ex Carici maris inſulis.
Nec facilè inuenias aliud hominum genus hoc inconſtantius,
Quippe ubi uulgò ab ipſis fluctibus eſſe diſcunt mobiles.

PTol. *Neq; hercle uanum hoc eſt, ac mihi uidetur ualde probabile,*
Namq; ideo etiam ipſi puto Græci Caras habent ut ignobiles.

COL. *Sic eſt. Tum autem quæ nuper peſtis ſubito orta eſt à Theodota,*
An non merito ea te admonere, teq; docere debuit,
Vt in hominibus nouis recipiendis fieres nunc cautior.
Nam quid tibi uis? hominem pictorem ad te recipis in regiam,
Illumq; eo quo uix aliū uel nobiliſſimū habes loco:

Argentum, ueſtes, & quidquid precioſum habes, præbes ei,
Conſilia, teq́;, & quid dicam nunc multa, credis omnia.
Qui ſi quando magnum aliquid præſtat, pingit, ſcilicet
Venerem, aut Priapum, aut ſi libet, Tragicum Dionyſium.
Quòd ſi neq; uirtus tua, nec tua beneuolentia
Mouit Theodotan, quò minus à ſcelere prohibuerit animum:
Quid hunc putas facturum eſſe, aut facere, pictorem Græculum?
Nam uulgò etiam, quod neq; tu neſcis, aiunt: pictoribus
Fingendi, atq; audendi ſemper promptam fuiſſe licentiam.
Qua quoniam toties in operibus utuntur ac tabulis ſuis,
Transferri eandem ad animum quoq; credibile eſt conſuetudine.
Quapropter equidem facilè credo, ſi quid nunc Hypoleptori
De illo dubitare, in mentem uenit. Ac tu, ô rex, merito tibi
Proſpicias, ac bonorum obtemperes conſilio, ſi ſapis.

Nam

Nam ego, quæ dixi, ita dixi, ut tibi qui ſemper factum optem optimè.

PTOL. *Sententiam tuam audiui, & laudo Colacides, atque eò*

Magis, quòd eadem omnes mihi dicitis. Namque aliâs haud ſtatim

Duos, treſúe reperias, eadem qui ſuper una re conſulant.

Itaq; mirum quanta animus mihi dolet ægritudine,

Cùm tam mala audiam de hoc, quem colui præ multis unicè.

Vtinamq; iam in manus mihi daretur, quo me ulciſcerer.

Sed eamus intrò, ibi pariter de hac re omnes amplius

Conſilium capiemus. Nam nihil eſt quod tam cupio omnium,

Quàm me uerum quidquid cui factum eſt, poſſe noſcere.

ACTVS II. SCENA V.

MNESILOCHVS *Seruus.*

Nimirum quãtum audiui horum ſententiam,

Veniet in magnum Apelles haud dubiè malum.

Adeo ſuſpectus hic regi per illos factus eſt,
Atq; omnibus deformatus coloribus,
Nec heræ opus erit magno amplius negocio,
Illum ut peſſundet, & capiti fraudem ſtruat.
Nam quidquid iſti de aliquo ſtatuerunt ſemel,
Næ illi probus, neceſſe eſt, aduocatus ut
Contingat, qui illum reſtituat, ac liberet.
Nec me fefellit de Colacide *opinio:*
Sciebam namq; futurum, ut quidquid ab alijs
Dictum foret, ipſe dictis pondus adderet.
Domum ibo, ut dicam heræ, quæ hic facta ſunt,
Cui, ſat ſcio, ſi plenum aureorum ſacculum
Portem, nunc non apportem tantum gaudium,
Quantum mox ex hoc per me capiet nuncio.

ACTVS TERTIVS,

SCENA I.

CALVMNIA, PHTHONIDES.

CAL. *Nihil eſt quamobrem nunc uereare, mi pater,*
Ne regem ſatis impellam ad iracundiam.
Iam enim iam cogitata, ac meditata omnia

Habeo,

Habeo, & colorem cauſæ talem repperi,
Argumentumq; fabulæ ita ueriſimile,
Vt equidem animũ eius, ſat ſcio, ita commouero,
Furore ut totam mox concitet regiam,
Nec animo conquieſcet, donec ſumpſerit
Ab illo uindictam, atq; ſupplicium hodie.

PHT. *Ita uelim, atque hoc eſt, quod nunc eſt opus maximè,*
Si illi hanc, quam uolumus, perficiamus gratiam.

CAL. *Fiet ne dubita. Neq; enim nunc primum, pater,*
Palæſtram hanc exercere incipio, & antea
Expertus es non uanam in hac re meam operam,
Cùm nemo unquam fuerit, quem tu uolueris perditum,
Quem non ego tibi præcipitarim, ac fluctibus
Obmerſi, tanquam tempeſtas olim ſolet
In pelago, cùm deprenſos ſcopulis atterit.

PHT. *Verum eſt ut dicis, atq; ego eo magis*
Hanc ſum pollicitus Antiphilo iſti gratiam
Perficere uelle, quòd ſciebam, nihil adeo
Magnum aut difficile poſſe proponi tibi,
Quin ſi uires uelles experiri tuas
Efficeres facilè. Sed ego nonnihil tamen
Illud metuebam, ne in qua eſt ille gratia
Apud regẽ ipſum, ab incepto te aliquo modo De

Deterret,& ob eam nunc iſta dixi gratiam.

CAL. *At nil opus hoc metu eſt: Quin regis animum ita*
Noui,atq; experta etiam ſum quàm ſæpiſsimè,
Vt hunc ſciam,ſi mediocri aliquo ſtimulo
Fortè incitetur,totum mox inſania
Ita corripi,quo prorſus indomitum furat:

PHT. *Itáne?* CAL. *Imò nihil uidi impotentius,*
Planeq; perinde,ac fit,quoties in aridas
Ac ſole exuſtas ſtipulas flamma aliqua incidit,
Breui momento ingens oritur incendium.
Ita animum illius quoq; quæuis accenderit
Cauſa,ut mox quantus eſt incenſus ardeat.

PHT. *Pulchrum regem,noſtræq; cauſæ aptiſsimum.*

CAL. *Tum ſi ſunt uera ea,quæ Mneſilochus nunciat,*
Suſpectum Apellem regi factum ab Aulicis,
Itaq; delatum,ut qui aliquid malè commiſerit,
Nihil eſt ut quidquam iam dubitemus amplius,
Superauimus,& iam nunc parta eſt uictoria,
Adeo ingenium regis iam olim habeo cognitum.

PHT. *Ergo ſi nil aliud reſtat,quod in mora*
Eſt,& tu cauſam perſpectam ſatis hanc habes,
Eamus,quæ uia eſt ad arcem proxima.
Nam prout narrauit intus Mneſilochus modò,
Nullo pacto hanc occaſionem dimittere
Debemus,ſed quo tempus,ipſaq; res uocant
Properemus,dum ægritudo illius hæc eſt recens.
Nam alioqui etiã multũ ut quod perficere cupis,

Id

Id poſſis, adiuuat ueniſſe in tempore.
CAL. Scio hoc, quapropter ea faciamus ſedulò
Ne quid moremur, & eamus dum tempus eſt.
Heus intus uos interea proſpicite domi,
Nequid dum abſum, turbetur, ac plectamini.
Vos Apate & Epibaletis hac me ſequimini,
Et ne quid ſit quod cultum dedeceat meum,
Apteq; ut pendeat à ceruice pallium hoc
Et cum decore, adhibete diligentiam.
PHT. Eamus igitur: CAL. Rectè. I tu præ, ego ſequar.

ACTVS III. SCENA II.

PTOLEMAEVS, Rex.

COEGI intus meorum concilium modò
In aula principum qui uiuunt omnium,
Quorum conſilio quoties res tracto arduas
Vti ſoleo, & opera, in regni negocijs.
Iis quod Anoemon & Hypolepter dictitant
De Apelle, propoſui, ut eorum ſententiam
Audirem, atq; quid in hac re conſulerent mihi
Scirem. Sed quantum ego hic intellexi modò
Securi deſident ad ollas aulicas,
Parumq; curant uenientia pericula,
Donec in ipſo ſtant apparentq; limine.
Nam poſtq̃ Hypoleptor eadem, ut à me iuſſus eſt

Illis narrabat, quæ dudum dixit mihi,
Varius mox primo fremitus erat omnium,
Dein ut dixere ſinguli ſententiam,
Animaduerti, inſcitia alios, alios metu
Accedere ijs, quæ ab illo dicta erant prius.
Neq; ullum habere ex ingenio ipſe quod ſuo
Natum afferret, meros ſed eſſe pedarios.
Itaq; niſi illi nunc duo tresue forent mihi,
Quorum ipſe conſilio atque prouidentia
Saluum atque incolume regnum tutarer meum,
Næ mihi nunc præſidij in reliquis eſſet parum.
Quàm nobis male uulgò faciunt iniuriam,
Qui nil putant fælicius eſſe regibus,
Ornatos dum uident nos auro ac purpura,
Nec intus quas animus habet moleſtias
Inſpiciunt, & curarum ſarcinas graues.
Nam quid nunc dicam me uſpiam eſſe miſerius?
Qui cùm tam latè, atque adeò multis impero,
Totq; alo domi quotidie qui mihi conſulant,
Rebusq; meis operam gerendis collocent,
Tamen ex tanto numero uix unum atq; alterum
Reperiam mihi fidos, atque imperio utiles,
Quorum conſilio me & res committam meas.
Qui ſi quando corrupti aliunde, ut ſæpe fit,
Fidem commutent, id quod nunc hic dicitur
Apelles facere, & ego illorum rationibus
Adductus propemodum iam credo, ſcilicet

De

De me, deq; meo imperio actum eſt planiſsimè.
Proinde curam aduertere oportet ſedulo
Me, ne quos fruſtra monitus illorum putem,
Adeoque nunc progreſſus ipſe ſum hinc foras,
Vt quoniam aliâs Apellem nuper hunc diem
Redire in arcem ad me iuſsi, ipſe adeo ex eo
Adortus improuiſo hominem, quid agat, ſciam.
Nam facies & color prodent facilè animum,
Cùm ſubito opprimitur, qui ſibi malè conſciu'ſt.

ACTVS III. SCENA III.

PHTHONIDES ſenex, DIABOLE, PTOLEMAEVS.

Verſus ſunt omnes octonarij.

AT uenimus tandem iam filia ad Ptolemæi regiam,
Vbi te tuo collectos in animo depromere opu'ſt dolos:
Atque eccum ipſum regem, ſtat progreſſus foras ante oſtium,
Quamobrem ceu ſoles, atque ut opus eſſe tute intelligis,
Aſsimula uultum, ac moribus præ te fer iracundiam,

Ne nihil non ex animo fieri abs te credat rex
quæ uiderit.

DIab. *Alias res cura, ego iſta, pater, ut rectè fiant da-*
bo operam.

PTol. *Diabolen huc ad me eccam incedere, ſi modo*
eſt ea, uideo:
Ipſa eſt. Euge uoluptas mea, quàm pulchrè orna
ta, & quàm decens.
Incedit, ut nihil eſt nunc uſquam illius ore uenu-
ſtius.
Hei mihi, quàm procul etiam mouet illa intus mi
hi præcordia.

DIab. *Proh Deûm fidem atq; hominum, facinus audax*
atq; perfidum:
Tantum ne quenquam hominum in animo potu-
iſſe concipere ſcelus:
Tantam autem illum ſacrilegum & impium, pa-
ter, quid ais? PHTH. *Ita eſt.*

PTol. *Sed neſcio quid irata eſt, non temere eſt.* DIAB.
Adeo neq; pietas,
Neq; hunc mouerunt quæ tot ac tanta accepit be
neficia,
Quò minus ſi referre gratiam nollet, maleficijs
Saltē ſeſe abſtineret, quæ nunc perfidus ille per-
fidè
Commiſit in illum, abs quo hactenus eſt toties ac
tam paſſus bene.

PTOL. Mi-

PTol. *Miror qd hæc oratio ſibi uelit, aut quid nã ferat*
Mali, nam non fruſtra eſt quod hæc conqueritur hic nunc tam anxiè.

DIab. *Me miſeram, quid credas igitur? aut cui confidas amplius?*
Quem ſperes ipſe tuis rebus amicum, aut fidelem uſquam fore,
Tam malè ſi pro meritis homines ſtudent referre gratiam?

PTol. *Non poſſum continere diutius, reuocabo hanc:* Diabole,
Quo feſtinas? huc ades, audis ne? quo properas? heus Diabole.

PHth. *Diſsimula te illum uidiſſe.* DIAB. *Tace. quis me reuocat? aut quis eſt*
Qui me uult. PHT. *Euge optimè.* PTOL. *Ecquid me audis. Reſpice.* DIAB. *Perij.*
Rex eſt qui me uocat. PTOL. *Ehem mea* Diabole *ſalue, dic mihi,*
Quid eſt quòd ita commota properas? aut quid adeò triſtis es?

DIAB. *Egon'? hei mihi.* PTOL. *dic age quid eſt? num ſalua ſatis ſunt omnia?*

DIAB. *Vtinam eſſent.* PTOL. *Annon? quamobrem? aut quid igitur factum eſt tibi? cedo.*

DIAB. *Mihi pol nihil. At tibi quod fit, idem mihi quoq; fieri indico.*

Neque enim mea ſalus abſque tua conſiſtere tutō poteſt.

Vt dij deæq; ſceleſtum perdant illum. PTOL. *Quemnam Diabole?*

Mirum ni iſthæc quoque audiuit de Apelle quod intus dictitant.

DIA. *Hominem perfidum atque perditum, quem quo-uis gentium*

Aſportari ſatius fuiſſet, quàm nunc tecū uiuere

PTol. *Quemnam? aut quid iſtud? Haud dubiè illum hæc autumnat, quantum audio*

Huus uerba. DIAB. *Neque tantum nunc, ſcelus, conciliaret tibi*

Rebusq; tuis malum, totiq; regno opprobrium ac dedecus

PTol. *Eloquere tandem, quem nam dicis? quid me ita ſuſpendis animo?*

DIA. *Pictorem iſtum.* PTOL. *Hem hoc eſt quod dixi.* DIA. *quem tanti facis.* PTOL. *ô Iuppiter.*

DIA. *Ac præfers omnibus.* PTOL. *Quid audio.* DIA. *Nec aduertis quantum alas*

Domi malum, dum iſti credis uitam, atq; conſilia omnia.

PTol. *O mea Diabole, quid ais? aut quid nam de illo cō pertum habes?*

DIA. *Quid habeā de illo? q parū putauit eſſe facinorū Alij quod fecißent, niſi inſuper ipſe ſe ſociū adderet,*

Suoq;

Suoq́; ſcelere tibi, tuoq́; regno exitium intēderet.

PTol. *Quidnam fecit.* DIA. *Rogitas? quo cōſultore iam pridem Tyrus*

Et mox Peluſium peruenerunt in hoſtium manus,

Periculumq́; propemodum toti imperio factum eſt tuo.

PTol. *Hem quid ais Diabole? Apellis conſilio Tyrum eſſe proditum?*

Ipſumq́; authorem ſceleris eſſe tam fœdi, tamq́; improbi?

Quid ex te audio? DIA. *Nempe id quod res eſt.* PTOL. *O ſupreme pIupiter*

Abi, iā conclamatū eſt. Nec fefellit opinio ſcilicet

Hypoleptorem, cùm eadem fermè referret de illo iam prius.

O perfidum & ſceleſtum hominem, ô nebulonem perditiſsimum,

Quem pol ego hodie, niſi uitam hanc nunc eripiat mihi Iuppiter.

Sed quæſo hæc uelis, quæ dixiſti, narrare, ea unde noueris,

Neque me celare quidquam quod ad illum ſceleratum pertinet.

DIA. *Quid multa autem tibi narrem? Fuit apud me heri ueſperi domi*

Meæ, hoſpes antiquus, paternus, Tyrius, ex Phœnicia

Qui modò aduenerat, ibiq́; fuit, hæc omnia quando geſta ſunt:

PTol. *Quid ille ait?* DIAB. *Hic ut fortè prætereuntem Apellem conſpicit,*

Rogat hinc, quid hîc negocij ſit, & quid hîc rerum gerat?

Dico eſſe pictorem, atq; ob artem tibi ſuam charum unicè,

Adeoq́; te illum magnificere, ut credas conſilia omnia:

Neq; ſit illo fermè quisq̃ tibi tota in aula charior:

Quod ille mox ubi audijt, ad me ſic gemebundus incipit,

Mirari ſeſe quidnam in mentem tibi, regum optime uenerit,

Homini ut tam perdito & ſcelerato quidquam auſus ſis credere.

Quid ita uerò, inquam? tum ille incipit, ac quæ fecit peßimus, mihi

Longa oratione, & quam tu audire uelles, prædicat.

PTol. *O dij deæq́; omnes. Nam quid narrabat dic age dic mihi.*

DIAB. *Primum. Hiſce, ait, ante diebus paulò quàm facta eſt defectio,*

Tyrum ueniſſe Apellem, & diuertiſſe hoſpitio ad Theodotam,

Atque

Atque ibi cum illo unà continuos dies his quibus ibi fuit
Agitaſſe neſcio quæ, neque unquam diſceßiſſe ab illius
Latere, crebraq́; produxiſſe in multam noctem conuiuia.
Inter quæ ſolitus ſit in aurem loqui illi multa clanculum,
Quibus ille tum commotus ac furore incenſus dixerit
Eiuſmodi non pauca, ex quibus aduerti facilè potuerit
Huius conſilio facta atq; incœpta eſſe quæ ſecuta ſunt.

PTol. *Hæc ille aiebat?* DIA. *Verum, atq; etiam ſe uidiſſe.* PTOL. *O Iuppiter.*

DIA. *Fuiſſeq́; tum Tyri multos bonos uiros atque integros,*
Apud ſe clam qui deteſtabantur nouas res ciuiũ,
Qui inter ſe ſæpe ac multum conquerentes dixerint,
Veniſſe in hoc Apellem ſolum, ut ciuitatem perderet:
Socio ut eo in rebus iuuandis uteretur Theodotas,
Seſeque optare, ut qua uia ad ſe infauſta tetuliſſet pedem,

Maleq; periret ipſe, alios perire q faceret male.
PTol. Hei mihi quid audio, ô ſcelerum caput, ô ingra-
titudinem,
Siccine refert pro meritis in ſe noſtris ille grati-
am?
Adeon' redierunt tot mea munera, quæ modo in
illum contuli,
Aurum, argentum, ueſtes, precioſaq; alia, quæ il
li plurima
Præbui? Hæccine eſt amicitia, qua dudum iacta-
batur, mea,
Qua nil dicebat uſquam ſe prius aut habere an-
tiquius,
Quòd coleret, aut in quo oblectaretur animus i-
pſi ſuus.
O mores hominum perfidos, ô temporum mali-
gnitas.
Hæc ego diſperearn infœlix, ſi potui unquam ab
illo metuere.
DIA. At ſuſtine te pauliſper, neq; enim dum audiſti hic
omnia,
Quæ ſceleratus fecit, & quæ hoſpes mihi rettu-
lit meus.
PTol. An etiam reſtant alia? DIA. Enimuero alia, atq;
grauiora, quàm
Quæ audiſti, multo. PTOL. Ah ita animo irrita
tus ſum atq; concitus,

Vt

Vt neq; quid faciam, neq; quid dicam, neque quo me uertam, ſciam.

PHIL. Euge bene habent principia. DIA. Tace amabo. PTOL. Sed perge cætera

Tamen narrare, quanquam uix me differo, quin protinus

Suppliciũ de illo, ut meritu'ſt ſumam, atq; ipſum perdam peßimè.

DIA. Ergo auſculta, quanquàm ſic me quoq; quoties huius cogito

Scelera, ægritudo inuadit, ut uix ipſa poßim proloqui.

Nam poſtquam iam Tyri perfectum eſt cogitatum illud diu

Facinus, & Theodotas animi iam compos ac ſententiæ

Factu'ſt, atque imperium diu affectatum conſecutus eſt,

Mox inde ſeſe Apelles rectà contulit Peluſium,

Vbi quaſi parum ſceleris foret commiſſum authore Theodota,

Quem conſilijs illic, atq; malis artibus ipſe inſtruxerat,

Nouum ipſe facinus, & ſuum quod eſſet proprium, occipit,

Peluſianos aggreditur, ac uulgò in conciliabulis

Sermones de te ſacrilegos uariè ac paßim multos ſerit,

Quibus fidem atq; merita illorum apud te nullo
eſſe in loco
Ementitur, nouæq; conditionis ſpes illis facit.
Adeo Tyriorum cœpta & Theodotæ fortunam
prædicans,
Donec promiſsis homines, inopes iudicij, atq; con
ſili
Induxit atque perſuaſit, ut urbem Theodotæ pro
ditam,
Ac captam traderent, ſeſeque illius fidei dede-
rent.
Hanc tibi præclarus ſcilicet artifex iſte refert
gratiam.
Sic ille honores atq; benefacta tua compẽſat tibi,
Quem tu tamen, ſi dijs placet, anteferendum re-
liquis omnibus
Putas, moresq; et uitam cœlis illius attollis piam,
Ecquid ſentis, beneficia q̃ merẽtibus confers tua?
PTol. *O Hercules malorum auerſor, inexpectata quæ*
audio?
Ille ut ſuo ad deditionem conſilio etiam Peluſium
Impelleret, & quod omiſit Theodotas, ipſe ab-
ſolueret?
DIA. *Nam pol nunquam hæc auſus, quod ſcio, ſperare*
fuiſſet Theodotas,
Niſi hic fuiſſet, q dictis ita labefactaſſet territos,
Et facile ad res (ut eſt uulgus ubicunq;) procliues
nouas. Quæ

Quæ quamprimum reſciui, ut qua tua ſalute charius
Nil habeam, adeoq; hanc uita, ſi poſſem, redemero mea,
Noctem hanc oculis ſomnum nō uidi, pro te dum ſollicita ſum,
Ipſumq; omne in tempus interea quod fuit, ægrè fuit,
Dum ad te uenire, atq; iſta quæ tibi impendunt, monere te
Poſſem, atque hortari, ne ita uitam illi poſthac crederes tuam,
Neq; hoc pro paruo haberes, quod ſceleratus ille tibi facit.

PTol. *Pro paruo haberem? O cœlum, ô terra, ô mare Neptuni, nam quid hoc*
Dicam eſſe factum, à quo quam hominum uſquam audax ac ſceleratum magis?
O mea Diabole, pluſquam uellem, huius malitiæ & ſcelerum iam ſcio,
Itaq; iam ſuſtinere nequeo longius, neq; perpeti,
Quin protinus abreptum, atq; in carcerem abiectum teterrimum
Diris ſupplicijs excarnificem ſceleratum iſtum peßimè.
Ibo, atq; eiuſmodi edam exemplum in illum, ut diſcant cæteri

Ab eo, quantum periculi ſit regi inſidias tendere,
Diraq; ambitione alienum imperium ac regnum
inuertere.

DIA. Ita pol facias, neq; inultum abire ſinas ſceleſtum
hunc, ſi ſapis.
Quem tellus ipſa dehiſcat, homines ſi ab eo pœnas ceſſent ſumere.

ACTVS III. SCENA IIII.

DIABOLE, & PHTHONIDES.

ABijt intro, turbat, commiſcet omnia,
Ecquid? uerum tibi dixi dudum, mi pater,
Me quoties uolo facere hunc, ut excandeſcere
Incipiat magis, quàm ferrum quod carbonibus
Impoſitum eſt, flatu dum excitantur follium.
Namq; equidē ingenium huius ſic habeo cognitū,
Vt non dubitem me quouis poſſe impellere
Illum, præcipuè tamen ad iracundiam.
Nam ad hanc procliuis ille eſt præter cæteros,
Nec quæuis alia ſic hunc mouet affectio.
Tum autem ipſa etiam hoc palmarium mihi uendico,
Ira atq; furore hominum animos accendere.

PHth. Scio, & propterea nunc te laudo filia,
Operam quæ hac hodie nobis tam bene dederis,
Amoq;

Amoq́; te nunc, ſi unquam amaui maximè,
Morigera quæ fuiſti mihi, tamq́; facilis.
Deſiderio hic nunc morem geßiſti meo,
Antiphiloq́; illi perfeciſti hanc gratiam,
Pro qua me paulo prius orabat maximè.
Et nunc ob eam ſummum gaudebit gaudium,
Cùm hæc audiet tranſacta, quæ cupit, omnia.
Sed age domum redeamus, nam ſatis hodie
Pugnatum eſt, & ſtat parta bene uictoria.
Cras qui uolet iterum inimicum faciat ſibi
Phthonidē, & ſi impunè abierit, meritò gaudeat.

ACTVS QVARTI,

SCENA PRIMA.

APELLES.

ENimuero bene ac beatè uitam habent
Homines ij, comparatam, qui certis ſolent
Mox à prima iuuenta conſueti artibus
Rectè atq́; honeſtè ætatem traducere ſuam.
Quibus in orbem ſemper redeunt negocia,
Neq́; ignauis uſquam locus datur ocijs,
Ob quæ ſibi conquerantur tarda tempora

Ire, atq; ingratos in longum extrahi dies.
Sed ſemper habent, ingenium quibus exerceant
Mentemq́; uacuam quo poßint intendere.
Itaq; & à uanis abſunt cupiditatibus
Procul, & à pernicioſis animi affectibus,
Neq; cum tetra conflictantur libidine,
Neq; crapula, neq; uino ſeſe ingurgitant,
Neq; cæteris, quæ plurima ſunt, ſtudent malis,
Quibus neceſſe eſt hos contaminare ſe,
Quorum perpetuo uita atq; ætas ocio
Per inertiam atq; ignauiam conſumitur,
Qui neq; manum ut exerceant mouent, neq;
Quo ſe mens ſtudio honeſtè erigat, ullum terent,
Sed eorum uitæ pars ſomnus, pars crapula eſt,
In hiſce ætatem, ac uires deterunt ſuas.
Quales ego non paucos uidi, ac noui aulicos
Apud regem, ubi fui, & apud eum, ubi nunc ago,
Homines inertes, fatuos, fungos, ficeos,
Stolidos, ſtupidos, & quid dicam, ſtipites meros,
Anima quibus non minus eſt pro ſale, quàm fui.
Itaq; equidem, quod potui, ſemper omnibus
Modis illorum euitaui commertia,
Cauſas quæſiui, ut ab aulis, ubi ſic uiuitur,
Si non omnino abeſſe, quod equidem uelim,
Poſſem, tamen ne ſemper adeſſe cogerer.
Nam homini ſtudijs ſtudioſo liberalibus
Nihil grauius uſquam eſſe puto aut acerbius,

Quàm

Quàm cum hominbus uerſari ac uiuere talibus,
Qui non modò non honeſta ſtudia intelligunt,
Verum etiam rident illa, atq; illa qui colunt.
Proinde cùm Ptolemæus rex Aegyptius
Nuper me huc accerſiſſet, apud ſe ut uiuerem,
Quanq̃ me ualde amat, atq; accipit humaniter,
Tamen ut perpetuò in aula eſſem, haud dum me impulit.
In proximo officinam hîc, atq; pergulam
Conduxi, ibi artem quotidie exerceo meam.
Nunc Martem, nunc Venerem, aut Iouem delinians,
Operoſus pariter & diuis, & hominibus,
Nec inertem animum patiens iacere unq̃ meum.
Quo facio ut neq; tempus mihi abeat longius,
Neq; dies ulla iners & abſq; linea.
Sed nunc in arcem atque ad regem ire mihi opus eſt,
Ad quem ire niſi neceßitas me cogeret,
Quòd eius iußis contraire non licet,
Haud unquam toto menſe ter irem, ut arbitror,
Adeo ægrè eſt, quoties ſpacium uel breue temporis
Abire uacuum, & abſq; opere eſt opus mihi.
Sed ipſus eccum prodit, atq; neſcio
Quid iratus præcipit (ut puto) latronibus,
Heu metuo, quid ſubita hæc ira apportet mali.

ACTVS IIII. SCENA I.I

PTOLEMAEVS Rex, LATRONES.

NE *quid igitur ceſſate, neque quidquam nunc illi peßimo*
Parcite, uerùm protinus in ſublime raptum, & quadrupedem
Ligatum atque conſtrictum uinculis hinc inde in carcerem,
Illuc ubi profundißimum erit, deorſum præcipitem date,
Neque curam facite, uiuus an exanimis abiectus decidat.
Nam pol ego hodie ſceleratum iſtum faxo ut diſcat quale ſit,
Regi, à quo bene ſis paſſus, ſcelus ac perfidiam rependere.
LAT. *Quemnam igitur dicis, aut ubinam homo is eſt, quem nunc ſublimem arripi*
A nobis uis? PTOL. *Etiam, malum, dubitatis, an nouiſtis hunc*
De quo concilium toties hodie habitum eſt, & qui compertus eſt,
Cum Theodota Tyrum paulò antè, & prodidiſſe Peluſium,
Hominem infandum, ſceleſtum, perditum, pictorem, Græculum, Quem

Quē toties in mēſa accūbentē mecū uidiſtis mea,
Muneribus à me donatum, & ſummis affectum honoribus,
Apellem iſtum, quid nouiſtis ne, an nondum etiam iſtum? LAT. Nouimus.
PTol. Hunc igitur intro abreptum, ac uinctum præcipitem ut iuſsi date,
Etiam ſatis? LAT. At enim neſcimus ubinam iſte inuenirier
Talis nūc poſsit. PTOL. Quid? neſcitis pergulam iſtam in foro
Altā, æditā, atq; prominētē, illic ubi tabulæ ſolēt
Pictæ nō ita diu proponi, atq; opera pigmētaria.
LAT. At nemo noſtrûm eo unquam uenit, ut ubi ea eſſet, uiderit,
Neq; ſcimus. PTOL. At ego ut ſciatis faciam poſthac peſsimi.
Quin itis atq; quæritis, an etiam uos nunc remoramini
Me? quo minus ſupplicium, ut uolo, & ut meritu 'ſt ab eo ſumere
Poſsim? quin ita cūrate, ut quamprimum uinclis coērcitum
Atque conſtrictum illum huc attractum uideam, niſi uobis lubet
Eodem modo uinctis pro illo nunc hic ſupplicium exoluere.

LAT. Quin imus, atque huc adducemus tibi: ut illum hodie peſſimè
Dij deæq; omnes perdant ſceleratum, quantum ille nunc mali
Non modò ſibi, ſed conciliauit penè nobis omnibus.

ACTVS IIII, SCENA III.

PHTHONIDES.

REdeo poſtquam domum deduxi filiam,
Vt rerum quid foris geratur nunc, ſciam.
Et quæ nam turba ſit ſecuta, poſtea
Ex arce quàm rediuimus ego & filia.
Namq; haud dubiè, quantum regem uidi modò,
Non patietur diem hunc abire, quin malum
Aliquod ſubitum atque magnum iratus concitet.
Ita eum nunc uerbis excitauit filia
Aſtutis, & ad inflammandum efficacibus.
Sed hoc quid eſt, quòd huc Latrones regios
Incedere uideo, probè armatos fuſtibus
Partim, partim laqueis ac tortis uinculis.
Nimirum hoc ipſum eſt, quod diuinaui modò.
Hos miſit rex, ut hic Apellem quæritent,
Captumq; ac uinctum præcipitent in carcerem.
Ha ha ha, ut huc adueni in ipſo tempore,
Quo lætum ac lepidum hoc aſpectem ſpectaculū.

ACTVS IIII. SCENA IIII.

LATRONES, APELLES, PHTHONIDES.

AT officina hæc & pergula ubi ſit, quam rex dixit modò,
Mirum ni hæc eſt exaduerſo quæ apparet, ſed prò Iuppiter
Salui ſumus, hominem ipſum habemus, quantum uideo, atque ipſus eſt.
APEL. Nimirum ad me uiam affectant iſti, hei mihi quid hoc mali eſt.
LAtr. Aggredimini, hominem arripite, collo laqueos ac uincula
Innectite, & ambas in dorſum manus nodo conſtringite
APEL. Eheu me miſerum, quo me abripitis? quid me uincitis uiri?
LAtr. Præcipitem humi proſterne, & caue quoquam dimittas peſſimum.
APEL. Quid enim mihi rei uobiſcum eſt, non deſiſtitis? hei mihi.
PHTh. Apageſis, haud lubet tecū ſaltare, hui tam molliter?
Ha ha ha, leue pondus. LATR. Conſtringe hominem, atq; audin' ualide comprime.

APel. Prò hominum atque deorum fidem, quæ hæc nouа uis atque iniuria eſt?
Itá ne in urbe regia, atque in ipſa publica uia
Inſontem, indemnatum rapi, atque hominem uim ciri liberum?
O ciues obſecro, innocenti hodie ferte auxilium mihi.
LAT. Non tu taces? an mauis cerebrum hic diſpergi tibi in uia?
APel. O ſi qua eſt hominum uel Deûm ſalus, ea tu mihi ſubueni.
LAT. Non tacet ſcelus, in os pugnum inſere illi, hem ſic probè. hem tace.
PHib. Hui fortiter, utinam hic adeſſet, & Antiphilus ſpectaret hæc,
Vt ipſi nunc, ſcio, exultarent gaudio præcordia.
APel. Quid ergo feci miſer? aut quid tandem commerui? dicite.
LAT. Quid feceris, aut quid commerueris, hoc regem tibi ſatius eſt
Interrogare, cuius iuſſu, atque imperio nunc facimus hæc.
APel. An hoc imperium regium eſt, per uim hominem liberum
Inſontem, innoxium, indicta cauſa, ceu ad ſupplicium rapi?
O popula-

O populares, uidetis hæc, neque quiſquam eſt, qui auxilium ferat?

LAT. Nequit ſcelus tacere, uideo, niſi ſuo malo, hem ac cipe.

APel. Heu me miſerum, heu me infœlicem. Nam quò me fertis deniquè?

LAT. Reſtà in Barathrum. APEL. Dij deæq; omnes re ſpicite me obſecro,

Neque ita miſerè atque indignè hodie, quæſo, pe rire ſinite me.

LAT. Surdis nunc fabulam canis. Nam nemo illorum tè modò

E noſtris huc ereptum deſcendet de cœlo, uincu lis.

APel. Quæſo igitur, ô uiri, parumper ſuſtinete, per deos,

Atque ad regem, priuſquàm pereo, uel uerbum unum ſinite me.

LAT. Quin tu taces? neque enim ſinemus. APEL. Cur non? LAT. Cur? quia non licet.

APel. Per quem? LAT. per ipſum qui nobis hæc impe rauit, proin tace.

Nam fruſtra hæc fundis uerba, quæcunque hic fundis modò.

APel. Itá ne uerò meritus? LAT. Quale meritus ſis ip ſe uideris,

Nos hoc quod iuſſi ſumus, id facimus, tollite ſubli mem in humeros

Actutum, atq; ite. APEL. O Dij immortales, ô
Iuppiter, Iuno ac Venus,
Quosq; alios hac mea depinxi, atq; cohoneſtauî
manu,
Qua nunc miſerè, fures & malefici quemadmo=
dum ſolent,
Innexus atque colligatus, hinc in barathrum de=
ferar,
Reſpicite me obſecro, & ſi quod fas eſt uſquam,
ſuccurrite:
Aut ſi hoc nequit, & me omnino hic diſperire de
cretum eſt ſemel,
Neu me periiſſe inultum, Magne Iuppiter, obſe=
ſecro ſinas.
Fraudemq; hanc, atq; uim uiolentam fulminea ul
ciſcere manu:

PHT. Spectaculum hoc non ita iucundum cæteris
Forſan uidetur, at mihi nihil lætius.
Namq; accipi ita decet, quicunque filiæ
Iram incurrunt meæ, neque ab hac ſibi cauent,
Dum ſumma ſemper affectant loca ſcandere,
Alijsq; ſua uirtute præcludere uiam.
Annon ego ita futurum dicebam modo?
Pulchrè profectò conſilium hoc ceſſit mihi
Vt opus erat, atque uti uolui ex ſententia.
Namq; hæc ſimul atq; reſciſcet, puto,
Antiphilus, & periiſſe peſſimè audiet,

Quem

Quem ægrè fuit illi diu pati æmulum,
Vah quanta lætitia animus illi explebitur.
Ibo, hæc ut ueluti facta ſunt, ei nuntiem,
Dicamq́; ut quam primum licet, excuſſo metu,
Spectaculum hoc in arcem ſpectatum aduolet.
Sed eccum ipſum foras prodire ex ædibus
Video, manauit iam puto aliquâ rumor hic
Ad eum, & propterea exit nunc, Vt nihil ſolet
Quàm fama uolare citius, atque longius.

ACTVS IIII. SCENA V.

ANTIPHILVS & PHTHONIDES.

IAMdudum me domi expectandi tædium
Inceſſit, dum Phthonides amicus huc meus
Redeat, ut eſt pollicitus, ac mihi nunciet,
Quid ipſe ac filia apud regem confecerint.
Nam cùm omnis odioſa eſſe ægro ſolet mora,
Tum hæc pluſquàm ſollicitat me expectatio.
Viſam igitur ſi fortè domum tandem redierit
Ad filiam, nam huc ſeſe à rege recipient.
Sed quem uolebã, eccũ ultro mihi obuiam uenit.
Ego te quærebam Phthonide. PHTH. *At ego ad te ibam domum.*
ANT. *Rectè igitur factu 'ſt alter alteri obuiam.*
Sed ecquid Phthonide confeciſti? dic mihi.
PHth. *Res omnis Antiphile tibi confecta optime eſt.*

Itaq; ut ſi poßis optare, melius haud uelis;
Adeoq; iam in portu ſtat, & in tuto ratis.
Non uentos metuas, aut tempeſtatem amplius;
Quæ illam tibi ſubuertat, ſi modo uel paululum
Proſpicere deinceps, atq; animaduertere uoles.

ANT. *Gaudeo ita me dij ament, atq; ex animo quidem,*
Nam nihil optaui magis ullo unquam tempore,
Quàm eum diem uidere, quando peßimè
Meus hic ante oculos peſſum iret æmulus,
Qui me hactenus tot curis & mœroribus
Conficit, dum quomodo illum ulciſcar, cogito.
Quare hunc ſublatum poſtquam tãdem intelligo
Perfundor equidem totus Phthonide gaudio.

PHth. *Credo. ſed ſciſn' Antiphile quid ei euenerit?*

ANT. *Vnde id ſcirẽ, qui nunc primum exeo, quid? cedo.*

PHth. *Dicam. Nam primum regi ubi dixit filia*
De Apelle, ea quæ nos dudum inter nos egimus;
Theodotæ ſocium, & proditionis conſcium
Illum eſſe, amens tanta ira exarſit ilico,
Vt ſupra dici, aut inueniri nil queat.

ANT. *Quid fecit?* PHTH. *Omnia ut ſe ulciſceretur, &*
Illum ſceleſtum, ut meritum aiebat perderet.

ANT. *Voluptatẽ narras.* PHTH. *Sic eſt. Nam protinus*
Animo iratus & uultu commoto admodum
In regiam intro irrupit, & Latronibus
Mox emißis Apellem iußit corripi.
Qui deinde raptum ac uinctum perquàm duriter

In barathrum alicubi, ut ipſi ſe uelle facere
Minitabantur, præcipitauerunt perditum.
ANT. *Euge optime. Sed qui ſcis Phthonide factum ita*
Eſſe? PHTH. *Ipſe ego dū huc exeo, tibi ut dicerē*
Per me quod eſſet tibi confectum, ac filiam,
Fortè in forum proceſſi, ibi continuo aderant
Latrones iſti, quos tibi dixi, regij,
Qui ex officina prodeuntem illum, ſtatim
Vt erat ſecurus, nec metuens cuiuſpiam
Tanti, ceu mox illi euenit periculi,
Comprehenderunt, ac ſublimem et pugnis probè
Cæſum, uinctum abſtraxerunt intro in regiam,
Id quod dicebam modo, facturi ſcilicet.
ANT. *O facinus dignum, ac multo optatum tempore,*
Nimirum ſic decebat omnes accipi,
Quicunq; ſeſe ſic inſinuant regibus,
Soli ut uideri ac ſoli amari ipſi uelint,
Alioſq; interea præ ſe deſpiciunt bonos,
Dum ipſi dominentur tanquam ſoli nobiles,
Velut hic Apelles faciebat, qui cæteros
Pictores præ ſe fungos æſtimarier
Volebat, ipſe dum teneret omnium
Apud regem primum ac ſummum ſolus locum.
Quem quòd ſublatum conſilio atq; opera tua
Phthonide audio, nunquam diem unum uixero,
Quo non tibi referre ſtudeam gratiam,
Gratus, ut eſt par, tantiq; memor beneficij.

Solus enim ſolus, ut quod uerum eſt eloquar,
Ab Orco me reuocaſti Phthonide, & denuo
Vitam mihi reddidiſti quæ antè perierat.

PHth. *Sic ſoleo, atq; hoc me antè alia oblectat plurimũ,*
Inimicis ſi quando queo damnum obtrudere.
Sed ſcin' quid te facere Antiphile opus eſt amplius?

ANT. *Quid nam?* PHTH. *Quòd nunc te properè in arcem ad aulicos*
Adire oportet, atq; illos prehenſare te,
Precibusq; ac precio, aut quocunq; modo impellere,
Ab illo ut nunc ſupplicium quàm celerrimè
Sumant, atq; adeo ut unum ne diem quidem
Viuere ſuper permittant. Namq; ut tu ſcias,
Si fortè regis nunc refrigeſcat animus,
" *Vt ſunt in horam principes mutabiles,*
" *Leuiq; momento impelluntur quolibet,*
Fiatq; quæ nunc ſumma eſt ira leuior,
Vt ſemper ægritudinem dies leuat,
Purgatum admittat ne fors illum, ac poſtea
Cum reſpondendo quæ nunc falſo dicta ſunt
Refellet ille, & à ſe omne crimen eluet,
Conſilium noſtrum detegatur, atq; ita
In nos recidat telum, quod in alios torſimus.
Teneſ? ANT. *Teneo, atq; ideo equidem nunc operam dabo*

Malo huic ut præuertamus, illeq́; citius
Neci dedatur, quàm necis cauſa omnibus
Manifeſta fiat. Nam etiam in aula ſunt, quibus
Conſuetudo familiaris mecum admodum eſt,
Quibusq́; hoc, ſcio, futurum uel gratiſſimum eſt,
Vt qui antè quoque mecum perſæpe fremuerint,
Quòd ille indignus imperaret omnibus,
Solusq́; ante omnes præferretur aulicos.
Eos adibo, & cum ijs conſilium reperiam,
Qui, ſat ſcio, omnem operam impendent ſuam, ut
Puncto temporis iſtum extinguamus peſſimum.

PHT. Rectè ſapis, eoq́; uide, ut conſilium hoc bonum
Bene exequaris, ac properè, dum tempus eſt.
Ego iam abeo, tu ſi quid deinceps erit, ubi mea
Opus opera erit, heus domi me reperies. Vale.

ANT. Et tu Phthonide optime. Ego quoq; hinc in regiã
Ad amicos recipiam me, ut quod modo dixi con-
ſili
Cum illis perficiã, dum turba hæc etiam noua eſt,
Et res facilè quoquo libet impelli poteſt.

ACTVS QVINTVS,

SCENA I.

ALETHIA & METANOEA.

QVàm uerò inſuetum atq; inſolitum hoc iter
Mihi eſt, atq; hanc oculis ægrè lucem meis
Aſpicio, poſt tot ac tam longa tempora,
Siquidem ex quo corruptum genus hoc mortaliũ
Epimethei fallacia, atq; ira Iouis,
Mendacia, fraudes, periuria, dolos malos
Recepit, atq; è terris meliora expulit,
Ius, fas, fidem, pietatem, rectũ, æquum, ac bonũ,
Quos antè gubernatores terra habuit deos.
Ego quoq; unà profugi exul cum cæteris,
Hominumq; res peroſa, cæcis abdita
Speluncis, ac duris defoſſa rupibus
Lateo, nec terras pedibus ingredior meis
Vnquam, niſi (quod perrarò tamen accidit)
Cùm Iuppiter miſertus hominum cladibus
Huc excitatum me ex profundis ſedibus
Emittit, ut caſus mortalium explicem,
Lucemq; aliquam turbatis rebus afferam,
Velut huic mõ Apelli, quẽ fraudę Antiphilus ſuâ
Auxilioq; Diaboles, Ptolemæo detulit
Quaſi proditorem, ac regni euerſorem ſui,
Inſontem, & haud ullius conſcium mali.
Quem nunc ut eriperem miſerum atq; iam neci
Addictum, et deſtinatũ, in urbem hanc miſſa ſum.

Nam

Nam Iuppiter ſimulatq; capti in uinculis
Audiuit cum clamore continuas preces,
Simul hominis miſertus, ut eſt clementia
Illius omne erga mortalium genus,
Simul ægrè patiens tantam ſubito ſcientiam
Tam præclaræ artis intercidere, noluit
Inultam ac celatam manere iniuriam,
Qua hunc immerentẽ opprimere inimici cogitãt.
Nam ut ſcelera ille auerſatur, & fraudes malas,
Sic contrà inprimis diligit, atq; ſeruat hos
Bonis & honeſtis qui animum dedunt artibus,
Horum fortunat curſus, & greſſus regit,
Nec temerè à quopiam aut fruſtra lædi ſinit.
Nimirum ut in quibus poſtquam è terris Deos
Amouit cæteros: mortalibus ſuæ
Virtutis ac potentiæ ceu imaginem
Quandam, quotidie ſpectandam reliquerit.
Sed ego dum nimium propero, uti uideo, procul
Reliqui à tergo Metanœam comitem meam.
Reſpiciendum mihi eſt, ne dum illa longius
Ceſſat, ego præuortens à me ipſam amiſero.
ME*t*. *Me miſeram, ut toties laſſos debilito pedes,*
Surſum ac deorſum perreptando adeo omnia
Promiſcuè uulgo miſſa, atq; regibus,
Quos præſens ſtimulis quotidie excrucio meis,
Itaq; iam nullus in orbe hoc reſtat angulus,
Quẽ non adierim ego, ac teneã iam memoriter,

Et quando aliquem finem ſperem laboribus?
Quos miſera toties nequicquam capio nouos.
ALE. *Moue uerò ocyus te, mea Metanœa, nam breuis*
Reſtat uia hæc, & opus properato eſt, ſi modò
Vitam illi ſeruemus, quæ in dubio fluctuat,
Iam iamq; puppi ſubmergendæ ſimilis eſt.
MET. *Moueo quidem, & quantum ſenectus hæc ſinit*
Propero. Sed hoc difficilè dictu eſt, quàm mihi
Moleſtum iter eſt. ALE. *Quamobrem? an quòd neceſſe habes*
Fœda atq; indigna toties, & quàm plurima
Audire coràm, atq; oculis aſpicere tuis
Homines quæ faciunt, anteacta dum ſtudent
Mutare, & facti illos prioris pœnitet?
Namq; audio multos tanta dementia
Vexari, ut ipſi de ſe ſupplicium auferant
Fœdè, ac nefandè magis, quàm à maleficis ſolet,
Quæ te omnia cùm aſpicere oportet, moleſtius
Eſſe tibi nihil puto quicquam, aut acerbius.
MET. *Eſt hoc quoq; nonnihil, ſed quantumcunq; idem*
Tamen eſt, paruum duco, atq; cõſuetum malum,
Nec alienum eſſe ab officio meo arbitror.
Sed illud eſt quod præter alia maximè
Odi, quòd quam toties eo uiam, fruſtra eo.
Nam quanquàm multa homines indigna ſuſtinēt,
Acti ſtimulis malorum, & conſcientia,
Tamen haud fermè quiſq̃ melius ſapere incipit,

Aut

Aut quæ malè fecit, poſt facere amplius cauet,
Omninoq́; iſte haud longius durat dolor,
Quem capiunt, quàm præſentem ac coràm me
uident.
Quamprimum abeo, rurſus abit & facti pudor,
Omnisq́; mea ne quicquàm eſt impenſa et opera,
Imò plerunq; peiora excipiunt mala
Priora, atq; intoleranda fiunt ultima.
ALE.*Sic fit, & hoc omnium ingenium eſt mortalium,*
Vt ad mala ſint procliuiores quàm bona,
Sed nos tamen quantumuis hæc moleſta ſunt,
Nihil abſterrere debent, aut retinere nunc,
Quo minus id quod mandauit nobis Iuppiter,
Pœnam amoueamus illi miſero, ne luat
Inſons atque innocens aliorum iniuriam.
Namque hoc magis nos decet ab immerentibus
Fraudem auertere, quàm meritis commouerier
Supplicijs, quæ à quocunque patiuntur mali.
Neque adeo magni nunc erit negocij
Apud regem hunc, quod uolumus, illud exequi.
Vt qui lubens ſe ſinat impelli quolibet,
Auresq́; præbet iuxta iniquis ac bonis.

ACTVS V. SCENA II.

PTOLEMAEVS, ALETHIA,
METANOEA.

PAraui intus ſcelerati iſtius ad necem quæ pertinent
Omnia, neq; amplius quidquam reſtat, niſi quòd metuo, dies
Vt hic ſufficiat mihi, neq; poßim ut uolo ſupplicia ſumere.
Sed hæc quæ eſt mulier, ex aduerſo mibi quam uideo incedere?
Ad me properat, neque ego hanc memini hìc unquam antehac uidiſſe me.
Opperiar hìc, ut quidquid eſt, quod uelit, aut cur ueniat, ſciam.
ALE. At nunc Metanœa uenimus, quo oportet, atq; ubi Iuppiter
Quod imperauit, miſero ac capto illi feramus aliquam opem,
Ne inſons atq; innocens indignis hodie pœnis occidat.
Atq; optimè regem eccum præſto adeſſe uideo, Proinde tu
Dum cauſam ago, atq; ipſius animum atq; aures ueris obruo
Hìc, retro tacita expectes, ut mox ubi turbatum uideris
Animum ſtimulis ægrotum accendas facti pœnitentia,
Tenes? MET. Quin tu alias res cura, ego ut hæc rectè fiant, uidero.

PTol. At quo magis magisq; intueor, ſpecies hæc homi-
nis ſupra
Videtur eſſe, & neſcio qd diuinũ præ ſe fert, at at
Vt magnum quippiam, atq; nouum nunc animus
præſagit mihi. (as
ALE. Adibo paucis, ô rex, te uolo, tãtiſper quæſo audi
Me, dum quæ habeo mandata, & quæ res poſcit,
exponam tibi.
PTol. Quid eſt mulier? quid uis? aut quæ te cauſa huc
appulit? cedo.
ALE. Dicam breuiter ac ſimpliciter, Nam ſimplex ue-
ritatis eſt
Oratio, neq; quæſitis aliunde eget coloribus.
PTol. Papè. Quod hoc ſermõis atq; exordij nouũ genus?
Nimirum haud nihil eſt, quodcunq; eſt, quod ani
mus diuinat mihi.
Quid eſt? ALE. Apellem quem uinctum tenes,
non rectè uinctus eſt.
PTol. Atqui ſic iuſsi. ſed quid hoc ad te mulier? cedo.
ALE. Scies,
Nam ut uinculis exoluas atq; emittas hunc, tibi
impero,
Niſi ius atq; fas uiolando ſupplicium ac Nemeſim
tuo
Capiti accerſes, ſæuiq; uindictam Iouis. PTOL.
Quid ais? Egon
Vt uinculis exoluam, proditorem uitæ atque im-
perij mei?

ALE. *Non eſt.* PTOL. *An non, de quo tot argumenta & teſtimonia*
Extant, quæ tanti ſceleris illum conuincunt atque arguunt?
ALE. *At hæc quoque nulla ſunt, ab hominbus ficta nihili, atque improbis,*
Quos abs te, ſi uerè atque rectè uiuere uelles, quàm procul
Abeſſe conueniebat, teq; melioribus aures dare.
PTol. *Quibus igitur?* ALE. *Qui rectum ac uerum, Ius, æquum & bonum colunt,*
Nec tradunt immerentes atque inſontes pro merentibus
Ad ſupplicium, quemadmodum huic miſero Apelli contigit.
PTol. *At hic Apelles quidnam ad te attinet, aut unde hunc noſti? cedo.*
Aut quis tibi mulier dixit hunc à me captum ſeruarier?
Deniq; tu quæ es? aut unde? quæ mihi adeo nunc moleſta ſis,
Atque imperando me iubeas captiuos ſoluere nunc meos,
Meo quos iure, atque ut meriti ipſi ſunt, compegi in carcerem.
Hei mihi quid hoc dicam. Neque enim hæc mulier hominis loquitur modo.

ALE.

ALE. *Multa quidem ſimul ô rex interrogas, & ad quæ uno tibi*
Verbo nequaquam reſpõdere poſſum, aut ſi poſſim, licet.
Veruntamen ne te uerbis diu morer, aut animum tibi
Suſpendam uaniloquo ſermone, quemadmodum multi ſolent,
Mantellum qui obtendunt ſuis mendacijs, ſic accipe.
Equidem Alethia ſum, ueterum Titanum progenies uetus,
Quam Iuppiter ex abditis modò excitauit ſedibus,
Sepulta ubi ſoleo latere, ex quo me hominum genus expulit.

PTol. *O Iuppiter, quid hoc rei eſt, num nam funditus ego perij.*

ALE. *Ad te ut Ptolemæe adirem, atque ea quæ deceptus calumnijs*
Hominumq; fraude tuorum impulſus credidiſti, oſtenderem
Te falſo credidiſſe, totamq; hanc turbam aduentu meo
Diſſoluerem, atque Apelli miſero illi ſupplicium auerterem.

PTol. *O Hercules ſeruator. Tun' Alethia illa, quã ſimul*

Cum Aſtræa uirgine ultimam è terris abijſſe au-
diuimus,
Poſtquam Promethei *ob fraudẽ,genus hominum,*
iratus Iuppiter
Diris monſtris atq; omnis generis olim damnauit
malis?

ALE.*Nempe ea.*Proin *ſi quid te* Iouis *imperium ac uir-*
tus commouent,
Quibus ille commouet terras, totumq; genus mor-
talium,
Parebis dicto illius, atq; quem nunc morti deſti-
nas
Dimittes, per ſummum tibi hic nunc delatum &
captum ſcelus.

PTol.*Heu me infœlicem ac miſerum, qui dum certò o-*
mnia puto ſcire me,
Adeo neſciens nunc redij, ut in me accerſam ira-
tos deos.
O Dij *cœleſtes, inferiq;, reſpicite & ſeruate me,*
Tuq; ô Dea*, coràm quæ oculis te aſpiciendam*
præbes meis,
Ignoſce hodie, neq; ſi quid imprudens comme-
rui, ulciſcere.
Vt ſemper dona gratus offeram tuis altaribus:
Neque unquam poſt ſciens admittam quo te Di-
ua offendero.
Nam modo quæ feci ac facio, regni gratia facio
mei,

sic

Sic doctus, atq; eo nõ paucis adductus rationibus:

ALE. *At ſcin' quibus? Nimirum incertis omnibus & fallacibus,*

Ac niſi te piget audire, tute faciam ut hæc intelligas,

Quàm uana ſint ac falſa, pro certis ac ueris quæ tu habes.

Hoc quoque enim ſoleo, ut incertum ac dubitatum neminem ſinam.

PTol. *Imò percupio, & nunc hominem ſi fas eſt tecum colloqui,*

Te obſecro ô Diua, ut cur hæc uana iudices, ediſſeras.

ALE. *Quieſce animo, ſiquidem planè faciam ut cognoſcas omnia.*

Principio enim, ut nequid eorum putes quæ hic facta ſunt, mihi

Eſſe ignotum. Eſt puella quædam Phthonidæ patris filia

Diabole nomine, dicax adeo, ut eius tu ſermonibus

Tribuas ac credas, quæcunque illa apud te defert, omnia,

Habeasque in aula charam ante alios omnes, illam maximè.

Hæc ad te paulò antè adijt cultu ac ueſtitu, ut ſolet, elegans,

Atque ut animum potiſsimum moueri credidit tuum,
Apellis clamitans conſilijs modò Tyrum ac Peluſium
Deſciſſe ad Theodotam, & illius hunc fuiſſe conſcium,
Verbisq; te adeo iratum atque accenſum illico ipſa reddidit,
Vt miſerum indicta cauſa ad ſupplicium arripi, atque in carcerem
Vinctum dari præcipitem, atque exanimem relinqui iuſſeris.

PTol. *Sic eſt, ſermone impulſus huius, hæc quæ dicis, oĩa*
Feci, nam uera quæ narrabat illa dudum credidi.

ALE. *Scio, ſed quàm ſint uera, quæcunque hæc ad te defert, uide.*
Nempe ipſa eſt (ut neque perſonam illius poſthac quæ ſit neſcias)
Puella falſa, doloſa, plena fraudis & mendacij,
Vultu atque inceſſu docta diſsimulare quantumuis ſcelus:
Nulli non prompta maledicere, cui ſemel irata eſſe incipit,
Et tamen apertè & coràm criminari haud quenquam ſuſtinens,
Neque ipſa quod defert compertum habens, ſed aliunde ab alijs

Auditum,

Auditum, aut odio confictum atq; cogitatum ad te afferens,
Vt de hoc Apelle, quem non quòd quæ dixit, ipſa noſceret
Ita eſſe, accuſauit, ſed patris Phthonidæ & Antiphili dolo
Qui hanc inſtructam iſta criminatione, qui cum ad te modò
Venit, miſere illum ut pacto hoc opprimerent, atque extinguerent,
Propterea quòd apud te fuit hactenus in tanta gratia,
Tuqúe illi quotidie tot præbebas ac tanta munera.
Doluit enim Antiphilo, ueniſſe hunc, ut putabat, æmulum,
Suaqúe opera & ſcientia, qua antea in magno fuit
Apud te precio, iam contemni & pro nihilo æſtimarier.
Eamq; ob rem cum Phthonide ſene, patre huius quam ſcis Diaboles,
Conſilium hoc repperit, fraude ac inſidijs illum ut perderet.
Habent enim hoc inertes animi atque inuidi ceu proprium,
Aliena ut haud unquam aſpicere quietè poſſint cõmoda,

ff

Semperque doleat ipſis quodcunque alijs accidit bene.

PTol. *Hei mihi, quanto nunc in animo mœrore diſtineor miſer,*
Apelli poſtquam intelligo hanc tantam eſſe factam iniuriam.

ALE. *Nam quo pacto, quæſo, defectiuis author is foret?*
Qui neque Tyrum peruenit unquam, neq; oculis Peluſium
Aſpexit, neque quis eſſet, aut ubi Theodotas ante hunc diem
Sciuit, quod ſatis ſcio, & tu ipſe ex illo poteris cognoſcere,
Vnquàm ſi ad aures ſermonem illius admiſeris tuas.
Sed totis hiſce diebus quibus hæc facta ſunt, in pergula
Domi ſua, operi intentus, atque ſtudijs pigmentarijs,
Vt ſemper ſolet, haud unquàm fermè protulit foras pedem.

PTol. *Erraſſe uideo me, & fateor, lubensq; erratum corrigam,*
Quo me impulere conſultores ſuſpitionibus mei.

ALE. *Scio hos feciſſe, & quàm imperitum hominum genus hoc ſit, quoq; ſcio,*

Qui

Qui non aliud ſpectant uel cogitant, niſi quo tibi placeant,
Neq; unquàm in rebus quid ſit uerum ac rectè factum intelligunt,
Sed erga quenq;, ut ſunt affecti animo, ita de illo iudicant.
Nam quæ obſecro ſuſpitiones in illum ſceleris, aut mali cadant?
Ad quem ex hac re boni nihil potuit redire, aut commodi,
(Id quod inprimis animaduerti decet in ſuſpitionibus)
Multũ aũt cõtra detrimẽti acceßiſſet ſtudijs ſuis,
Si res impeditæ bello ab amore tantarum artium
Reuocarent, quod neceſſe fuerat euenire, ſi ſui
Compos conſilij Theodotas, labefactet alias quoq;
Vrbes, totumq; in ſe cõuertiſſet regnũ Phœniciæ,
Omniq; te Aegypto tentaſſet ui atq; armis expellere,
Vbi ſi non alius ſucceßiſſet imperio, q̃ artes bonas
Pro contemptis haberet (ut nunc fermè Principum genus
Nihil præclarum amat) ibi tamẽ ſic rebus bellicis
Diſtracto, non licuiſſet animum illius ſtudio aduertere.
Ex qua re multũ deceßiſſet ingenio eius uirium,
Multum aũt ſucceßiſſet tædij operibus & laboribus,

Quoniam qui ipſum excitaret poſthac erat habiturus neminem.
Nam præter alias res, honeſtas artes principum fauor
Vt excitat atque conſeruat, florenteſque unicè euehit,
Sic contrà bella ac res turbatæ non aliud magis opprimunt.
Quamobrem uerisimile non eſt, imò credibile magis,
Te ut extinctum cuperet, cuius tua ſtant artes gratia.
PTol. *Verum hercle uero dicis.* ALE. *Neque aliter unquam deprehendes ſcio.*
Itaque & idem hic illis diebus, quando primum hoc Theodotæ
Increbuit facinus, ob te ac tuam ſalutem miſer ita
Affectus eſt, ut triſtis ac perturbatus domi ferè
Sederet, ac uelut hãc lucem peroſus uix unquam foras
Prodiret. P T O L. *Hei mihi, nimirum hoc eſt quod modò dixerunt, eum*
Poſtquàm Theodotas eſſet captus, lachrymabundum ſe foras
Proripuiſſe ex aula, nec multis pòſt diebus eſſe ibi

Viſum, atque hinc coniecturam fecerunt ſceleris tanti, ac fidem.

ALE. Sceleris autem? Malignitatem quæſo hominum ſpecta. PTOL. Atq; ego

Perſuaſionibus illorum tunc inductus ita credidi:

ALE. Malè igitur & tibi, & illi miſero conſuluiſti ſcilicet.

Neque enim magis, ô rex, auditis quàm uiſis credere oportuit,

Neque te auribus potius quàm oculis fidem dare. Sed ut quotidie

Vitam illius ſtudiaquê uidebas, ita animum ex illis quoque

Te iudicare, atque æſtimare decebat, neque de illo malè,

Quem benè & honeſtè uiuere uidebas, tunc ſuſpicarier.

Nam fieri non poteſt, ut animus ſtudio tali deditus,

Quale eſt in quo iam Apellrs hic tot annos ſeſe exercuit,

Quòd ſi non ex ſummis illis eſt, ſummis tamen ut proximus,

Idem ſeſe inuoluat atque impediat prauis cupiditatibus.

Nam ſunt illæ artes grauiores, & maioris negocij

Mulio, quàm ut uacuum permittant, illis qui ſeſe dedidit.
Imò ſolæ ſibi uendicant curam omnem, & uires ingeni,
Neque unquàm ſpatium dant alijs animum occupandi affectibus.
Itaq; & paucos in tanta hominum uidemus multitudine,
Qui aliquid eximium præſtent, aut uirtute excellant cæteros:
Non quòd non multis natura ingenium fœlix quoque dederit,
Sed quòd non omnes tolerare & ſubire labores hos uolunt,
Quibus hic quotidie exercetur, & inde ab initio aſſueuit puer.
Quæ cùm ita ſint, neq; licet animum occupatum tot negocijs
Alienis inſeruire curis, aut malis affectibus:
Quid ultra iam quæramus, aut quid nunc dubitamus amplius,
Quo minus hic Diabolen credamus, ut puella eſt improba,
Et ad omne facinus audax, hæc in illum finxiſſe omnia,
Patri Phthonidæ, atq; Antiphilo pictori hāc perſoluens gratiam.

An adhuc argumentum expectemus aliud ali-
quod certius?

PTol. *Nullum ô Dea, nullum. Abi uiciſti, neque reſtat*
quidquam amplius,
Quo minus ut hæc dixiſti, tibi credam, atq; aſſen
tiam omnia.
Tu modò ignoſce ô Dea, atq; hanc ueniam exora
ta da mihi,
Placatam ut te aſpiciam. At nunc dic à me quid
fieri poſtules,
Cupio quidquid dudum eſt peccatum corrigere
& reſtituere,
Ac bene uiciſſim facere, pro eo quod malè factum
eſt à me prius.

ALE. *At quid faciendum erit, ipſe hoc tute tecum cogi-*
tabis poſtea,
Nunc quod ſupereſt auſculta, ut exequar offici-
um hoc prius meum.
Nam non modò uerbis, quod dico, affirmatum ti-
bi nunc uolo,
Verum etiam rebus dabo, quo falſo te ſeductum
intelligas,
Cùm miſero illi mortem atq; exitium tam crude-
le deſtinas.

PTol. *An non uerò ſatis hæc dixiſti ô Dea, reſtatq; eti-*
am amplius
Aliquid? Quid igitur eſt, cui plus quàm uerbis
nunc credam tuis?

ALE. *Nempe uolo ut intro abeas, atq; aliquem ex captiuis interroges,*

Qui unà cum Theodota *fuere* Tyri, *atque hinc ducti in uinculis*

Seruantur, ac retinentur etiam, alios ut prodant conſcios,

An unquàm illorum interfuerit conſilio Apelles, *aut eum*

Quiſquam hiſce diebus, facta cùm hæc ſunt, uſquam uiderit Tyri..

Quòd ſi nunquam uidiſſe ſeſe eum tùnc illic dixerint

Amouerintquè ab eo illi quoque falſò illatam calumniam,

Nempè obtinuimus, & ſtat certa atque indeuicta ueritas.

Nam ubique homines putant leuiora pericula, quæ communia

Patiuntur cum multis, ac propterea produnt libentius,

Quos conſcios norunt, ſocioſquè habere pœnarum iuuat.

PTol. *Ita eſt, ſed nunc nihil hoc opu' ſt, uicitquè tua me oratio,*

Lubens ut faciam, quæ uoles, & quæ imperabis omnia.

ALE. *At ego hoc uolo, ut eas intro, & captiuos quæ dixi interroges,*

Vt

Vt poſtquam ita eſſe, ut ego affirmo, cognoſces undiq;, illum illico
Miſerum redire in lucem iubeas liberum, atque uinculis
Exemptum, quibus indignè nunc atque immerito uinctus iacet.
In hoc enim ueni, ad te huc miſſa, ut te doceam, uerum quod eſt,
Illiq́ue miſero uitam, quam penè amiſiſſet, redderem,
Neque ullum etiam in animo relinquam ſcrupulum tuo.

PTol. *At nihil opu' ſt iam illo.* ALE. *Opus eſt, atque hoc nunc ſic iubeo & uolo.*

PTol. *Itan' uero iubes? Faciam igitur quoniam ita uis, tibiq́; obſequar.*
Nam non decet hominem quenquam Deorum nomina ſpernere.

ALE. *Rectè ſapis. Sed nunc Metanœa tempu' ſt, ut ubi hic redierit*
Foras rurſum, nam nil reſtat iam, & res facta eſt plana undiq;,
Quemadmodum ſoles, regis animum dolore concites,
Neque quoquam ab illo abſiſtas, niſi uideas ſolutum, atque facias,
Quo nihil illi gratum, nil dulce ſit, priusq̃ benè aliquid

Apelli faciat, quo acceptã compēſet contumeliã,
Illumq́; , ut dignum eſt, ulciſcatur, unde hæc orta eſt, æmulum.
Ego ex hoc hominum conſpectu, atq́; ex hac luce hinc me recipiam,
Neque enim eſt tutum eſſe Alethiæ in rebus diu mortalium,
Quam illi toties tanta ui oppugnant, atque deturbant loco.
MET. *Abijt iam hæc. me miſeram, ut ſemper grauiores me exitus manent,*
Omniumq́; ſum Deorum curis lōgè infœliciſſima.
Sed rex adeſt, audire operæ precium eſt, quid intus egerit,
Nam ex eius uerbis rectius ac melius, quæ inſtitui, fecero.

ACTVS V. SCENA III.

PTOLEMAEVS, METANOEA.

INtraram modò, uinctum ut iuberem Apellem ſolui ac liberum
Ad me foras prodire, necdum animus mihi erat, ad carcerem
Propius adire, & quæ Dea iuſſit, captiuos inquirere,

Et ecce quiſpiam ex illis me animaduerſo, ô rex, incipit,
Per omnes te Deos obteſtor, hunc Apellē uinculis
Emitte, quid miſerum atq; inſontem ſupplicio tā=to grauas?
Qui neq; Tyrum peruenit unquam, neque qui eſ=ſemus nos prius
Sciuit, quàm miſer, indigno & falſo crimine de=latus tibi,
Huc intro abiectus eſt paulò antè per tuos Lora rios. (omnia
Quod ubi audiui, acceßi, rogaui, deniq; comperi
Ita eſſe, ut dudum dixit Dea, Iouis ad me miſſa nuncia,
Adeoq; me uerbum iſtud animo commouit, ut à lachrymis
Vix temperarem. At nunc quo ſubitò hinc illa e=uanuit? hei mihi
Adeo repentè hanc aufugiſſe, nec manſiſſe tā diu,
Dum potuiſſem placare, & dignis proſequi il=lum honoribus?
Tum autem alteram iſtam annoſam uideo, quæ ſe=cuta illam fuit,
Aſtare ſolam, miror quid reliquerit illam, adibo atq; alloquar.
Eho mulier, quid tu ſola hic relicta? & Alethia hæc ubi eſt?

Quæ modò mecum hîc, aut cur tam ſubito è conſpectu ſe hinc abſtulit?

MET. *At ne quid hic mirere, ô rex, cur iſta tam ſubitò abierit.*

Nam poſtquam, Iuppiter quæ iußit, executa eſt omnia,

Verumque quod ad Apellem pertinet, detexit undique,

Hinc protinus illa ſe recepit ſub rupes iterum ſuas,

Vbi, ex quo terris eſt depulſa, hominum peroſa res, latet,

Nec lucis aſpectum ferens, in tenebris ætatem exigit.

Me autem reliquit hic ut cõſilijs adeſſem cæteris,

Et quæ porrò faceres, monerem, nec quoquam hinc abſcederem,

Dum euentum huius rei uiderem, & compenſatam iniuriam,

Quam miſer Apelles improborum ſcelere ac fraude paſſus eſt.

PTol. *Tun' ut conſuleres mihi? quæ igitur es? aut nomen tibi quod eſt?*

MET. *Equidem ut, ô rex, tibi hoc quoque dicam, ſum Metanœa, quæ Iouis*

Monitu atque iuſſu Alethiam à tergo ſoleo ceu comes ſequi,

Quoties

Quoties illi eſt adeundum ad deceptos dolo ac mendacijs,
Aut qui libenter improborum hominum credunt calumnijs,
Iuxta uulgo, multisq; ipſa quoque familiaris regibus,
Apud quos ſum frequẽs, & quid conſilij captent ſuggero,
Dum cogitant mutare facta, facta pœnitentia.

PTol. *O miſerum atq; infœlicem me, ut nunc ægrè tandem intelligo*
Quàm latè oculus Iouis aſpiciat, quantaq́ue cura iudicet,
Quicunq; aliquem, cui ipſe bene uult, aliquo afficiunt incommodo,
Qui nuſquam nõ habet & emittit ultrices Deas.
Nam primo Alethiam, quæ me hic ſuo terreret numine,
Miſit, deorum nunciam uoluntatis, & interpretem,
Nunc hanc quoque addidit, quæ me aſpectu agitaret triſtis ſuo,
Atque hac in clara luce oculis coram obuerſaretur meis.
Heu me infœlicem atque inuenuſtum, qui modò dum omnia credidi
Me certo ſcire, eò neſciens redactus ſum, ut meo Deos

Errore in me atq; caput miſer ac demens irrita-
rem meum.
Cur igitur unq̃ hodie meorũ aures dedi calũnijs?
Aut huc mendacem ad conſpectum Diabolen *ad-*
miſi meum?
Vt ad ſupplicium & cruciatus raperem huc in-
tro illum in carcerem,
Qui meritus de me nihil unquam malè, multa ue
rò benè fuit.
Vt peßimè ille pereat, conſilium hoc mihi qui pri
mus dedit,
Tantaq́; nunc me miſerum cura & ſollicitudine
perdidit.
MET. *At nunc, ô rex, non quomodo oderis, quæ facta*
ſunt prius,
Quantum ut malè facta bene uertas, & corrigas,
operam dare
Te oportet, id enim uerè pœnitẽtis ac dolẽtis eſt.
PTol. *Quid enim faciam miſer, aut quo me pacto euol-*
uam crimine?
Nam piget utiq;, ac uerè pœnitet eius quod feci
malè,
Cupioq́; benè penſare quidquid dudũ commerui
inſciens, (*at.*
Si modo ſciã, quo pacto hæc ira placari Iouis *que*
MET. *At facile ſcitu eſt, ſi modo uoles obſequi.* PTol. *E-*
go ut haud obſequar?

Cuius

Cuius ad id tantis aĩus nũc impellitur doloribus?
Faciam uerò, ac lubens. MET. *Primum igitur*
Apellem liberum dari
Decet, atq; loco rurſum reſtitui, ex quo eſt deie-
ctus priſtino.
PTol. *Atqui hoc factum eſt iam, & ſi quid poſtules ma-*
ius, faciam id quoq;,
Paulumq́; ſi ceſſare uoles, uenientẽ tute illũ foras
Videbis ſaluũ, atq; incolumẽ, ſolutũ uĩculis oĩbus,
Quem te præſente recipiam, atq; iubebo depo-
ſito metu,
Perpetuis ut mecũ ætatẽ exigat decoratus hono-
ribus,
Neq; quisq̃ poſthac totã uiuat charior ꝑ regiam,
Addam dona ampla & magnifica, quantum &
quæ potero dare,
Pro eo quòd tantam pertulit immeritò atq; indi-
gnè iniuriam. *(perfidum,*
MET. *Rectè hoc. Deinde aũt & ulciſci te oportet illum*
Cuius ſcelere atq; improbitate eſt hoc dudum con
flatum malum,
Antiphilum dico, caput inuiſum Dijs pariter &
hominibus,
Nec ſinere, ut quiſquam poſthac ſperet impuni-
tum fore ſibi,
Per ſcelus alijs quaſcunque inſidias atque frau-
des ſtruxerit.

PTol. Quin hunc correptum ac cæſum uerberibus ſeruitiorum modo
In ſeruitutem Apelli dabo, ſeruilem ut ætatem exigat,
Illaq́; qua modo penicillum toties direxit manu,
Molam deinceps uerſet, & mola ſi quid erit durius,
Dominumq́; ſuo capiti, atque tergo imperitantem illum ſentiat,
Quem noluit modò parem tolerare, atq; æqualem ſibi.
Ecquid ſcis amplius, aut grauius, quo ulciſci poſſim hunc peßimum?
MET. Nihil amplius, namq; hoc longè omnium eſſe acerbum maximè
Puto, uiuum ſub eo ſeruire, quem antè extinctum uolueris,
Nec poſſe turpem conditionem honeſta morte auertere.
PTol. Idem ipſe cogitaui, atque hoc propterea animo ſtatui meo.
Sed ſi tamen aliud grauius aut acer bius eſt, faciam id quoque.
MET. Satis hoc conſilij eſt, modò ſtatim ut perficias, id quod cogitas.
PTol. At iam perficiam. Heus intus euocate mihi huc Lorarios.

Antiphilum

Antiphilum noſtis, pictorem illum pallidum, hunc abducite
Ad me huc, & quadrupedem ac ſublimem uinculis conſtringite,
Iã ego refcrã, ceu meritus eſt, huic talionẽ pfido.
Sed uenit Apelles, eccum ita ut uenturum dixi, atq; ut uolo.

ACTVS V. SCENA IIII.

APELLES, PTOLEMAEVS, METANOEA.

O Dij deæq; omnes, quas gratias & quantas nunc agam
Vobis, benignè qui ſeruaſtis ſaluum atq; incolumem hodie,
Nec paßi eſtis fraude ut perirem perfidorũ, aut ſcelere,
Inſidias q uitæ atq; incolumitati ſtruxerunt meæ
Apud regẽ Ptolemæũ, cùm falſo delatũ crimine,
Ceu regni proditorẽ me conati ſunt extinguere,
Atq; etiã indicta cauſa, ac neſciẽtem oĩs periculi
Ad ſupplicium rapuere, atq; intro compegere in carcerem,
Vbi haud dubiè diras pœnas luiſſem capite innoxius hodie,
Niſi Iuppiter, q iuſtis oĩa quæ fiũt, oculis uidet,
Clemens ſeruaſſet me, atq; in lucem reſtituiſſet priſtinam,

Cuius perpetuis dũ uiuã, celebrabo nomẽ laudib.

PTol. *Huc ades Apelle.* APEL. *Quis me uult?* PTOL. *Huc reſpice ad me, ego te uolo.*

Nam te euocari huc iuſsi, ut quod neſcis, cuius te gratia

Vinctum tenui, & quamobrem rurſus nunc emittam, dicerem.

APel. *Imò dudũ ſcio Nã q; cũ Theodota ſum dictus Tyri Fuiſſe, atq; eius coniurationis eſſe particeps.*

PTol. *Vt ſemper mala reſciſcuntur citius, quàm quæ eueniunt bona.*

APel. *Ideo uinctus ſum, atq; intro abiectus immerens in carcerem,*

Quippe Theodotã qui neq; quis eſſet, aut ubi cognoui prius,

Quàm raptus huc et uinctus, meritum capite ſupplicium tulit.

PTol. *Hæc nunc ita eſſe ſcio, ſed antea perſuaſus uerbis Diaboles*

Aliter credebam, ea quæ illa Phthonidæ patris & Antiphili dolo

Inſtructa uidelicet & meditata longo ſermone attulit,

Tyrũ conſilijs defeciſſe tuis, & mox Pe'uſium,

Adeoq; te caput eſſe rerum. A P E L. *Heu Antiphile Egon' ut ſcelus*

Sciens tãtum in me admitterem? PTOL. *Ob quæ tum indignatus ſcilicet* Com-

Comprehendi te iuſsi, & ſupplicium mox graue ſumpturus fui.
Sed Iuppiter, q te ac tuas artes tuetur atq; amat,
Non paſſus ultra inultã ac celatã manere iniuriã
Tantam & tam indignam, Alethian imis excitatam ſedibus
Voluntatis ſuæ atq; ueritatis miſit indicem,
Quæ rem uelut eſt ab initio cœpta ac facta, referens memoriter
Antiphili detexit fraudem, et calumniæ mẽdacia
Teq; à ſæuis ſeruauit, ô mi Apelle, ſupplicio ac nece.
APEL. O Diua Alethia, ut merito ſemper amaui nomen (tuum.
PTol. Et nunc Metanœam hanc, illa quam ſecum comitem huc adduxerat
Reliquit mecum ut eſſet, & moneret quid facerem amplius,
Quo tibi rependam, quod malè paſſus es, & iram effugiam Iouis.
Huius igitur cõſilio atq; inſtinctu loco te priſtino
Reſtituo, apud me ut ſis quàm fueras antè multo dignior,
Lubensq; tibi pro accepta à me benefaciam contumelia,
Perpetuam ut mecum ætatem laude & honoribus auctus exigas,
Expers oĩs laboris, atq; expers omnis periculi.

APel. At ego uiciſſi, ô rex, cœlo ſublimes attollo manus,
Lubensq; obliuiſcor, quidquid malè & immerito hodie ſuſtuli,
Vtpote q nulla culpa eueniſſe hæc tua, certo ſciã,
Sed fraude ac malicia hominum, qui oppreſſum atq; extinctum me uolunt.
Gaudeoq; tibi benignitate Deûm reconciliarier,
Tecũq; ex qua dudũ exiderã, redire nũc ĩ gratiã.
Agoq; dijs immortalib. q̃ maximas queo gratias,
Seorſim aũt tibi, ô dea, quã oculis aſpicio corã me
Quæ conſilijs hodie tuis, depulſa contumelia, (is,
Regiq; reconcilias, locoq; me reſtituis priſtino.
MET. Sic meritum eſt tuum, atq; hoc à me fieri ſic nunc Iuppiter
Voluit, qui comitem me addidit, ſuæ, quam huic miſit, nunciæ,
Diuæ Alethiæ, cernẽtis cũcta, Iouis ac lucis filiæ.
PTol. Atq; ut uideas argumẽtũ noſtræ nũc beneuolẽtiæ,
Et q̃ non mutem animum quem habui erga te prius, hoc à me accipe
Talentũ, quod tibi nunc do, pro eo q, te læſi malè
Deceptus, atq; impulſus improborum fraudibus ac dolis.
APEl. At ego quanq̃ nihil opus erat iſthoc, tibi pro illo gratias
Ago, eritq; mihi hoc amoris ſemper pignus & indicium tuĩ.

PTOL. Et

PTol. *Et quia tanti Antiphilus cauſa atq; caput tibi fuit mali,*
Seruos emiſi, qui hunc attraherēt, egoq; uinctum dederem
In ſeruitutem tibi, tuq; eius uitæ mox dominus fores,
Vitam qui perdere inſidijs dudū conatus eſt tuā.
Atq; eccum ipſum huc correptum adducunt per uiam Lorarij
Hem opportunè. MET. *Oportunè Pol uero, atq; perquàm commodè.*

ACTVS V. SCENA V.

ANTIPHILVS, PTOLEMAEVS, METANOEA, APELLES.

D*II immortales obſecro uos, ne hodie ſic perire me*
Indignum atq; immerentē, ac conſilij neſcium patiamini. (*qui pereat.* PTOL. *Ohe*
PTol. *Quid ait?* MET. *Se culpæ neſcium atq; indignum*
Scelus, itan' uerò indignus? ANT. *Quid enim tantum commerui miſer?*
Aut quid peregi, cur ita uinctus hinc ad interitū abſtrahar?
PTol. *Quid meritus ſis? At iam faciam ut ſcias. Huc ad me iſtum agitedum* (*merentem ait.*
Afferte. Eho ſcelestè, etiā te indignum atq; im

Eſſe?hîc malorũ q̃ tantã adeo Lernã cõcitaueris?
Qui me imprudentem, atque hinc hodie penè in
ſummum protuleris (ras tuis.
Diſcrimen, huic dum, ſcelerate, inſidijs fraudẽ pa
ANT. Inſidias? cui homini? APEL. Heu Antiphile.
PTOL. Rogas? quid, hunc an non uides?
ANT. Quid ni uideam? MET. Vt malus diſſimulat.
PTOL. Quid, latere etiam putas
Facinus hodie, quod cũ Phthonide ac Diabole fa-
cere auſus es?
Qui hũc miſerũ tãq̃ proditorẽ detuliſti carnifex,
Inſontemq́; ac innoxiũ conatus es ita extinguere,
Ne quis foret poſthac tua tibi ſimilis in arte aut
prior.
ANT. Heu perij miſer. PTOL. Ac dum ſatis animo fa-
ceres hîc nunc tuo,
Potius famã prodere meã uoluiſti q̃ nõ perſequi,
Quod impotẽs atq;inuidus tecũ ipſe cogitaueras.
ANT. O me infœlicem ac perditum. PTOL. Quid?an
nunc demum intelligis (ſcire te,
Te perditũ ſcelus, & quas modò ſimulabas hîc ne
Inſidias eſſe palàm? At non effugies, quin ſuppli-
cium, ut meritus es tuum
Abs te hodie accipiam, atq; faciam exemplum ut
ipſe fias cæteris,
Ne qs aĩm poſthac inducat tale aliqd cõmittere.
Auferte intro ſceleratum, & uerberibus cæſum
uſq; adeo ad necem Relin-

Relinquite uinctum & cōpedibus ligatum, donec uenero, (ſeruiat,
Quē poſtea dabo ut perpetuam ætatem hero illi
Quē modò parē nolebat aſpicere, nec ſecū pati.
ANT. Eheu me miſerum. MET. At nunc ſero eſt quod ploras & quod eiulas,
Nec iuuat, infecta cū facta eſſe nequeūt, pœnitētia.
PTol. Nunc tu adeo Apelle, poſtq̄ nactus fueris hunc, domi tuæ
Ne unq̄ à ceruice illius caue ſis, imperium abſtine as tuum,
Sed inter ſeruos fac uiuat uitam oīm duriſſimam,
Viuēs ut quotidie moriatur, atq; uiuat mortuus.
MET. Nēpe faciet ut iubes, atq; uti te uelle uidebit. Sic enim
Tractari decet oēs, quicunq; ſtudent calumnijs,
Mēdacijsq; amicitias hoīm turbare. APel. ſcilicet.
PTol. Peracta iam ſunt ut puto omnia, & quidem ex ſententia,
Quæ ad pœnam Antiphili, & fabulam præſentis diei pertinent.
Si quid ſupereſt, in poſterum atq; intus perficie- mus, niſi
Vobis quid aliud placeat. MET. Nil aliud. A- PEL. Nempe ita nunc optimum eſt.
PTol. Eamus ergo intro. APEL. Vos hic ualete ac me- cum plaudite.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE